


NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 00035358 5

MONUMENTA VATICANA HUNGARIÆ

*

ACTA LEGATIONIS CARDINALIS GENTILIS.

*

GENTILIS BIBORNOK

MAGYARORSZÁGI KÖVETSÉGÉNEK OKIRATAI.

1307—1311



BUDAPEST

FRANKLIN-TÁRSULAT KÖNYVNYOMDÁJA

1885



Sanctissimus Dominus Noster *Leo XIII.* Pontifex Maximus, in audientia 25. Maji anni 1884. duo volumina huius operis, Eidem devotissime oblata, acceptando, offerentes hoc sermone affatus est:


Dilecti Filii.


Tabularium Vaticanum sponte et libenter eruditorum virorum industriæ patere iussimus, ut veterum pervestigatio monumentorum disciplinis historicis maius lumen afferret. Volumus enim et debemus quantum possumus (quæ est Apostolicæ Sedis hæreditaria laus) bene mereri de studiis optimis, et artes omnes, quæ ad incrementa humanitatis pertinent, singulari cura patrocinioque tueri. Præterea nihil est, quod Ecclesiæ aut Pontificibus Maximis ab inquisitione veri metuamus; quin immo non exiguam utilitatis spem in ea ipsa inquisitione positam certo scimus. Etenim monumenta rerum gestarum explorate cognita multum valere possunt ad illustranda Ecclesiæ Romanique Pontificatus benefacta, emendatis confutatisque pluribus, quas hominum aut incuria fudit aut invidia peperit, opinionibus.

Quod idem confirmatum videmus, dilecti filii, testimonio vestro: qui cum monumenta Tabularii Vaticani Hungarica, a sæculo XIV. ineunte, sedulo indaganda eademque publicanda curaveritis, æqualibus posterisque prodidistis, quot et quanta fuerint illo ipso tempore Decessorum Nostrorum in Hungarorum genus merita. Nondum depulsis ævi, quod medium appellant, tenebris, inflammatisque ad perniciosa dissidia animis, maiores vestri præclara illa munera, quæ a vobis commemorantur, ab hac Sede Apostolica adepti sunt: «*humanitatem et pacem, civilem et sacram disciplinam, mores, doctrinam, leges, constantiam in adversis, gloriam in prosperis*».

Jamvero, pro locorum temporumque varietate, similia extiterunt Romani Pontificatus in ceteras gentes beneficia; eaque, ut confidimus, meliore in luce collocabuntur accurata rerum historicarum pertractatione, cui auctoritate auspiciisque Nostris diligens iam datur opera.

Ad vos quod attinet, geminis voluminibus acceptis, lætamur his primitiis et quasi libamentis laborum vestrorum; simulque Episcopis, Capitulis et ceteris ex Hungaria viris dignitate conspicuis, qui industriam vestram liberalitate sua complectuntur, gratulamur hos munificientiæ suæ fructus; atque operis utilitate perspecta, utrosque hortamur, ut retineatis, alteri in doctis laboribus, alteri in liberalitate constantiam. Vobis interim illisque universis, cœlestium munerum auspicem et paternæ benevolentiæ Nostræ testem Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.





MONUMENTA VATICANA HUNGARIÆ.



VATIKÁNI MAGYAR OKIRATTÁR.

MONUMENTA VATICANA

HISTORIAM REGNI HUNGARIÆ ILLUSTRANTIA.

SERIES PRIMA. TOMUS SECUNDUS.



VATIKÁNI MAGYAR OKIRATTÁR.

ELSŐ SOROZAT. MÁSODIK KÖTET.



BUDAPESTINI

1885.

ACTA LEGATIONIS

CARDINALIS GENTILIS.

*

GENTILIS BIBORNOK


MAGYARORSZÁGI KÖVETSÉGÉNEK OKIRATAI

1307—1311.



BUDAPEST

1885.



Franklin-Társulat nyomdája

ANTONII PÓR

E. COLLEG. POSONIENSIS CANONICI

PROLEGOMENA AD ACTA LEGATIONIS CARDINALIS GENTILIS

1307—1311.

STILO LATINO CONCINNAVIT COLOMANNUS ROSTI S. J.

I.

Quum Fr. Gentilis de Monteflorum purpuratus curiæ Romanæ legatus a latere, fatorum nostrorum curriculo fortiter manum suam intersereret, tunc res moresque gentis nostræ præcipites, in illud iam ultimi discriminis tempus devenêre, quod passim dissolutio rerum publicarum atque interitus excipere solet.

Societatis civilis ordines ac status quotquot fuerant, miserrimam animorum depravationem præseferunt; et quamvis hæc tempora sint a nobis remotissima, nec uberiora argumenta eorum præsto habeamus: indicia tamen omnimodae hujus dissolutionis deprehenderimus quam certissima. «Præteritorum exhibitio temporum, — ita Bonifacius P. VIII. ingemiscit — ad memoriam revocata demonstrat, quod nobile regnum Ungariæ valdeque diffusum, multa plebium generositate refertum, postquam divinitus inspiratum fidem Christi suscepit, quasi optima terra fructus optimos protulit, palmites produxit electos, præsertim personas utriusque sexus a dicti regni domo regia procedentes, utique sanctitate præditas, multa virtutum varietate donatas, quæ quasi lucernæ ardentes, non sub modio, sed supra candelabrum positæ, non solum circumpositis regionibus suæ beatitudinis diffuderunt exempla, sed longe lateque per orbem, ex quibus per apostolicam sedem etiam nostris temporibus sanctorum catalogo sunt adscriptæ. Habuit enim ipsum regnum viros scientiæ eminentis in clero, laicos robustos in bellicis . . . Sed proh dolor! dum in præsentiarum regnum ipsum respicimus, et miserabilem statum eius, et quantum a priori felici statu defluxit, et a statu cecidit glorioso, diligentius intuemur, formidamus merito et valde timemus, ne regnum ipsum temporaliter in magna dispendia, et spiritualiter in magna pericula dilabatur, quibus nisi dextera Domini faciente virtutem et per apostolicæ sedis providentiam obvietur, regnum idem vix adiiciet ut resurgat.»[1]

---

[1] Bullam hanc Bonifacii VIII. a. 1299. die 28. Januarii v. in Augustini Theiner «Monumenta Hungariam Sacram illustrantia» T. I. Nr. 616.

Quibus quidem querelis suffragantur decreta, a comitiis regni anno 1298 calamitatibus reipublicæ medendis, utut incassum rogata.[1]

Omnis mali labes tunc initium sumpsit, quum rex BELA IV. muliebri et aulica fraude irretitus, filium Stephanum regni hæredem aggrederetur. Tunc enim regnum, cladis Tartaricæ vulneribus usque saucium, rursus factionibus discindebatur. Pax quidem patrem inter et filium tertio licet coalesceret, regno tamen concordiam minime reddidit. Quotiescumque etenim rex ipse, inferior e contentione quapiam discedit, numquam animorum unio sedem antiquam est revisura, sed una cum reverentia regi debita, exulabit perpetuo.

Stephanus V. Belæ filius, prima fronte quidem visus est sat idoneus, qui tranquillitatem regno discidiis vexato, forti manu conciliaret. Talem nimirum eundem deprædicat Carolus I. Andegavensis, rex Siciliæ, inito cum illo fœdere contra universam Germanorum gentem; cuius quidem pacti stabiliendi causa, filio suo eiusdem nominis desponderat Mariam Stephani V. filiam, filioque vicissim eiusdem, Ladislao filiam suam Isabellam in nuptias tradiderat.[2]

Verumtamen Stephanus biennio tantum solium tenuit. Joachimum siquidem Pektárium filii sui raptorem æstu nimio insecutus, viribus exhaustis, immatura morte decesserat.[3]

Justa coronæ regiæ auctoritas, alioquin iam vehementer inclinata, tandem evanuit omnis, quum vidua regina Elisabetha, ex infima Cumanorum sorte ad solium evecta, pro filio Ladislao nondum maturo, vicaria potestate clavum reipublicæ teneret. Senatum enim regni e Cumanis conflatum periuria, fastus, privatique commodi studium foedavere; unde, velut e venenato nido latrocinia, seditiones, patriæ proditio, bella denique intus et extus furentia propullularunt regnumque clade deterrima affecerunt. Rex his enutritus exemplis nomenque «Cumani» ioculare sortitus, libidinis suæ mox poenas dedit; a Cumanorum aliquo, cuius uxore abutebatur, confossus.[4]

Quum igitur Ladislaus IV. absque prole decederet, gens hungara Andream III. «ultimum ramusculum aureum e progenie, stirpe ac sanguine S. Stephani primi Hungarorum regis» ut eum Stephanus palatinus blande vocitabat, Albæ-Regiæ diademate insignire properavit.

1 Endlicher. Monumenta Arpadiana p. 630. seqq.

2 Gustavus Wenzel. Monum. diplomatica Hung. ævi Andegav. T. I. Nr. 19.

3 Erben-Emler. Regesta diplom. Bohem. et Morav. II. 368.

4 Jo. Nagy «Rex stirpis Arp. ultimus Bpest. 1876.» Cf. Alphon. Huber «Studien über die Geschichte Ung. 1883.» Monum. dipl. Andegav. I. n. 47.

Et sane iusta fuit hæc properatio: quum duo eodem tempore æmuli regnum peterent. Unus quidem Rudolphus Habsburgensis Romanorum rex, Hungariam sui arbitrii ratus, eandem filio, Alberto Austriaco, velut fiduciariam adscripsit. Altera Maria fuit regina Siciliæ, quæ utpote soror Ladislai IV. iure hæreditario sibi prolibusque suis coronam Hungariæ asseruit.

Nicolaus P. IV. insuper Hungariæ libertatem adversus imperium Germaniæ in tuto collocaturus, sibimet ius vindicavit decernendi res Hungariæ; quippe quæ (ut ipse ratur) iam pridem ob rationes omnibus pervias, Romanæ ecclesiæ sit obnoxia. Legatum proinde in regnum ire iubet Joannem episcopum Aesinum, qui fide digna rerum argumenta mittat, ut iisdem instructa sedes apostolica ad divini nominis laudem ea statuere valeat, quæ civium omnimodæ animi corporisque saluti conducerent; simul moneat Rudolphum atque Albertum, ne Hungariam invadere et occupare, patrimoniaque ecclesiæ hoc pacto fraudare audeant.[1]

Ast Rudolphum, quominus id auderet, mors brevi occupavit; Albertus vero pacem mox cum Andrea III. composuit. Filiamque suam postea eidem nuptum collocavit.

Maria contra, diplomate Aquis Gratianis 1292. die 6. Januarii exarato, quidquid iuris ei in coronam Hungariæ competere videretur, id omne in filium suum primogenitum Carolum-Martellum solemni ritu transtulit,[2] eumque a legato Nicolai P. IV. diademate regio cingi curavit.

Indicia omni dubio maiora evincunt: Carolum-Martellum in Hungaria captasse invenisseque assectatores, insuper patrem eius Carolum II. (cognomine Claudum) exercitum conscripsisse, quo filii sui causam persequeretur. Interea Carolus-Martellus æstate anni 1295. fato functus est, nomenque Hungariæ regium ad mortem usque sibi temere impositum, filio immaturo Carolo Roberto hæreditate reliquit.[3]

Andreas III. igitur utroque æmulo liberatus est; quin — nisi procuratorem eius Romanum oculi frustrabantur — ne pontificis quidem curia tantopere iam studuit Andegavensium iuribus.[4] Hoc non obstante vix affulgebat spes fore: ut regnum, laxatis iam undequaque compagibus, pax et ordo revisant; præsertim quum et ipse Lodomerius Archiepiscopus, præ-

1 Theiner. Monum. Hung. p. 593. seqq.
2 V. supra Monum. Andeg. I. n. 100.
3 Nomen eius italica vocabuli contractione Carobertum sonat; ipse quidem se uno Caroli nomine appellare consuevit.
4 Relat. Petri Boneano v. Wenzel. Monum. nova Arpad. V. 260—262.

cipuus regis fautor, diem supremum obierit atque successor eius designatus Gregorius, Andegavensium partes sit amplexus.

Asseclæ regis, ordines regni ab eodem Pestinum 5. Aug. 1298. convocati: ecclesiastici et nobiles, Hungaricæ, Saxonicæ Cumanæque nationis (exclusis proceribus) alta voce conquerebantur, se *ob domini regis inertiam* privilegiis suis sacramento coronationis confirmatis, per impotentem procerum fastum tam misere spoliatos esse: ut una cum aris nobiliumque sedibus universum populum ad incitas redigi necesse sit. Leges rogatæ quidem saluberrimæ; sed quid referret? quum rex bonis suis fructibusque orbatus, easdem exequi haud valuerit? poenæ item ecclesiasticæ iisdem legibus sanciendis inflictæ, effectu caruerint omni; antistites enim interdictionis ius fasque tueri minime poterant.

Partes interea Andegavensium, quorum agmen præter Gregorium electum Archiepiscopum Strigoniensem, Paulus inprimis Dalmatiæ prorex (banum dicimus) e comitibus Brebiriensibus, — Ugrinus dein Ujlaki e transdravana Csákiorum progenie procerum sane opulentissimus duxere — paulo ante iam (m. Aug. 1300) Carolum Robertum, filium Martelli-Caroli decennem Neapoli Spoletum accersunt, qui dein Zagrabiam usque gradum promovit. Mox, accepto mortis Andreæ III. nuncio, ab asseclis Strigonium delatus, ibidem in æde principe a Gregorio tum iam designatione pontificia in metropoleos moderatorem electo, chrismate sacro delibutus est ac corona etiam qualicumque redimitus.[1]

Hæc ab Andegavensibus audacter coepta, alteram quoque partem ad fortius celeriusque agendum incitarunt. Huius autem antesignani, antistitum erant amplissimi, duce Archiepiscopo Colocensi; huic dedere nomina universi nobilium minorum ordines, clero alioquin addictissimi; quidam denique ex optimatibus. Hi igitur quamprimum Venceslaum, regis Bohemiæ filium regem salutarunt; eumque, — Carolo Roberto patronoque eius Archiepiscopo ex arce Strigoniensi ad australes usque regni fines fugatis — in Hungariam delatum Albæ-Regiæ a Colocensium antistite, insignibus regiis exornari iusserunt.

Romanæ ecclesiæ interea solium, quod ab ineunte Aprili 1292 ad Julium 1294 vacans, exinde ad anni usque exitum pius ille anachoreta Cœlestinus P. V. homo mitissimi sane ingenii tenuit, ineunte anno 1295 Bonifacius P. VIII. vir fortissimus conscenderat. Hic nimirum supremi

1 Knauz. Monum. Eccl. Strigon. II. p. 444.

muneris sui, ad orbem universum divino iure moderandum instituti probe memor, existimavit se hoc pacto Hungariæ quam optime esse consulturum, si rerum eiusdem summam ad aliquem ex Andegavensibus Siculis detulerit. Deus sane patriæ nostræ bene vertit, quod summus pontifex in salutem regni hocce conceperit consilium!

Nec pontifex is erat, qui temporis itercapedine, dum Carolus Rob. adolesceret, non esset usus quam qui optime. Remediis, quæ natura et vis corporea suggerere solet, neglectis, eo sagacius arma — ut aiunt — spiritualia adhibuit, quæ ad restaurandum regni statum idonea viderentur.

Felicem certe iecit aleam; sive quum sedi Spoletanæ sacerdotem reginæ Siculæ domesticum præfecit, sive quum infulas Jadrenses cuidam ex Italia monacho detulit, sive denique, quum eadem rogante regina sedem Sebenici episcopalem erexit;[1] sed maxime tum, quum Gregorium electum Strigoniensem, causæ Andegavensium indivulso nexu sociavit. His nimirum adminiculis plus ille commodi eidem parti attulit, quam domus ipsa regia suis istis largitionibus utut effusissimis consecuta sit.

Nunc vero, de obitu Andreae III. certior factus, Bonifacius VIII. ruptis moris Nicolaum episcopum Ostiensem purpuratum[2] in Hungariam legatum expedit paci ordinique restituendo; regem dein Bohemiæ interpellat, quodnam sibi ius fasque ad regis Hungariæ nomen arrogaret? arguit dein ipsum Colocensem, quo is iure Venceslaum corona insignire præsumpserit? ambos denique Romam ad ius dicendum vocat.

Nicolaus interim per Austriam, probabiliter secundo Danubio in Hungariam vectus, Posonium, Jaurinum, Strigonium, Budam denique appulit, ubi diutius morabatur; 1301 die 25. Octobris universos regni antistites circa se in senatum cogit, sententias rogaturus, quid regno in melius redigendo conduceret?

1302. mense Januario iterum Posonii eum longius subsistentem deprehendimus; mox concilium celebrantem, et graviora quædam tractantem negotia.[3]

Hæc eius industria tam ad regni statum disponendum, quam ad

1 Farlati. Illyricum Sacrum III. 295. Theiner. Monum. Hung. I. n. 615. Monum. Slav. meridion. I. 113.

2 Ferretus Vicentinus (Muratori IX. 1010) hisce Nicolaum Boccasinum, tunc eppum Ostiæ dein Benedictum P. XI. describit: »Vir discretus, inter collegas suos scientia laudabatur, benignus et mitis, iurgia oderat et pacem amabat.« Idem sentit *Villani* (VIII. 80): »Questi fu buon uomo e questo e giusto e di sancta e religiosa vita avea veglia di fare ogni bene.«

3 Knauz. Monum. Eccl. Strigon II. 538. Cf. litterarum exemplar authen. in tabulario Ord. S. Franc. Poson.

causam Andegavensium promovendam, haud parvi momenti effectus sortita est.

Initio siquidem, præter electum Strigoniensem ex antistitibus Hungariæ unum videmus episcopum Nitriensem, qui se partibus pontificis, seu quod rectius sonat, Andegavensium adiunxerit. Mox tamen e litteris Bonifacii P. VIII. die 30. Maii 1303. datis liquet, Colocensem neo-creatum, Vesprimiensem, Zagrabiensem et Jauriensem antistites, Archidiaconum denique Transylvaniensem Romam confluxisse ad negotia quædam Hungariæ pertractanda. Quænam vero hæ causæ fuerint, facile ex eo coniicimus, quod eorum nonnulli Neapoli quoque versati sint.[1] Plenam proinde fidem mereri videntur Archiepiscopi Strigoniensis et Colocensis asserentes: coetum antistitum Hungariæ omnem, collatis prius cum procerum nobiliumque frequentia consiliis, Carolum universis suffragiis regem salutasse Hungariæ. Quod quidem haud sine cardinalis legatique pontificii auspiciis contigisse, pronum sane est colligere!

Bonifacius P. VIII. igitur tempus opportunum adesse ratus, quo Mariæ reginæ nepotisque eius Caroli Roberti ius potiundi Hungariæ solii, palam profiteretur: id solemni in senatu præstitit, monens unumquemque, ut Carolum-Robertum regem Hungariæ amplecterentur; vetuit vicissim nequis Venceslaum regem Hungarorum suspiceret; soluto etiam sacramenti vinculo, quo se Bohemo isti auctorassent.[2]

Nova præterea hæc partium conformatio effecit, ut Venceslaus pater electi regis, hunc ex Hungaria domum suam abduxerit.

Eadem mutata rerum facies ansam et illi ridendæ sane cladi præbuerat, in qua Bavarus ille, ab exili quadam factione ad regnum invitatus Otto, iocularis velut reguli partes agens, brevissima scena explosus est.

Neque tamen statim ideo tranquillitas regno reddita, nec Caroli Roberti pacatum imperium in tuto collocatum. Inventos esse — ait ipse — passim seditiosos atque perfidos, qui eum exauctorare contenderent; nec sat sibi virium suppetiisse, qui eosdem æquo Marte aggrederetur. Itaque antistitibus proceribusque suadentibus charissimum sibi avunculum Albertum Romanorum regem invocavit, qui auctoritate sua tempestatem tantisper sedavit quidem, ast haud penitus dissipavit. Rex enim fatetur se anxio corde, continuo futura præstolari, quum innumera ipsis regni velut visceribus inhærentia mala, Deoque permittente iamiam inveterata suspiciat.

1 Theiner loc. c. I. 631, 635. Cf. Monum. dipl. Andeg. I. 216.
2 Theiner l. c. I. n. 635.

Quaquaversus circumferat oculos, vulnera se videre quamplurima, dictamum vero fere nullum. Expedit igitur oratorem suum sagacissimum Benedictum Geszti, Comitis Bodonis filium, qui tertio iam Apuliam lustravit, cumque Alberto etiam rege negotia gnaviter gessit; hac vero vice Romam etiam dirigere gressus iubetur, sollicitaturus SS. Patrem amplissimumque purpuratorum senatum: ut intestinis afflictæ Hungariæ malis, iisque iamiam fatalibus, mederi velint.

Magister Benedictus prospere et ad amussim negotio sibi a domino rege, antistitibus regnique primoribus imposito defunctus, litteras solatio refertas attulit.[1] Ast Benedictus P. XI., idem ipse, qui nuper ut Nicolaus episcopus Ostiensis in causa Caroli Roberti suam navabat operam, — quemque pontificem recens electum, legatio Hungara salutatum accesserat, ne anni quidem tempore sedem S. Petri tenuit. Ab hinc integer fere annus præteriit, dum alter crearetur pontifex, Clemens nimirum, hoc nomine V., qui quidem initio gravissimis a rege Galliæ adeo urgebatur negotiis: ut nonnisi tardius, intercedente Carolo II. rege Siciliæ avo Caroli Roberti, GENTILEM cardinalem legatum in Hungariam designaverit eique in mandatis dederit, ut regni huius ad leges morum refingendi curam, in se susciperet.

II.

GENTILIS DE MONTEFLORUM[2] vir erat acris ingenii, miræ eruditionis, magnæ sagacitatis atque industriæ, quem præ ceteris animi dotibus, vel maxime singularis mentis vigor commendaverat.[3]

Origine Picenus, e genere apprime nobili, familiam Minorum Fratrum ingressus est. Theologica disciplina eggregie imbutus,[4] curiæ pontificiæ magister (lectorem vocant) fuit, quum Bonifacius P. VIII. eum mense Decembri 1298. collegio purpuratorum, titulo S. Martini de Monte aggregavit.[5]

---

1 Litteras Caroli donatorias Gesztio datas v. in Monum. Andeg. I. n. 24.

2 «Quod in stemmate gentilicio tres monticulos floribus ornatos gereret.» V. Eggs. Purpura Docta seu vitæ Cardinalium II. 259.

3 Sic indolem eius delineat ipse Clemens P. V. Monum. Vatic. Hung. Series I. tom. II. p. 2. (quæ monumenta brevitatis ergo abhinc sic notabimus: Mon. V. H, II. 2). Bonfinius vero hæc de eo habet (dec. II. lib. 9.) «Cardinalis pro facto gravissimus, et consilii et virtutis compos non mediocris — — penitus inspicit animos, antequam severius quod adoriatur».

4 Doctrinam eius testantur: homiliæ; apologia dein pro Bonifacio VIII.; item Dissertatio contra Fraticellos. Alii canonum illi palmam deferunt, quam tamen Waddingus denegat; quamvis in legatione Hungariæ summam legum peritiam præ se tulerit.

5 Wadding. Annales Minorum ad ann. 1298.

Quamquam ipse ex eorum numero quinque cardinalium fuerit, qui suffragiis suis in eligendo Clemente P. V. contrariam partem tenerent;[1] ob eximiam tamen eius in gravissimis causis industriam,[2] tantopere sedi apostolicæ probatus est: ut ab eadem ordinandis rebus Hungariæ legatus deputaretur. Adeoque pontifex exaratis Pictavi 1307. die 8. Aug. litteris, eum summa potestate donatum mittit legatum a latere in Hungariam, magistratusque eius ambitum ad Poloniam, Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Serbiam, Lodomeriam, Galiciam, Cumaniam et provincias hisce finitimas usque extendit.[3]

Interea, dum bullæ litteræque commendatitiæ instruerentur, GENTILIS splendida se circumdat aulicorum corona, viris rerum agendarum peritis latus cingit, cum ipsa denique curia regia Siciliæ negotiorum quorumdam init consortium. Constat enim regem Carolum II. procuratorem suum (1308. die 27. Januarii) ad GENTILEM legasse, huncque deinde vice sua Neapoli regem invisisse; unde mox duas conscendens triremes in Hungariam traiecit; exeunte Maio Spaletum appulit summaque gratulatione exceptus est.[4]

Quid iam consilii sibi capiendum esset, minime quidem anceps hæsit; leges nimirum moresque cleri pristino restituendos esse splendori; procerum summos, qua blandis artibus, qua tranquilla rigoris cuiusdam potestate sibi conciliandos, vel saltem demulcendos, ne institutis eius officiant.

Et re ipsa vera geminum hocce consilium, GENTILIS toto triennio, quo rebus nostris interfuit, præ oculis habuisse semper visus est.

Vix enim Spaletum appulsus, a restaurando clero sumpsit initium. Animum præprimis ad familias Deo sacras — ut par est — convertebat. Jam primis igitur, quibus Spaleti hæsit diebus Gasparem de Montefia, canonicum Cumæum, una curiæ suæ assessorem (auditorem vulgo vocant) iubet viam Spaleto Jadram usque præcipiendo, obvia claustra lustrare, ut ipse dein superveniens, in antecessum erudiatur, quid facto in iisdem corrigendis opus esset?

Quod si iam morum ac disciplinæ capita, claustris ordinandis ad-

1 Car. Wenck »Clemens V. u. Heinrich VII. Die Anfänge des französischen Papstthums«. (Halle 1882. p. 167.)

2 Contra lascivos Fraticellos, qua hæreticæ pravitatis inquisitor a Bonifacio P. VIII. missus egit. Clemens V. autem curam ei quarumdam causarum in Sicilia demandat. Cf. Eggs. l. c. pp. 260 et 263.

3 Mon. V. H. II. 1—10.

4 Regesti Angiovini vol. 171. fol. 8, 25, 26, 28. in apographo Dr. Fraknói. Mon. Andeg. I. n. 230. — Mon. Vat. H. II. 10—14. Item Neapolim faciens, Bononiæ 1307. d. 17. Dec. a senatu populoque magnis plausibus excipiebatur. Cf. Eggs. l. c. 259.

instar amussis præfixa penitius quis indagare voluerit[1] deprehendet sane, haud adeo florentem viguisse in iisdem disciplinam. Id vel ex ratione illa parum consona legati apostolici dignitati, coniiciet, qua ipse Tragurii, Scardonæ, Auranæque exceptus fuit. Sic e. gr. Jaderæ severior eius agendi modus statim in ingressu turbas ciebet gravissimas.[2]

Hinc iter Budam instituit; quo tamen tempore huc attigerit, non liquet. Certum est eum 4. Novembris 1308. iam claustrum S. Dominici in arce situm incoluisse. Hic ita est versatus, ut labore improbo in excolendis Ecclesiæ institutionibus incumberet; iam concilia cogit, iam sacerdotes initiat, modo sancit antistites, modo ius dicit edictaque quaquaversus expedit. Eodem iam tempore, civilium quoque eorum quæ moliebatur consiliorum, exorditur nectere seriem; quamquam huiusmodi hucusque nonnisi tenuia exhibuerit specimina. Eo vehementius igitur ac velut ex improviso oculos nostros illa percellit scena splendida, quam ille in comitiorum Pestinensium quasi theatro, repræsentat.

Neque solum rerum gestarum scriptores id innuunt, verum ipse Carolus I. rex paucos post annos fatetur: «quum in Hungariam venisset, proceres fere omnes, vel certe maiorem partem detrectasse, quominus eum legitimum dominum agnoscerent». Et ecce tibi! in comitiis Pestinensibus oculis nostris occurrunt non duo tantum Archiepiscopi, septem Episcopi, densissimique post eos nobilium ordines: sed optimatum etiam quique lectissimi. Videris hos omnes in obsequium regis Caroli iurare; plurimos ex animo, nonnullos ficte etiam.

Trophæa tamen a Gentili parta nobilissima, spolia sane opima, in conciliato sibi causæque suæ Matthæo Csáki de Trencsény (Trencinio) effulsere!

Hic enim procerum regni facile princeps, inde a montibus Carpathicis ad Danubium usque, duodecim provinciis (comitatibus) arcibusque triginta imperitavit; stipendiarium maxime Bohemum militem principum more conscripsit; præterea facili blandoque ingenio præditus, incredibilem nobilium inferiorum plebisque sibi conciliavit amorem. Hic igitur ad partes Caroli omni ope ac opera pertrahendus videbatur Gentili; quod quidem consilium sane arduum, pluribus licet diffidentibus, ipse tamen macte aggressus est.

Primum quidem blande eum invitavit: ut ipsi Budæ copiam sui

1 Mon. Vat. H. II. 14.
2 Mon. V. H. II. 16. 45—59., item 184—6.

b*

faceret. Quum autem ille reponeret iter Budense sibi haud videri periculo vacuum, GENTILIS rursus novum ei congressum in solitudine fratrum eremitarum de Kékes, loco ab arbitris remoto, obtulit. Die 10. Novembris in mutuum conspectum venere. Legatum purpuratum archiepiscopus Strigoniensis, Nitriensis episcopus, præsides dein familiarum SS. Dominici atque Francisci, legationis denique assessores bini, totidemque scribæ (notarii) sunt comitati, omnes e sacerdotali ordine. — Csákii vero latus quinque e præcipuis antesignanis suis cinxere, gemini nimirum Neogradienses ex genere Kachich Simon ac Nicolaus, Stephanus dein de Cseke, item Beke nomine Rufus de Ság et Sára, denique infelicissimus postmodum ille Felicianus de Zách, ad unum omnes mediæ sortis nobiles ingenui.

GENTILIS missis ambagibus, prima velut fronte interpellat Matthæum: «Habeatne in votis regni regisque tranquillitatem? velitque in hac componenda suis consiliis (sc. GENTILIS) ac iussis promptus cedere? Respondendum esse aperte ac ingenue, quidquid enim dicturus esset, tabulis authenticis signatum iri!» Matthæus primo anceps hærere, se haud prævidisse nudam hanc sciscitandi formam, rogare dein legatum, ut ei capiendi consilii causa cum sociis parumper secedere liceat. Congrediuntur. Maturata tandem cum suis deliberatione palam professus est: velle se utique legati votis annuere imperioque stare; agnoscere porro Carolum dominum ac regem, foreque se fidelissimo eius obsequio obnoxium, nulli se præter hunc unum obsecundaturum, pro viribusque tranquillitati patriæ operam suam commodaturum.

Initurum etiam pactis conditionibus iustis, pacem cum magistro Dominico ceterisque primoribus, a quibus eum hucusque simultates disiunxissent; fœdus tamen cum illis ita feriendum, ne id regiæ auctoritati officiat. Sic ille quidem spondebat, servandæque fidei tesseram, manus compositas palmis legati ambabus interseruit, monachorum ritu, quem illi prima sacramenti nuncupatione observare solent; denique pacem osculo utrinque obsignarunt.

Hoc pacis triumpho lætus GENTILIS optima spe se ad regni comitia accinxit, quibus ille pro sua auctoritate, Budæ diem S. Martini conf. octavum (1308. 18. Nov.) fixerat, missis quaquaversus litteris ac præconibus ad congregandos universos regni antistites, proceres, nobiles, aliosque toga sagoque claros quamplurimos.

Die statuto multi Budam Pestinumque confluxere antistitum et optimatum, maxime vero nobilium; qui vero per se venire impedirentur, vices suas procuratoribus aptis demandarunt. Quum autem plures patri-

ciorum plurimo milite stipati, hunc neque per Danubium traiicere, neque in arce Budæ superiore, legati tunc curia, per angustias collocare valerent: Gentilis cum rege, antistitibus ac proceribus, qui lateri eius adhærebant, flumen transvehitur atque ad ædes S. Dominici ripæ Pestinensi imminentes appellit; quo innumera interim civium ac rusticorum frequentia, legati videndi pacisque cupiditate allecta, ovans plaudensque confluxerat.

Legatus purpuratus locum principem occupavit, aulicorum suorum cinctus corona: episcopo in primis Vegliensi, cœtuum dein SS. Dominici, Francisci, Paulique præpositis, senis curiæ suæ sacerdotibus, assesore denique atque actorum signatore. Dextrorsum rex ipse Carolus Robertus, archiepiscopi Strigoniensis et Colocensis, infulati dein Vaciensis, Nitriensis, Quinqueecclesiensis, Agriensis, Zagrabiensis et Jauriensis tenuere sedes; sinistrorsum vero: Henricus banus, illique sanguine iunctus vicerex (palatinus) Amadeus et reliqua optimatum cohors, nominatim Ugrinus ærarii regii custos, Ladislaus toparcha Transylvaniæ (vajvodam dixere) et Matthæus Csáki de Trencsény palatini vicarius astiterunt, frequentissimo nobilium plebisque globo circumfusi.

Sedis apostolicæ legatus verbis pietatem redolentibus concioni præfatus, hoc evangelii velut classicum insonuit: *«Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo?»* (Matth. XIII, 27.) copiose disserens: quam bonum ipse Deus seminaverit semen in electo sibi agro, Hungaria? quamque lætissima tot sanctorum clarissimorumque regum, hinc seges progerminaverit? quorum primus, divus ille Stephanus, teste ipsa historia, diadema regium a pontifice Romano obtinuerit. Hic dein quædam de supremo pontificum Romanorum in Hungariam iure argumenta caute interserere aggressus, mox a procerum nobiliumque, immunitatem patriæ suæ ingeminantium turbulentis clamoribus interpellabatur, qui aperte oggerebant: «Nequaquam se passuros, ut sedes Romana aut vicarius eiusdem regem sibi obtrudant; hunc more avito a seipsis electum iri; regem dein a se electum, sua pace posse a legato, ecclesiæ nomine confirmari, nihilque obstare, quominus pontifex in posterum quoque reges Hungariæ, ex domus regiæ prognatis, universis gentis suffragiis electos, suo velut iure confirmare atque corona inaugurare valeat.»

Gentilis exortam tempestatem conspicatus, ne fauste cœpta in aleam daret, morem gessit communibus votis atque sic factum est: ut præsentes omnes, positis partium studiis, uno ore Carolum regem consalutarent. Gentilis dein electum hac ratione regem, vice ecclesiæ et ipse agnovit confirmavitque. Nunc proceres ac nobiles agmine facto, regi sacramentum

obsequii et fidelitatis dicunt, illudque et manibus in dexteram legati datis, et iureiurando per signum Crucis, denique etiam pacis inter se osculo communiverunt. Mox etiam mentis æstu abrepti Carolum manibus sursum tollere, læta voce gratulari, clamoribus et vociferationibus sidera fere concutere. Tandem hymnus Ambrosianus solemni cum gratiarum actione diem clausit faustissimum, qui diuturno interregno finem imponens, gentem Hungaram rursus legitimo rege donaverat.

Hæc igitur facta sunt prope Pestinum, in claustro S. Dominici, e regione arcis Budæ a. D. 1308 die 17 Novembris, quemadmodum res gestas Joannes de Pontecurvo, pontificis cæsarisque notarius publicus litteris iisdem authenticis congesserat, quas dein GENTILIS Card., rex item Hungariæ Carolus I. ac supra laudati antistites proceresque sigillis suis pendulis instruxerunt. Multa de his comitiis scriptores commemorant, imprimis autem id vellicant, quid quantumque iuris in Hungariam pontifici, comitiis istis accesserit? Minime quidem nostrarum esse partium ducimus sterilem hanc quæstionem dirimere; suffragamur tamen clarissimo nostro Ladislao Szalay rerum patriarum scriptori, qui hæc habet: «Qui vere victor discesserat, ipse erat populus, sinceræ lætitiæ clamoribus personans quippe qui probe noverat, discidiis demum compositis, segetes suas ab ungulis equorum prædonumque facibus in tuto collocatum iri; triumphos porro egit, gens ipsa Hungara, cui regibus Andegavensibus tantæ sæculum illuxit gloriæ, quantam certe numquam Venceslais Ottonibusve in acceptis referre potuisset, qui ad solium S. Stephani evecti, regnum procul dubio sacrosancti Romani imperii indigestæ moli erant commixturi!»[1]

III.

Præter comitia regni, Pestini ab ipso congregata, GENTILIS alios quoque cogebat cœtus, quos aptius *«concilia»* vel *«synodos»* nominaveris, quum iisdem antistites potissimum interessent, causæque maximam partem fidem moresque spectantes agitarentur; uno tamen excepto conventu, qui rebus ecclesiasticis permixtas civiles quoque egit, proinde invitatis nonnullis proceribus etiam laicis patuit.

Quatuor nobis eiusmodi synodorum decreta innotuerunt. Prima Budæ 1309. 8. Maii habita, in cuius quidem placitis condendis optimates quoque e civili statu, operam suam navasse constat.

---

1 Historia Hung. t. II. p. 137.

Altera eodem loco, 1309. die 22 Julii consedit. Tertiam Posonii 1309. die 10 Novembris antistites Poloni celebrarunt; quartam denique ibidem, die 11. Maii 1311 ex infulatis Hungariæ ipse rursus legerat GENTILIS.

Nec umquam is patriæ nostræ, lethalibus correptæ morbis, salubrius efficaciusque consulere poterat, quam quum apta hæc remedia eidem adhiberet. Missus equidem huc legatus eius, qui principis pacis, medicique animarum summi vice in terris fungitur, pro diversitate malorum iam igni ferroque, iam medelis mitioribus, pium illum æmulatus Samaritanum, oleo ac vino usus est: quum Hungariæ antistitum procerumque «suffragantibus sententiis,» et salutifera decreta conderet et iisdem pondus auctoritatis suæ tribueret.

Hæ nimirum constitutiones, priorum, anni præprimis 1298 comitiorum decretis inhærentes, fundamenta illa publicæ honestatis posuere altissima, quibus et nova Hungariæ restauratæ structura et florentissimæ dein reipublicæ sæculi XIV. culmen innitebantur.

Considerata porro illa perduellionum in reges nostros continua quasi serie, haud adeo horrebimus rigorem illum severissimum, quem synodus Budensis in eorum torquet capita, qui sacrilega manu in regem insurgerent. GENTILIS nimirum excommunicationem in eos fulminat, quotquot in regem seditionem moverint, ut «una cum Juda proditore, poenas suæ proditionis luant!»

Decretum inter alia quintum huius synodi, in eos animadvertit, qui episcopos, archiepiscopos et vel ipsos pontificis legatos lacessere, carcere affligere, atque adeo occidere non vererentur.

Sextum arguit ipsos clericos, qui utut pro munere suo præprimis teneantur ecclesiam tueri, cuius pars summa ipsi sunt: laicis tamen qua ope, qua consilio auctores fiunt, ut illi ecclesiam invadant. Nec porro parum admirationis habet in Hungaria præsertim, quæ ius patronatus regii inde a S. Stephano repetere consuevit, a synodo Budensi decr. VII. sancitum esse: nemini fore integrum, archiepiscopatum, episcopatum, aut dignitatem sacram his inferiorem, qualecumque demum sacerdotium aut beneficium ecclesiasticum a viris laicis delatum accipere. Caput decretorum VIII-um innovat constitutiones a Benedicto XI. quum adhuc in legatione pontificia apud nos versaretur in eos rogatas, qui sive bona ecclesiæ, sive fructus eiusdem qualescumque sibi usurpent; quin easdem severius etiam inculcat adiecta clausula: qua usurpatori hujusmodi sine pœnitentia defuncto, sepulturæ ecclesiasticæ honores denegantur, quum ille minime mereatur ecclesiæ beneficio perfrui mortuus, qui vivus eandem afflixerit.

Notitia porro rerum ad cultum humanitatemque spectantium, magni momenti sane argumentum deprehendet in Decr. synodi IX., quod sic habet: «Obviam ituri animarum stragi, variisque ecclesiarum offensionibus et querelis, quas quidem potissimum — ut experimento colligitur — ex legum sacrarum ignorantia proficiscuntur, decernimus: ut omnibus ecclesiis metropolitanis iuri nostro ditionique subiectis vir canonum peritus, reliquis vero cathedralibus addatur grammaticæ logicesque scientia conspicuus. Hi clericos pauperesque discipulos gratuito, reliquos vero soluta pro modulo mercede instituant, quo hi in lectione ac doctrina proficientes, ecclesiæ Dei uberes fructus sint laturi. Porro antistites una cum capitulo vel parte eiusdem potiori, magistris rite electis beneficia integra conferant, vel stipendium sat honestum, quo ipsi donec magisterium suum obituri sint, perfruantur.»

Decretum X. severis castigationibus vitam clericorum omnis offensionis expertem asserit.

Missis vero constitutionibus, cultum divinum, sacramentorum administrationem antistitumque electionem spectantibus,[1] gressum faciamus oportet ad synodos Posonienses, quarum primam — ut dictum est — GENTILIS, ineunte Novembri 1309. ex antistitibus Poloniæ conflavit. Comprehendit autem illa constitutiones omnino novem, quarum septem priores: de iure antistitum inviolabili (immunitate); ne porro clericus opem, consilium favoresque ullos, contra ecclesiam clericumque præstare audeat; ne bona ecclesiastica invadant, occupata vero restituant; decreta item contra concubinatus palam reos, raptores dein eosque qui poenis ecclesiasticis obvoluti decedunt; hæc omnia ad verbum cum decretis synodi Budensis congruunt.

Decreto octavo prohibentur matrimonia mixta, ne nimirum catholicæ religionis fœmina infideli nuptui tradatur; nomine vero infidelium Patareni, Gazari (Manichæorum progenies), Rutheni, Bulgari, Thraces (Rasciani) Litvanique venire decretum hocce innuit. GENTILIS quidem in litteris, quibus Ladislaum toparcham (vajvodam) Transylvaniæ anathemate percutit, mentionem huius quoque decreti iniicit, utpote quod a synodo Budense rogatum, Hungariam totam comprehendat: attamen quum in illo Cumani tunc adhuc passim ethnici nominatim haud recenseantur, non videtur illud in patria nostra pressius sumpta, ad vitæ saltem usum alicuius momenti fuisse. Eo magis in Polonia valuit, ubi Poloni cum Lituanis, Ruthenis

[1] Mon. Hung. V. II. 268—297.

aliisque gentibus infidelibus frequentius nuptiis miscerentur, frequentioresque proin querelæ hac de re moverentur. Nec minorem legato conquerendi ansam dedere ecclesiæ ipsæ Poloniæ: quum imperium eius abnuerent, talique ratione reverentiam Romanæ sedi debitam exploderent. Quid enim? sacerdotes legati litteris instructos a senatu episcopi (capitulum nunc vocamus) arcere; eiusdem porro decreta executioni haud mancipare, nec aliis quibuscumque iussis obtemperare!

Videtur hæc (Posoniensis Polonica IX.) constitutio etiam per Hungariam vim obtinuisse, in quantum quidem ex ipso verborum contextu colligere juvat; quamquam nulla huius rei indicia præsto sint præter apographum, cuius Clemens P. VI. a. 1347. die 2. Septembris, fidem testatam reliquit.

Hæc igitur synodorum decreta levi calamo adumbrata, habemus velut monumenta, quæ per Hungariam Gentilis summam in condendis legibus industriam deprædicant.

In his tamen omnibus non tam ex integro nova in scenam producuntur, quam potius antiqua renovantur instituta, a prioribus sive Hungariæ legislatoribus, sive legatis Romanis iam ante Gentilem sancita.

Minime autem in animo habemus hac annotatione vel exiguam de Gentilis meritis partem detrahere? Contrarium plane intendimus! Quum enim adiuncta temporum, non obstantibus antiquis legibus immo prorsus iam irritis, eadem porro quoque duraverint, iisdemque malorum onusta difficultatibus: sane summi ingenii, sibique semper constantis virtutis erat indicium, quod Gentilis eundem priscum fortiter callem presserit, qui unus ad salutem regni perducturus sibi videretur. Vir nimirum regendæ civitatis peritus probe noverat, non tam leges desiderari bonas, quam earum executionem.

Nec ille maiori quam prædecessores gaudebat potestate; exercitus ad nutum eius nullus! Hac una re prævalebat ceteris: quod qui regno dominarentur, e gentibus Németujvariorum, Csákiorum, Abarum, Aporum Borsarumque, attoniti velut suspicerent impigram eius fortemque industriam. Ast siquid commodi huic admirationi inesset, id totum Gentilis ipse sibi conciliaverat; tota quanta rerum civilium mutata facies, Gentilis prudentiæ civili artique adscribenda est. Ille procerum nonnullos inter se mutuo digladiantes redegit ad quietem, alios vero cum Carolo studiorum societatem inire allexit. Ipsi in acceptis referamus oportet, quod asseclæ regis pacisque amatores sensim viribus aucti haud receptui canerent, pugnæque conditionem acciperent: donec diuturnis exantlatis certaminibus superiores tandem discederent.

Armis, quibus hostem peteret, nec ille aliis quam antecessores cinctus est: poenis nimirum ecclesiasticis; armis sane potentissimis, dum sagaci habilique manu vibrantur. GENTILIS si quis alius hac in arte palmam præripuit. Facta loquuntur.

Quamquam nec illius quidem administratio caruit nonnullis contumaciæ speciminibus. Sic e. gr. refert Benedictus episcopus Transylvaniensis: ex diœcesis suæ sacerdotibus ac regularibus vix unum fuisse, qui sacrorum interdictionis rationem haberet.[1] Hæc tamen pervicacia speciosam quamdam habere videbatur excusationem: sacerdotes nimirum illos, qui pias largitiones stipendiaque pro sacris administratis pensitata, unum haberent vitæ tolerandæ remedium, haud invitos fuisse existimando: solos insontes, ut verissime dicatur, hac poena plecti pro reis; miseram nimirum plebeculam pro effrenatis optimatibus. Alterum, quod interdictionis vim omnem adimebat, furor erat procerum impotens, qui sacerdotes anathematis ministros, vinearum et agrorum, quin et patrimoniorum suorum fructibus spoliabant, e laribus penatibusque sejiciebant, quid? quod iugulis etiam ipsis imminebant. Verumtamen GENTILIS disciplinam ecclesiasticam tam fortiter vindicabat: ut e. gr. clerus diœceseos Quinqueecclesiensis — utut diu noctuque terroribus angeretur, GENTILIS tamen iussis, synodique Budensis placitis religiose morem gereret.

IV.

In hac porro effreni licentia, in his bonorum regis ac ecclesiæ rapinis, in hoc furore mentis tyrannicæ, Ladislaus toparcha (vajvoda) Transylvaniæ, tristem profecto principatum obtinuit.

Radnæ fodinas argenti, provincias (comitatus) item Bistricensem, Cibiniensem et Siculam, necnon civitates Deés, Kolos et Szék, annexasque iisdem ærarii publici officinas occupavit. Invasit bona episcopi Transylvaniensis, vastavit latifundia et capituli et certe aliorum quorumdam.[2] Quanto polleret astu ac vafritie (siquidem ille technas apertæ violentiæ substituit) speciminis instar exhibet dolus, in detinendo Ottone Bavaro adhibitus.

[1] Mon. Hung V. II., 380.
[2] Sic. e. gr. Dózsa Caroli regis cliens et sponsor 1315. conqueritur, villam Panad in provincia Aradiensi sibi hæreditate propriam, a Ladislao quondam toparcha Transylvaniæ fuisse »potentialiter« ereptam. V. Monum. Andegav. I. 380.

Quem quidem laribus suis exceptum, diademate prius spoliavit, dein illusum abire ad sua passus est.

Num vero coronam sibimet reservandam arripuerit? num post filiæ suæ cum filio regis Serviæ nuptias, mentem præpotentis huius toparchæ audax titillaverit consilium imponendi propriæ fronti coronam S. Stephani? an solummodo turpis quæstus gratia id egerit? nobis haud constat. Certe miram ille præ se ferebat facilitatem tempori caute cedentem; prudentiam illam filiorum huius sæculi, quæ adiuncta rerum callide ponderat, nec omnia periculosæ committit aleæ, extrema quæque haud sectatur: sed ante cladem tempestive resilit, quum partem iniustæ prædæ relinquat, ut reliquam tutius sibi reservare possit. Uno verbo illos animi sui velut colores exeruit, quibus GENTILIS, naturæ humanæ sagacissimus explorator clare perspexerit, sibi cum versipelle quidem ac potente homine esse agendum, sed venali etiam, qui transactionibus facilius ad finem optatum alliciatur.

Finis vero consiliorum eius, uti probe novimus, sacrosanctæ coronæ restitutionem intendebat.

Nicolaus præpositus Aradiensis, una cum capituli sui lectore canonico, finitis Pestini comitiis, in quibus Carolus rex legitimus salutabatur, 1308. die 8. Novembris, ita volentibus GENTILI Thomaque mitrato Strigoniensi Ladislaum tunc Devæ agentem legatus adivit; uti ferebatur, «*ob negotia quædam*», certo vix alia, quam coronæ restitutionem. His discedentibus, postea (1309. medio Februarii) Emericus Varadiensis antistes ibidem præsens aderat, causam eandem ex legati commissione tractaturus.[1] Videtur vajvoda ille potentissimus verborum lenociniis hos oratores demulsisse; synodus enim Budæ 1309. die 8. Maii celebrata, molliori eum tractans articulo, nondum anathematis vinculis comprehendit, satius esse ducens, diem ei prorogare, quo nonnisi incassum elapso, reus ipse coronæ iniuste detentæ haberetur.

Ladislaus tamen indulgentiam hanc flocci fecerat, probe gnarus, quæ quantaque commoda aliis proceribus, Matthæo inprimis Csákio fuerint oblata? Hæc eadem et ipse præstolabatur, nec clericorum solum inferioris gradus, sed regalis ipsius vocis oraculo sibi proponenda. Quid? quod plane iactitaret, arrogare se sibi, ut rex ipse sui copiam in Transylvania faceret.

Interea rex iuvenis anhelis votis, atque ab ipsis etiam optimatibus sibi adhærentibus incensus, corona redimiri quanto ocius desideravit; ut

[1] Mon. H. V. II. 213, 214.

hac ratione et electioni sex abhinc mensibus factæ solemne sacramentum et etiam novis regni institutionibus robur inconcussum accederet.

Dies inaugurationi 15. Junii statutus est. GENTILIS in antecessum diadema ex auro solido, pretiosis lapidibus distinctum, artis eximiæ opus palmare, nomine Romanæ ecclesiæ, regno regique obtulit; cui dein ornamento, «ne favor divinus, — ut ait — avitæ coronæ a sede apostolica olim velut adnexus in hac nova deficere videretur» 14. Junii sacris operando hostiis, ipse bene precatus est; dein et regni antistites idem sacro chrismate perlitum sacravere; coronam vero in Transylvania detentam abhinc irritam vetitamque usu fore, decrevere.

Illuxit tandem dies inaugurationis, dominica nimirum proxima; qua sacri profanique regni ordines, plurimi dein e clero, nobilium, civium plebisque ingentes turmæ ad ædes B. V. Mariæ in arce Buda, undequaque convolarunt. GENTILIS ad aram maiorem constitit; Thomas archiepiscopus Strigoniensis sacris operaturus, ante altare idem ad opus solemne sese composuit; dum canonici Alba-Regales pro suo munere indumenta regi imponenda rite præparabant.

Carolus dein aram conscendens manuque sacro codici imposita, sacramentum latino prius, dein præeunte Strigoniensi archiepiscopo, patrio idiomate, solemni formula nuncupavit: se legibus divinis obtemperaturum, fidem catholicam servaturum, ecclesiam Romanam eiusque ministros veneraturum defensurumque; spopondit dein regnum regnique iura tueri, conservare privilegia nobilium atque e faucibus tyrannorum minorum vindicare; sacris legitimisque coniugii finibus continere sese; regnare iuste, nec ulli unquam, causa nondum cognita, sententiam irrogare. Vovere se hæc Deo ac Superis, nec umquam violati iurisiurandi reum fore.

His peractis, qui aderant, nominatim ab archiepiscopo Strigoniensi accedere iussi, pari se iuramento obstrinxere et regi sacramentum dixere. Nunc demum archiepiscopus Strigoniensis, adiuvantibus infulatis et optimatibus, diadema Carolo imposuit, quam dein inaugurationem legatus papæ, antistitumque cœtus litteris authenticis seorsum datis testatam reliquerunt.

Verumtamen gens Hungara, quæ admirabili pietate coronæ S. Stephani addicta, eidem tantum inesse auctoritatis semper censuit, ut omne ius regium ex ea velut fonte derivaret: haud facili negotio inaugurationi huic, novo diademate locoque insolito factæ adeo aquievit, ut eam omni exceptione dubioque maiorem esse concederet. GENTILIS quidem ac etiam Carolus, quamquam pro sua sentiendi ratione, peractam coronationem iustam ratamque ducere, eiusque cum antiqua corona iterationem super-

vacaneam habere poterant: attamen non eos fugit accidere posse, ut ii ipsi, qui leges humanas divinasque alioquin parvi penderent, ritus vero iisdem annexos plane exploderent: vel minimum tamen in forma iuris mendum cavillaturi sint, novamque coronam et insolitum inaugurationis locum, velut speciosum suæ infidelitatis titulum ac pallium quoddam, tegendis flagitiis suis aptum, causaturi.

Non est igitur dubitandum, quin GENTILIS omnem moverit lapidem: ut Ladislaum ad coronam reddendam permoveret. Novum proin expedit oratorem Benedictum, electum episcopum Transylvaniensem, qui tamen redux incidit in manus latronum Henrici bani et aliquut diebus in carcere eius delituit.[1] Cardinalis ne tunc quidem patientia destitutus, ad flectendum vajvodam, supremis usus est armis: excommunicationis fulmine. Retorsit in cervicem eius, quidquid synodus Budensis contra bonorum regalium raptores decreverit; ait meminisse eum oportere, GENTILEM iam tunc quum Zagrabiæ ageret (1308. die 8—25. Decembris) intelligeretque Ladislaum filiam catholicam regis Serviæ filio a Romana unitate seiuncto nuptui velle tradere, humanissimis sæpe verbis eum commonuisse, quam perniciosum esset hocce «inter obedientiæ et contumaciæ filios» connubium, nec omnino tolerandum, donec rex Serviæ, uti sperare licuit, ad sinum rediret ecclesiæ; inculcavit denique synodi Budensis (nobis solum Posoniensis innotuere) decreta contra matrimonia mixta, quibus Rasciani (Thraces) nominatim recensebantur.

Quum tamen Ladislaus «faciem suam ab Jerusalem averterit et versus Jericho illa incedat via, quæ ducit in manus latronum», quum nec bona regi debita reddere, nec sponsalia illa solvere velit: ideo pro munere sibi a vicario Christi demandato, GENTILIS eum omnibus poenis a synodo supra laudata inflictis subiicere, interdicere ei ecclesiæ consortio, subditos fidelitate ipsi iurata solvere, assectatores sepultura religiosa privare, atque in ipsum, ob nuptias filiæ cum schismatico iunctas hæreticæ pravitatis reum animadversurus, ditiones eius trans citraque Silvam sitas omnes, sacrorum interdictioni devovere. Ceterum, quum ipse Ladislaum plus vice simplici interpellaverit ad coronam almam Hungariæ reddendam et quidem vel sibi, vel ecclesiæ Alba-Regalensi, unde paucis abhinc annis vi rapta est, vel denique ipsi regi; quumque is stare iussis suis hucusque perfracte detrectaverit: nunc tandem, nisi ad festum usque Purificatæ Virginis (1310. die 2. Febr.) imminens, hocce sacrosanctum pignus redditurus sit, eum castigationibus

[1] Mon. H. V. II. 336.

etiam illis fore obnoxium, quas synodus Budensis violentis coronæ usurpatoribus intentaverat. Vicissim, quod si resipuerit, non solum spem ei facere poenæ relaxandæ, verum etiam beneficiorum amplissimorum illecebras proponere.[1]

Has GENTILIS litteras iam Posonii, quo Buda concessit, 1309. die 25. Dec. exaravit. Eodem fere tempore curiam eius incoluit Benedictus, familiæ S. Dominici Budæ præses et electus episcopus Transylvaniensis, sanctionem recentis officii impetraturus.

Peropportune sane cliens iste vajvodæ Ladislai, tunc præsto fuit, quo GENTILIS ad propositum sibi finem rursus uteretur. Judicium itaque, quo electio eius ad trutinam vocaretur, absolvit quidem, quin tamen sententiam decretoriam ferret; interim eum optima quæque sperare iubens remittit in Transylvaniam, ut ibi Ladislao ad coronam restituendam faces adderet.

Ladislaus lubens Benedictum excipit eique pollicetur coronam se utique legato pontificio traditurum esse. Ast episcopi electi relationes postea missæ haud adeo læta nunciabant. Refert nimirum: sacerdotes Transylvaniæ interdicto ecclesiastico minime morem gerere, se tamen, quum privata ædicula sacris operetur, suum haud interponere iudicium. GENTILIS dato responso ait sibi hanc agendi formam probari; nec electum episcopum accepisse ab ullo sive scripto sive ore vivo præceptum, ut in negotia hæc adeo invisa semet ingereret; se mox capitulum esse interpellaturum, ut eo agente ac vetante, ecclesiæ interdictum ad unguem observetur: donec Ladislaus ipse ad saniorem frugem pacemque cum ecclesia redierit. Unum esse, quod a Benedicto fieri optet quam vehementissime: ut Ladislao nimirum persuadeat, velit demum promissis suis stare atque coronam quamprimum restituere; tunc enim vice sua et regem et legatum, libentius animum ad causam Ladislai benigne componendam adiicere velle.[2]

Nec Ladislao quidquam magis in votis erat, quam ut negotio hoc difficillimo quamprimum sese expediret; nec tamen hoc pacto: ut corona hac votorum omnium meta, prius e manibus suis dilapsa, postliminio solum decerneretur quænam bona regia retinere sibi liceat? quæ vero restituenda.

Transactionis igitur tricatissima farrago, viris ad id velut fictis factisque committitur enodanda. Fuere hi: Thomas Strigoniensis pontifex, Amadeus

[1] Mon. H. V. II. 369.
[2] Mon. H. V. II. 380.

vicerex Carolo præ omnibus addictus, magister dein Dominicus — si bene meminimus — Comes Soliensis, bonorum civium tunc facile princeps; quibus se aggregavit P. Dionysius monachorum S. Franc. lector, legati a confessionibus, sacerdosque familiaris.

Hi Szegedini cum Ladislao congressi pactionem mutuo sanxere, qua cautum est: ut Ladislaus toparcha Transylvaniæ ac comes Szolnokiensis, scriptis 1310. die 8. Aprilis tabulis, Carolum I. regem profiteretur Hungariæ, proprium suum naturalemque vereretur dominum, cui obsequium tam ipse præstiturus sit omni possibili consilio opeque tota, quam illi, quos e familia sua nactus esset sibi obaudientes. Sic ille ad simulacrum Dei-hominis cruci affixi sacramentum dixit; fidem præterea suam Thomæ archiepiscopo oppignoravit: se quotiescumque rex eas oras inviserit, in quibus ipse vajvoda tunc ageret, semper præsto fore; regem qua posset reverentia ac cultu consalutaturum, ac omnimodæ eius saluti solerter prospecturum. Coronam quoque ad diem 1. Julii statutum regi traditurum; quodsi vero rex ipse prius Transylvaniam lustraverit, quandocumque libuerit, manibus eius eandem se esse resignaturum; hoc tamen pacto, ut die illo supplex et ipse regem esset aditurus, dignetur sibi quoque abundantem regioque pectore dignum amorem exhibere. Quod quidem mutatis verbis non aliud sonat, quam se tunc demum velle restituere coronam: quum sibi quoque cautum sit de pactione secum inita.

Promisit præterea mox redditurum se fodinas argenti Radnenses, provincias item Bistricensem, Cibiniensem et Siculam, municipia denique Deés, Kolos et Szék una cum officinis regiis ibidem residentibus.[1]

Hinc coniicere pronum est, bona regia aliaque in Transylvania ab ipso occupata, præter modo recensita, Ladislao esse permissa a pactionis procuratoribus.

Conventionem hanc vicerex Amadeus et mag. Dominicus ratam habentes, qua eiusdem cum Ladislao fideiussionis consortes, pari se sacramento obstrinxerunt.

Nullum præterea dubium, coronam die fixo redditam esse. Testatur id approbatio Benedicti electi episcopi Transylvaniensis, ipsi a legato præmii loco 1310. d. 2. Julii exarata. Nec longe a vero abest coronam ab ipso Benedicto esse allatam, Gentili-que ipsi traditam.[2] Certo constat Carolum

1 Mon. H. V. II. 374.

2 «Desideramus admodum — ita Gentilis scribit ad Benedictum — quod idem Ladislaus per Vos mitteret nobis coronam, prout promisisse ipsum nobis per alias litteras rescripsistis». (Mon. V. H. II. 380.) Et alibi «Ladislao Vaivode Transilvanie cum corona S. Stephani regis, quam violenter tenuerat occupatam, procurationis nostre solertia ad nostra dictique regis mandata humiliter veniemus.» Ibid. p. 387.

coronæ restitutionem Thomæ archiepiscopo in acceptis retulisse, eaque se tertio quoque inaugurasse. Ita rerum nostrarum scriptores narrant; quorum quidem narrationi, ipsæ etiam Caroli postea litteræ fidem faciunt his conceptis verbis: «Recuperata et rehabita per sollicitam curam ... (Thomæ) archiepiscopi corona ab illicitis detentoribus, rursum in loco debito, videlicet in Alba-Regali, ubi solitum est ab antiquo reges Hungariæ coronari... eadem sancta corona denuo extitimus coronati».[1]

V.

Hucusque ita Gentilis industriam civilem tractavimus, ut præ illa fere obscurarentur instituta eius, reformandæ cleri disciplinæ, emendandis moribus atque revocandæ velut exulanti iustitiæ ab eo adhibita, eaque utilissima. Pauca illa, quæ in adversariis unius ex amanuensibus eius residua, nobis tabularia Vaticana locupletissima conservarunt, — exemplo esse possunt, — quanta ille in hac quoque parte egerit.

Præter hunc tamen scribam, plurimorum manus indefesso labore, rebus forensibus causisque Gentilis insudarunt. Recensebimus quorumdam nomina, forte fortuna nobis tradita: ut eos nominetenus cognitos habeamus viros, qui latus eximii huius pontificis, in componendas patriæ nostræ res perturbatas intenti, cingebant.

Primum inter hos locum occupant auditores, qui iudicum vices obibant. Duo ex illis, liberis mandatis instructi causas ipsis commissas decretorie dirimebant, alii rursum rem agebant quidem, sed ferendam in ea sententiam Cardinalis sibi asseruit. Priores duo erant: Magister Philippus de Sardinia «decretorum doctor, capellanus domini legati ac curiæ suæ generalis auditor» atque magister Vannes (Joannes) de Aretio, et ipse capellanus aulicus et generalis auditor. Gasparus dein de Montefia, canonicus Cumæus, una causarum auditor; sequitur magister, canonumque lauro ornatus Bonunsegna de Perugia, quem una præpositi cubiculariorum titulus ornabat. His plures additi scribæ pontificii et cæsarei, quorum esset litteras publicas exarare.

Ex horum numero occurrunt: Mag. Joannes de Pontecurvo «apostolica et imperiali auctoritate notarius, capellanus, abbreviator et corrector domini legati»; Mag. Joannes Anglicus «natus quondam Henrici Lepe-

[1] Knauz. Mon. Eccl. Strigon. II. p. 709.

TIT»; Mag. ALBERTINUS DE TRIBUS CASALIBUS «civis Parmensis». Scribæ (notarii) porro legationis, quorum nomina novimus, hi erant: PHILIPPUS COMPAGNONI DE CINGULO notarius GENTILIS, a legato ex curia Romana probabiliter adscitus; ille idem, cuius de actis legationis commentarius, nobis unus in promptu est. Præter hunc scribæ: ANGELUS THEOBALDI DE SANCTA VICTORIA «actorum notarius», JOANNES dein DE MEVANIA, MATTHAEUS DE ROCCA, qui passim et causidicos agebant; eodem gradu occurrit BARTHOLOMAEUS PETRI DE PIGNARIO.

Præter hos plura offendimus nomina eorum, qui curiæ cardinalis addicti, generali quadam «*capellani, domicelli, familiaris*» appellatione comprehenduntur. Pauci admodum eorum certo officii gradu distinguuntur. Sic e. gr. ROGERUS DE MONTEFLORUM, GENTILI certe non nomine tantum sed etiam sanguine iunctus, *comes palatinus;* magister THOMASIUS «marescalcus,» FRIDERICUS DE BONONIA medicus familiaris; DIONYSIUS dein ex S. Francisci asseclis, GENTILI a confessionibus, quem iam supra laudavimus. Reliqui hi fere sunt: JACOBUS DE SANCTO GENESIO magister cubiculi; frater PETRUS DE LANA DE BONONIA e familia Franciscana; frater FRANCISCUS DE COLUMBA [1] ex Ord. Cisterci, LUCIUS (Zucius?) DE COLLAZONE, JOANNES DE FIRMO, ambo mystæ domestici; NARDUS MARCHIO DE AQUASPARTA; Mag. LELLIUS DE MEVANIA, PHILIPPUCIUS DE CINGULO domicelli (ephebi); BERALDUTIUS DE FIRMO, PHILIPPUCIUS DE TARENTINO, ANDREAS natus Marci Michaelis comitis ARBENSIS, JACOBUS DE ZAGRABIA, JACOBUS DE VERCELLIS, GUIDUTIUS DE FLORENTIA, GRATIOLUS DE LUCA, JOANNES speciarius DE BONONIA, CICCO DE FLORENTIA, SIMEON DE TUDERTO, CICCO DE ASISIO, GALTERUTIO DE MONTICULO. Omnes hi ex aula, atque uti nomina produnt stirpis nobilioris, legatique commensales (convivæ). Supra meminimus, GENTILEM, filium Pauli e comitibus Brebiriensibus, Georgium ephebis suis accensuisse, («in domicellum, familiarem et commensalem»). Plurimi horum nobilium fortasse maioris tantum aulici splendoris gratia et ad obsequia ipsi cardinali præstanda cooptabantur; plures tamen etiam in negotio restaurandi regni vastissimo, gnaviter suam navarunt operam, uti de quibusdam certo constat. Juvabit præterea famulitii quoque partem nomine notam ad calcem subiungere. Erant hi: JACOBUS Neapolitanus, JOANNES

[1] Franc. iste de Columba (1311) Posonii in domo Ord. Cisterc. S. Crucis in Austria honoribus D. Catharinæ ædiculam condidit, eamque Conventui huic dono dedit; quæ quidem hodie quoque superstes, variarum dein altercationum fuit argumentum. V. RIMELY CAROLI «Capitulum Eccl. Poson.» p. 187. FLOR. RÓMER «Monum. archæologica Posoniensia». Posonii, 1865. p. 289. et EMERICI HENSZLMANN «Mon. gothicæ structuræ in Hung.» II. 174. FEJÉR, Cod. dipl. VIII. 1. 623—24.

DE SECUNDILIANO qui familiaribus accensetur, utut ne scribendi quidem sit peritus, JUCHA DE COLLEPERGULO ostiarius et nuncius; GRATIOLUS DE LUCA nuncius et cursor; BOLOGNINUS, PEROCTUS et Germanus ille MARTINUS DE ALEMANNIA, cursores; agmen vero claudit Italus ZUCCHA qui »iurati nuncii curiæ domini legati» magnifico ornatum titulo sese exhibet.[1]

* * *

Jam quod legationis res forenses attinet, causæ pertractabantur diversissimæ, quarum monumenta in tabulariis Vaticanis conservantur.

Gentilis curam summam in religiosis ordinibus corrigendis iuvandisque collocavit.

Primus, qui ei occurebat, ordo fuit eremitarum S. Pauli, regulis S.

1 Hinc iam cogitatione fingere licebit quanto splendore, copia et frequentia Gentilis Curia redundaverit, quantique integro triennio constiterit, tot dominis famulisque de victu ceterisque vitæ necessariis prospicere? Sane gratiam Gentilis apud populum, nimium quantum imminuit, quin etiam auctoritati eius in agendo offecit, vectigalium curiæ suæ sustentandæ necessariorum, sive uti carptim vocabatur »*procurationis*» exactio. Ingentes hæ expensæ, maximam partem, clero Hungariæ, temporibus his iniquissimis alioquin ad angustiores fructus redacto, incumbebant expungendæ. Clemens P. V. Gentili legato a latere creato potestatem fecit, ut ad procurationem sibi obvenientem, ditionis suæ sacerdotibus universis, ab archiepiscopis usque ad infimam monachorum familiam fundis donatam, tributa imponeret non obstantibus quibuscumque, illorum prærogativis; impositaque dein poenis etiam ecclesiasticis irrogatis exequeretur. (V. Mon. Vat. Hung. II. 6.) Summam exigendi vectigalis, ipsa legationis Curia universam constituit; quam dein per singulas diœceses, maioraque sacerdotum et monachorum collegia, provinciarum Hungariæ tunc geminarum, Strigoniensis videlicet ac Colocensis metropolitæ dispertiebantur; iidem ipsi exactores quoque expediebant, qui per diœceses, episcopis periculum præstantibus, et indicerent vectigalia, et etiam exercerent. Quantum vectigalium summa expleverit? haud quidem liquet, ast constat sat gravem fuisse. Abunde hoc colligitur ex intercessione a Benedicto episcopo Transylvaniæ facta, quam ille binis plane locis, videlicet in monasteriis (»conventibus») et B. V. M. de Colosmonostor et Budæ ad thermas, tabulis inserendam curavit (V. Mon. V. H. II. 391.) Reditus nimirum episcopi Transylvaniæ 1500. florenis aureis æstimabantur (Theiner Mon. Hung. I. n. 896); ast ratione horum, episcopo et curiæ eius, nomine procurationis 450—500 argenti probatissimi marcæ æris Budensis imponebantur; quæ quidem summa, si marcam quatuor florenis argenti probi computes, 1800—2000 florenos exæquat. Et re ipsa Benedictus apud Gentilem marcis 953 obæratus hæsit, ast non ipse unus, verum etiam archiepiscopus Strigonien. 603 et media marcis, Vesprimien. vero episcopus 124, et Quinque-Ecclesiensis 30. marcis debitores remansere. Hæc exemplo sunto, antistites procurationi solvendæ minime fuisse.

Quibus commodum erat, vectigalia procurationis, ipsi cameræ legationis infundebant; a reliquis mensarii Gentilis eadem corrogabant. Mensas hujusmodi legationis publicas tres novimus; unam Francisci Lapi Rochetti, socii Spinorum Florentinorum, alteram Ottonis Eslareni Viennensis, tertiam demum Hambocti civis Posoniensis; quibus operæ suæ pretium, summarum exactarum obvenere centesimæ. Vel solius Hambocti centesimæ decimæ, 95 marcis probatis, i. e. 380 florenis aureis exæquebantur; quibus in rationem ductis, procuratio ab ipso exacta 3800 florenis aureis est computanda, certe summa æris, illis temporibus quam quæ maxima! (Mon. V. H. II. 421.)

Ex residuis legati vectigalibus anno 1317—1320 Rufinus Cibiniensis, archidiaconus olim Tolnensis, postea decimator pontificius, ad 1059 florenos aureos exegit, sibimet quæstui diurno 581 florenos ac trientem supputando. Procurationem hanc non solum Hungariæ, verum etiam Poloniæ et aliarum legationi obnoxiarum provinciarum ecclesiæ pensitabant, quamque Gentilis summo rigore exequebatur. Idem legationis suæ rationes, accepti dein expensique codices instruebat accuratissimos, quos Vaticana tabularia nobis reliquerunt. Dolendum tamen rationum harum indices humiditate adeo esse corruptos, ut eorum pars maxima deleretur. Fragmenta hæc haud spernenda Appendici operis huius subnectimus.

Augustini usus. Hunc Gentilis potestate sibi a pontifice demandata, ratum habuit, plurimisque privilegiis ditavit.

Carthusiæ dein per Hungariam asseclæ, qui solitudines B. Mariæ in Clusa, Sanctæ item Margaritæ in Lapide Refugii ac Paradisi etc., etc. incoluere, opem eius adversus usurpatores laicos, quin et clericos implorarunt. GENTILIS iisdem provisurus patronos legavit præpositos Strigoniensem, Zagrabiensem et Scepusiensem, qui oppressorum causam vindicarent.

Eodem favore prosequebatur familiam Benedictinam S. Montis Pannoniæ, eique abbatem a se confirmatum præposuit. Res ista, quum temporum illorum imaginem velut ad vivum exprimat, penitiore cognitione digna videtur.

Defuncto nimirum Jacobo abbate (1308.) collegium eiusdem cœnobii ad S. Martini, soli apostolicæ sedi obnoxium, legibus instituti sui rite observatis, Joannem procuratorem suum in temporalibus, cunctis suffragiis abbatem elegit, eumque GENTILI corfirmandum exhibuit. Hic rem penitius cognoscendam, curiæ auditoribus commisit; qui electionem ipsam, utpote ex forma iuris factam, probarunt quidem, ipsum tamen electum, utut honestissimum virum, ob oculi vitium censuerunt minus fore idoneum. Legatus, ne monasterium diu capite patreque orbaretur, enixe contendebat, ut aptum quam primum abbatem accerseret. Ast in afflicta tunc turbataque reipublicæ conditione, virum Deo consecratum invenit neminem, qui digne abbatis dignitatem ferre posse videretur.

Rursus igitur animum ad Joannem convertit; eum electum esse consensu omnium, esse stirpis patriæ sobolem, moribus integrum, cœtus sui regularumque studiosissimum, culturæ etiam elegantioris; cuius vitium uni oculorum inhærens haud adeo prima fronte intuentibus occurrat, nec videndi vim vigoremque prorsus adimat, denique periti medici cura tolli penitus possit. Itaque velle se eidem gratiam huius impedimenti conferre mandareque episcopo Quinque-Ecclesiensi, ut eundem abbatem inauguraret.[1]

Certe GENTILIS ipse quoque religionis olim vinculis ornatus, summo meritoque studio prosequebatur sacras hasce familias, quas hac ætate mores castissimi, ardens promovendæ fidei salutisque procurandæ desiderium, et scientiarum artiumque laus vel maxime commendarent. Statuit itaque, eodem recti bonique sensu ductus, ne quis e Franciscana vel

[1] Mon. V. H. II. 177.

Dominicana familia in abbatis vel prælati cuiuscunque dignitatem evehatur, nisi Pontificis peculiarem ad hoc veniam impetraverit.[1]

Par eius erat cura in senatus episcopalis (capitulum vocamus) moribus restaurandis, ceterisque fovendis sacerdotum collegiis.

Jam ut gressum ad lites quoque coram legati tribunali agitatas faciamus, profecto summæ eruditionis palæstra nobis se panderet in causarum harum monumentis perquirendis, quæ tabularia recondunt Vaticana: nisi properante calamo ad metam huius opelli raperemur. Hæc causarum scripta monumenta, rimas veluti nobis aperiunt, per quas detur nobis venerandæ illius vetustatis, rerumque sacrarum æque ac profanarum tunc gestarum propylæa, avido oculo perlustrare. Tales e. gr. erant: causa electionis episcoporum Transylvaniensis et Quinqueecclesiensis, dein controversia inter capitulum Transylvaniense et quosdam sacerdotes Saxones; Angeli de Narnia et Ladislai episcopi Syrmiensis etc. (V. Mon. Vat. Hung. II. 154—177; 126—153; 356—364; 307—352.) Sed hæc nunc missa facimus prout et formulare illud litterarum, quod scribarum quidam solertissimus secundum autographa in curia GENTILIS exarata compilavit, ut hisce data occasione paradigmatum instar uti possit. Formulare sane amplissimum, quod 52 pragmatibus forensibus absolvitur atque tam curiæ negotia latissime diffusa, quam patriæ nostræ statum sacrum et civilem, velut in imagine quadam nobis exhibet.

Nunc autem ad aliam nos imaginem, viri nimirum tunc temporis potentissimi, paucis delineandam stilum convertimus.

VI.

Summopere tunc sollicitum GENTILEM tenuit MATTHAEUS ille CSÁKY DE TRENCSÉNY.

Haud sane diffitendum iis hunc virum fuisse instructum animi proprietatibus atque dotibus, quæ tempore illo ad ardua quæque molienda necessariæ videbantur; præsto erant: ingenium excelsum, cupido laudis, mentis ardor atque constantia, fortitudo summa, stirps splendida, familia late diffusa, possessiones amplissimæ. Habuit quidem ille plures ex ordine procerum earundem prærogativarum socios atque æmulos; sed tribus in rebus parem plane neminem. Videlicet nullum horum tantis studiis plau-

[1] Ibid. II. 125.

sibusque summi ac infimi, nobiles mediæ sortis ac plebei prosequebantur, nullus dein tot gaudebat prossessionibus, quæ a iugis Carpathicis ad Danubium usque et ultra protendebantur, arces 30 complectentes; nulli denique exercitus tam validus regeque dignus parebat.

Quum Andreæ se utilissimum assectatorem probavisset, hic eum altera anni 1296 parte vice-regis (palatini) dignitate remuneratus est. Andrea fatis extincto, quum novi regis electio agitaretur, Matthæus factionis Venceslai princeps habebatur.

Quæ deinde gereret, in litteris Gentilis, Matthæo anathematis fulgura intorquentibus, velut in fonte quodam commodius perspicientur.

Diploma istud gravissimi momenti Posonii 6. Julii 1311. prodiit; in quo Gentilis vividissimis coloribus Hungariæ tunc conditionem illustrat. Dum olim regibus antiquis, gloria libertatis, clarissimis ordinibus, fide orthodoxa, abundantia rerum omnium, incolarumque frequentia gauderet: nunc servitute vili atque dedecore iniquissimo oppressa, ingens populorum bonorumque suorum detrimentum cœpit. Intimis se visceribus ad dolorem commoveri atque firmiter in animo statuisse: aut extirpaturum se serpentes per gentem Hungaram discordias, aut dissipaturum esse harum veluti venenatam scaturiginem, tyrannidem nimirum procerum. Hanc unam esse causam: cur regis ipsius regnique status ruinam minetur, exulet fides vera, ecclesiæque libertas et vigor marcescat? Sibi fixum ratumque esse eripere hanc gentem e faucibus optimatum, qui regni velut adipe «*impinquati et incrassati*» profecto *recalcitrant* contra Dominum. Diu multumque secum reputasse, quo pacto succurreret oppressis, quos uti olim populum Israeliticum Pharaonis durities, ita affligit nunc tyrannorum vis et acerbitas, tot utique gemitibus execrata? Regiæ prius maiestati suam reddendam esse potentiam, frangenda dein usurpatorum vincula: ut erectis rursus libertatis sanctioris filiis, suum cuique statui ius asseratur.

Refert dein Cardinalis, quo modo in animum induxerit accersere aliquem, qui sibi hac in re operam suam collocaret; quomodo consilia sua cum sacris profanisque contulerit optimatibus? Se primum sane fuisse, qui mentionem Matthæi Csáki iniiceret, quo audito quotquot adessent proceres velut attonitos hæsisse, contradixisse sibi, fundamento eum niti imbecilli, quum Matthæo confidat; eum, ut vulgo notum, esse virum in horas mutabilem, inconstantem, versipellis perfidæque indolis, qui vel ipso iureiurando fallacias nectat. Gentilem tamen amicorum posthabuisse consilia. Mox congressum cum eo celebrasse in Kékes, quo fides eius stu-

diumque in Matthæum firmissimas egit radices. Inaugurasse eum principem, ducem, patrem patriæ. A rege ipso esse creatum magistrum ærarii, qui summus in regno esset honorum gradus.

Ast proh dolor! Matthæum amori huic vere paterno probrum intulisse, quum non modo ingratum sese exhibuerit, sed etiam pro bonis acceptis rependerit pessima.

Matthæus siquidem mox regis sectatores lacessere cœpit, ut eos ad defectionem cogeret. Quumque rebellium nonnullos expugnasset, prædæ vel minimam partem . regi, supremi dominii titulo tradere detrectavit. Præterea salvis seditiosorum propugnaculis, arces regiæ partis invasit, sibique ipsi vindicavit. Castellum regis prope Budam, quod ille Matthæo ad tempus concesserat possidendum, qua hæreditarium sibi arrogavit, atque hinc identidem erumpens cives Budenses, quod regem in deliciis haberent, variis modis vexavit; Regi cultus significationem vix exhibuit. Interpellatus a legato purpurato, ut in regis inauguratione Albæ-Regiæ adesset, ipse potius declaraturus, quam flocci regem faceret? non modo invitationem exploderat, sed latifundia regia ac familiarium regis bona, divastaverat. Legatus eum paterno more monere, rex amice rogare etiam, velit illata sarcire damna; sed ambo surdis auribus canere; Matthæus procax et iactabundus ultra quoque furere, quin magna camporum spatia, regii famulitii bona, Vacium inter et Tibiscum depopulari et funditus evertere, quid porro? etiam barbaros ferocitate vincere, miseramque plebeculam una cum sacra æde, quo confugeret, vivam igni concremare! per diœceses denique Strigoniensem, Vaciensem, Nitriensem, Agriensem et Vesprimiensem plurima loca sacra et monasteria extrema strage afficere.

Hæc aliaque eius flagitia saucio quidem, quieto tamen animo Gentilis toleravit, spe fretus fore, ut restituat in gratiam regis hominem istum, quem unice tamquam filium diligeret. Plurima ei pollicitus est, dum ab eo sibi postulaverit fere nihil! Restituat minimum bona ecclesiastica, solvat nobiles a servitiis insolitis, ex bonis regiis vero, quæ rapuit, honestatis velut gratia, quædam pauca reddat; reliqua habeat sibi ac posteris. Ad has tamen preces et obsecrationes, tantum abest ut Matthæus vel verbum quidem respondisset, ut potius expeditis copiis ad mœnia usque Budæ, ubi tunc rex reginaque morabantur, omnia circum igni ferroque vastando proruperit.

His demum et Gentilis rupta est patientia, atque in cervicem durissimam fulminatur anathema.

Quod si res Gentilis in patria nostra gestas omnes, brevi sub aspectu

ponamus, sane virum in eo deprehendemus industrium, severum, duriorem hinc inde; ast etiam facilem, tempori cedentem, prudentia, patientia pietateque conspicuum. Hæc ingenii signa luculenter exhibuit, quotiescumque in foro versabatur; sic e. gr. in comitiis Budensibus, in causa dein canonici cantoris Quinqueecclesiensis huiusque patroni Henrici toparchæ; talem se præstitit adversus Ladislaum vajvodam; nuspiam tamen adeo vivis indoles eius exprimebatur coloribus, quam in agendo cum Matthæo Csáki de Trencsény.

Verumtamen salva eius eximia mentis acie, arteque insigni — ut aiunt — diplomatica, fatendum est: anathema hoc in Matthæum iaculatum hac vice incassum cecidisse, quin etiam novas leoninis eius ardoribus addidisse faces. Neque hoc diffitendum: Gentilem in discessu règnum reliquisse novis turbis belloque civili agitatum; attamen alia ex parte rerum eventus hoc quoque testatur: potestatem regiam fere ad incitas iam redactam, Gentilis ope atque industria triennio tam excelsum attigisse roboris fastigium, unde omnes abhinc hostium omnium impetus, victricibus armis potuerit retundere.

***

Post latam in Matthæum excommunicationis poenam, Gentilis Posonii binis adhuc mensibus egit, eoque tempore ternas exaravit publicas litteras. Postremas 9. Septembris 1311. Posonii signavit. Postero die videtur iam inde atque adeo ex Hungaria discessisse; proximæ enim eius litteræ supremæque, quas nobis reliquerat, Neostadii Germanorum (Wiener-Neustadt) lucem conspexere.

Pauca restant, quæ ex eius gestis posterioribus ad nos pervenerunt. Clemens P. V. eum revocavit, concilio Viennensi interfuturum; iter certe per ditionem Venetam emensus est Viennam, ubi acerrimo marte pro vindicando Bonifacio P. VIII. stetit, quum nimirum hunc Philippus rex Galliarum, pulcher vocitatus, adhibitis technis omnibus, condemnatum esse voluisset.

Nota apud omnes est contentio, quæ inter Bonifacium P. VIII. et regem Philippum exorta, nefandum in modum exulcerabatur. Flagitium illud, quum Bonifacius milite armato Anagniæ petebatur atque Gregorius electus archiepiscopus Strigoniensis in tuendo pontifice vitam ponebat, summum christiano orbi horrorem incussit atque tam vehementer in Philippum animos incendit, ut ille crimen sibi impactum non censuerit alio modo posse elidere, quam si Bonifacius solemni sententia reus damnaretur.

Tunc demum saturatum fore ulciscendi eius furorem, quum adversarium, quem in sepulchrum iam truserat, famæ quoque proscissæ vulnere lethali, trucidaret. Hoc igitur consilio Pictavis 1307. congressus est cum Clemente P. V. cui ad solium evehendo vel maxime auctor extitit. Eodem fere tempore Carolus quoque II. rex Siciliæ Pontificem adivit, filio suo Carolo-Roberto opem eiusdem imploraturus, quam utique postea misso in Hungariam legato GENTILI reipsa obtinuit.

Philippi nefastum consilium — quamquam is omnem movisset lapidem — turpiter tamen explosum recidit; Bonifacii memoria vero ac fama intaminatis fulgens honoribus, purgatior ex hac causa, velut aurum igni probatum, surrexerat. Cui ille olim purpuræ decrevit honores, GENTILIS inquam, patroni sui nunc vicissim honorem asseruit.

Non diu tamen superstes fuit victoriæ, eodem enim anno 1312. d. 27. Octobris Avenione vitam cum morte commutavit. Conditus est in Italia Asisii in æde S. Francisci et quidem sacello eodem, quod ipse SS. Martino ac Ludovico dicatum, vivus sibi sepulturæ honoribus posuerat.[1]

Aediculam hanc GENTILE mandante magister Simeon Martini Senensis (1283—1344.) pictorum illius temporis secundum Giottium celebratissimus, politissima sua arte illustravit. Quumque superstite adhuc GENTILE delubrum hocce absolutum sit, opera hæc udo tectorio facta (al fresco), primis magistri Simonis artificiis accensenda sunt. Iconum præcipua series S. Martini gesta repræsentat; additis aliorum quoque Sanctorum imaginibus, quos inter Ludovicum regem, Ludovicum item episcopum Tolosanum (nondum sanctorum catalogo tunc inscriptum) porro Elisabetham Hungariæ commemorare iuvabit. Patet has icones ad titulum dignitatis eius cardinalitiæ, necnon ad Andegavenses et Hungariam ipsam referri.

Decus singulare præterea ædiculæ huic accedit, *imagine ipsius* GENTILIS, idque eo magis, quod Simonis præcipua ars in effingendis imaginibus ad os expressis (portrait) enituerit; proin pronum sit coniicere: hac GENTILIS quoque specie, pressam viri similitudinem exhiberi. Ceterum pictura eiusdem, delubri vitro inusta quoque GENTILIS formam exprimit, cuius exemplum huic Monumentorum tomo II. præfiximus.[2] Aediculam

1 Eggs. Purp. Docta II. 259. Clemens P. V. Demetrio, electo archiepiscopo Colocensi 1312. 29. Dec. scribens, Gentilem iam »beatæ memoriæ« appellat. V. THEINER Mon. Hung. I. n. 678.

2 A. CROWE et G. B. CAVALCASELLE. »Geschichte der ital. Malerei (Lipsiæ 1869 II. pp. 242. sqq.) Notandum ex sententia *Vasarii* (Vite dei Pittori I. 337.) Gentilem pingendam hanc æodiculam Puccio Campanæ discipulo Giottii commisisse. Critici tamen supra laudati huic sententiæ utpote »incredibili« continuo contradicunt.

denique ornat insigne Gentilis gentilitium, tres nimium colles floribus consiti.

Sigillum Gentilis in eodem operis huius priore indice positum, tabularia Vaticana nobis conservarunt. In forma Romana aræ tabulam exhibet; superius B. Virginem habes cum Divino infante maternis genibus incubante, circum senos angelos conspicis. Inferius binis zotheculis, ad dexteram quidem S. Martinus reconditur ornatu pontificio indutus, manu ad bene precandum erecta; ad lævam vero S. Franciscus oratoris sacri speciem referens; in infimo denique cornu Gentilis *ipse* cernitur vestibus pontificialibus; manibusque precantium more compositis. Sigilli inscriptio completa hæc habet: «*Sigillum Fratris Gentilis Ordinis Minorum Dei Gratia Tituli Sancti Martini In Montibus Presbyteri Cardinalis*».

— — — — — — — — — — — — — — —

Memoriam Gentilis per Hungariam nulla quidem effigies, nulla marmorea pyramis picturave deprædicat; attamen opera ac industria eius in Andegavensium imperio condendo solerter collocata, quum sane horum regum auspiciis gens nostra, florentissima perfrueretur conditione, Gentili certe «*exegit monumentum aere perennius!*»



LADISLAI FEJÉRPATAKY

PHIL. DOCTORIS, ACADEMIÆ SCIENTIARUM HUNGARICÆ SODALIS

PROLEGOMENA AD ACTA IN HOC CORPUS COLLECTA

Acta legationem, qua Cardinalis Gentilis in Hungaria functus erat, illustrantia, in hoc volumine, quantum fieri poterat, plene perfecteque collecta, nunc primum historiæ utenda traduntur. Quamquam enim inveniri possunt editiones antiquiores, in quibus pauca quædam ex illis deprompta atque ea quidem plerumque vitiis prædita, publici iuris facta sint, nihilo minus tamen earum auctores ea tantum, quæ suo usui accomodata essent, acta colligenda putaverunt, eas vero res omnes, quas Cardinalis Gentilis legatus in Hungaria gesserat, notas faciendas sibi non proposuerunt.

Ac primum quidem auctores *Annalium Ecclesiasticorum*, operis illius immensæ magnitudinis, facta legationis, quam Gentilis obierat, mentione, non nisi decreta synodalia, ab illo edita, quibus res ad regnum pertinentes continentur, divulgare poterant; namque per ingentem operis magnitudinem a re proposita ad alia quædam subtiliora digressionem fieri non licuit. Neque vero Carolus Péterfy, decretorum synodalium ad Hungariam pertinentium editor, aliter egit, quamquam eum iam singula monumenta ad ius publicum gravissima, velut monumentum illud, quod ad Carolum electum Hungariæ regem refertur, in opere suo publicasse scimus. Daniel Farlati autem ex actis ad hanc legationem pertinentibus eorum tantum habuit rationem, quæ ad Illyriam, Dalmatiam et antiquam Croatiam spectarent, quo in genere non dubium est, quin magnum opus, quantum poterat, partibus suis expletum reddiderit. Atque hoc etiam præter ceteros in suam commendationem præstat, quod, cum archiva urbium et ecclesiarum regni Dalmatiæ, id temporis et integra et præstantissimorum monumentorum copia abundantia, magno cum fructu perscrutatus esset, opus

eius tale evasit, quo quid primum Cardinalis GENTILIS apostolicæ sedis per Hungariam legatus in Dalmatia egisset, magna ex parte edoceremur.

Præterea JOSEPHUS KOLLER in Historia Episcopatus Quinqueecclesiensis omnia ea ex fontibus bibliothecæ et archivi Vaticani subsidia litteraria publicavit, quæ tempore huius legationis comparata ad diœcesim eius pertinent, vel in quibus de episcopis Quinqueecclesiensibus illius temporis mentio iniecta est.

Ac primus omnium in patria nostra acta legationis Cardinalis Gentilis publicavit, universa de iis quærens, IGNATIUS comes de BATTHYÁN episcopus Transsilvanus. Tertio enim Legum Ecclesiasticarum tomo, multo iam post mortem auctoris edito, magnus actorum legationis illius numerus continetur. Sed quamvis ei tanta monumentorum copia suppeteret, tamen in ipsa editione adornanda non satis magnam curam eum adhibuisse quivis facile intelliget, si textum huius collectionis et Legum Ecclesiasticarum in comparationem vocaverit. Nihilo minus tamen opus eius perdiu solum erat, unde quasi ex fonte patriarum rerum scriptores ad illam ætatem aperiendam sua repeterent. Quidquid enim GEORGIUS FEJÉR in Codice Diplomatico quem vocant, de rebus gestis Cardinalis Gentilis tradit, id omne cum aliquo discrimine ex Legibus illis Ecclesiasticis sumptum est.

Præter ceteros vero maxime idoneus erat AUGUSTINUS THEINER, qui in libro «Vetera Monumenta Historica Hungariam Sacram illustrantia» inscripto, recipiendis omnibus Cardinalis Gentilis actis locum relinqueret eaque in unum corpus colligeret. Quod quominus faceret, ingenti rerum historicarum mole impediebatur. Quapropter velut speciminis dandi causa ex scriptis Cardinalis Gentilis non nisi pauca quædam edidit. (In opere eius ætas huius legationis viginti quinque tantum paginas complectitur.) Quin etiam singula acta processuum ambitu latiora, omissis rebus gravioribus, publicat.

Atque ut hæc editio omnia legationis acta exhiberet, utque hæc collectio plene esset cumulateque perfecta, non solum ex collectionibus Vaticanis, verum etiam ex aliis Italiæ et regni Hungariæ tabulariis recepta sunt omnia, quæ ad tempus huius legationis illustrandum adhuc erui potuerant. In quo quidem tenendum est, vel maximam pervestigatæ materiæ partem ex collectionibus Vaticanis quasi ex fodina auro copiosa profectam esse.

Hic enim custodiuntur earum litium commentarii, quæ pro tribunali Cardinalis Gentilis tempore legationis actæ sunt. Hæ sunt tabulæ authenticæ,

in quas Philippus de Cingulo, Joannes (Vannes) de Mevanea, Angelus de S. Victoria, illi quidem Cardinalis Gentilis scribæ, cuncta legationis acta, litteras citatorias, iudicia, nec non tenorem in causis agendis servatum et, quidquid in iis inerat momenti, retulerunt.

Cuius generis quattuor commentarii ad nos pervenerunt. Qui quidem commentarii, quamquam omnes ex uno eodemque genere sunt et vinculo quodam continentur, tamen diversis Vaticani locis asservantur. Cuius rei causam si quærimus, eam in eo positam esse inveniemus, quod olim pars tabularii in bibliotheca servabatur. Cum autem Paulo V. pontifice, facta separatione tabularioque in eum quo nunc est locum translato, volumina socianda dividerentur, factum est, ut una pars in archivo deponeretur, altera in bibliotheca relinqueretur.

Quattuor illi actorum commentarii sunt hi: in bibliotheca Cod. lat. n°. 3935 et 4013 sign.; in archivo vero manuscripta, quæ «Papi Avignonesi Vol. I.» atque «Processus Quinqueecclesiensis 1308—1309» inscripta sunt.

1. Manuscriptum chartaceum *n°. 3935 sign.* constat 41 foliis, numerorum signis insignitis, forma folii minore (per errorem fol. 26. bis occurrit, unde fit, ut manuscriptum præter fragmenta paginis inserta nullisque numeris insignita proprie 42 folia contineat). Altitudo eius explet 31·5 cm., latitudo 23 cm. Foliis 18—19, 29—30, 31—32 singulæ paginæ non insignitæ insertæ sunt, quæ eædem in rebus ad legationem pertinentibus versantur. Auctorem vero eius Philippum de Cingulo Cardinalis scribam esse, qui iussu mandatoque legati apostolici librum conscripsit, ex nota primis codicis verbis adposita satis superque apparet.[1]

Argumentum manuscripti est hoc:

Fol. 1—4. Causa capituli ecclesiæ Traguriensis adversus episcopum eiusdem ecclesiæ de prædio quod vocatur Drid acta. (V. infra n. XIV.)

Fol. 4. Causa Antonii præpositi de Jászó adversus Nicolaum de Buda de reddendis quibusdam debitis. Liberius, episcopus Traguriensis, procuratori suo salarium promittit. Franciscus, abbas Arbensis, Angelo de S. Victoria procuratoris munus defert. (V. n. XXXV., XXXVI. et XXX.)

Fol. 5—10. Agitur de episcopo Pharensi (insula Lesina) electo. (V. n. XV.)

Fol. 12. Citatio Georgii episcopi Arbensis in iudicium a legato apostolico habendum. Decretum Cardinalis Gentilis de promovendis fratribus

[1] V. infra pag. 18, nota 1.

ordinis Minorum et sancti Dominici sine dispensatione; convocatio prælatorum baronumque regni Budam. Committitur Philippo de Sardinia, auditori generali legati apostolici, negotium Gregorii electi episcopi Bosnensis pertractandum. (V. n. XX., XLI. et XLVII.)

Fol. 13—14. Agitur de reformanda ecclesia Jadrensi. (V. n. XXI.)

Fol. 15. Agitur, quomodo presbyteri ecclesiæ Jadrensis excommunicati solemnia celebraverint. Generalis commissio Philippi de Sardinia et Joannis de Aretio, auditorum Cardinalis Gentilis. Joannes de Buctuano, sacerdos Jadrensis, Gentilem dominum suum et legatum apostolicum agnovit. (V. n. XXIII., XXII. et XIX.)

Fol. 16. Causa Lucæ, canonici Vaciensis. (V. n. LX.)

Fol. 16—17. Causa abbatissæ et sanctimonialium ordinis s. Claræ de Tyrnavia adversus capitula ecclesiarum Strigoniensis et Albensis-Regalis. Exitus huius litis, cuius fragmentum tantum exstat in hoc codice, litteris quibusdam, quarum paulo inferius facta est mentio, in archivo regnicolari Hungariæ asservatis, continetur. (V. n. LXII.)

Fol. 18. Vacat.

Fol. 19—41. Causa potestatis et communis Traguriensis contra episcopum. (V. n. XXXIV.)

De fragmentis autem paginis insertis duo ad causam Traguriensem, quæ ultima est commemorata, pertinent. Pars enim fragmenti paginis 18—19. inserti pauca quædam continet ex quæstionibus in grandi illa dica Quinqueecclesiensi habitis; sed tenor in hac causa servatus ex manuscripto «Processus Quinqueecclesiensis 1308—1309» inscripto cognosci potest. Præterea paginis 29—30 insertum est diploma autographum membranaceum Augustini, episcopi Zagrabiensis, quo diaconum quendam iussu Cardinalis Gentilis in sacerdotium promovet. (V. n. LXIII.)

Ex hac igitur summa, modo proposita, intelligi potest, hunc codicem non solum causarum commentarium esse, verum etiam a scribis alias Cardinalis Gentilis res gestas in eo esse adnotatas, ita ut hoc in genere speciem quandam chronicorum præ se ferre, nemo sit, quin fateatur. Huc accedit, quod in eo etiam eæ partes reperiuntur, quæ unæ ad res privatas scribarum referantur, velut si cui munus procuratoris mandatur, salarium promittitur, aliaque id genus.

2. Manuscriptum *n^{o.} 4013 sign.* continet 46. paginas chartaceas et membranaceas (inde a folio 43. incipiunt paginæ membranaceæ). Altitudo eius implet 32 cm., latitudo 23·5 cm. Paginis 31—32, 36—37 et 42—43 singula fragmenta, numerorum signis non adscriptis, inclusa sunt.

Exaraverunt autem hunc codicem usque ad paginam 19. Vagnolus de Mevanea, dehinc Angelus de S. Victoria, quorum uterque Cardinalis Gentilis scriba erat.

Summa eius est hæc:

Fol. 1—15. Continent certas quasdam formulas tabularum varii generis atque eas quidem ex litteris authenticis transcriptas, quæ ex curia Cardinalis Gentilis prodierunt. (V. Appendicis n. I.) Quapropter de quinquaginta duabus tabulis ad formulas illas, quas paulo ante commemoravimus, constituendas pertinentibus, separatim agendum erat (paucis exceptis quas ad res externas spectare manifestum est, velut n°. 9, 10, 31, 32 sign.); sed maxima pars earum, cum nominibus omissis dies non sit adscriptus, speciem quandam formularum præ se fert. Ex quinquaginta duabus illis tabulis omnino quindecim reperiuntur, quæ partim ob nomina edita, partim ob diem adscriptum in temporis ordinem redigi potuerint. (Ex hoc genere sunt n°. X., XI., XII., XIII., XXVI., XXXI., XXXII., XL., XLIII., XLVIII., XLIX., L., LI., LII. et LVII. sign.)

Fol. 17—41. Magna lis inter septem decanatus Saxonum et capitulum Albense Transsilvanum facta. Ad quam litem etiam duæ tabulæ membranacæ paginis 43—44, et 45—46 inclusæ referuntur. (V. n. LIV.)

Maximam vero partem fragmenta paginis disperse inserta in earum rerum tractatione versantur, quæ ad singulos gradus in eodem lite servatos spectant. Præterea paginis 42—43. insertum reperitur privatum diploma Joannis de Aretio, Cardinalis Gentilis capellani, quo ei, utpote procuratori septem decanatuum Saxonicalium, salarium promittitur. Fragmentum vero paginis 36—37. insertum pauca quædam refert de lite illa Traguriensi adversus episcopum acta, quæ in codice n°. 3935. sign. obvia fit.

Pro cooperimento codicis dua folia membranacea habentur, quorum in uno nomina Cardinalium Gentili æqualium recensentur. (Nomen Gentilis sic exaratum occurrit: Frater G. de Monteflorum.) Inferius autem nota a Vagnolo de Mevanea addita legitur, qua Angelus, syndicus Spalatensis, alios procuratores in suum locum succedentes facit. (V. infra dipl. n°. LVIII. sign.)

Posterior vero cooperimenti pars litteras indulgentiales Cardinalis Gentilis ecclesiæ Segniensi datas continet, sed eius tertia fere pars, cum codex compingeretur, decisa est, quo facto in iis quædam desiderantur. Nihilo minus tamen damnum, formulis ex formulario depromptis, facili negotio potuit resarciri.

3. Cum his manuscriptis ipso genere congruit volumen quoddam in tabulario Vaticano asservatum et «*Papi Avignonesi. Clemens V. Pars I., II., III., IV. Tomus unicus*» inscriptum, quod recentiore tempore ex pluribus, qui toti ex sese apti erant libellis connexum atque consociatum, nunc 309. magnæ formæ paginis constat. Res autem ad legationem Cardinalis Gentilis pertinentes conscripsit Philippus de Cingulo, Cardinalis scriba.

Codice igitur varii argumenti hæc continentur:

Fol. 1—4. Causa episcopi Scardonensis adversus abbatem SS. Cosmæ et Damiani de Jadra acta (V. infra n. XXV.)

Fol. 5—10. Agitur causa Beghuinarum Budensium. (V. n. XXVII.)

Fol. 11. Testamentum Joannis (Vannis) de Bevenuto. (V. n. LXXV.)

Fol. 11—23. Agitur de fratre Benedicto, episcopo Transsilvaniæ electo. (V. n. XLIV.)

Fol. 24. Vacat.

Fol. 25—29. Causa ecclesiæ sanctæ Mariæ in arena Wratislaviensi. Agi cœpta Budæ d. m. Aprilis 12. a. 1309 — usque ad d. m. Augusti 25. e. a.

Fol. 30. Vacat.

Fol. 31—62. Continuatur lis Wratislaviensis d. m. Martii 9. a. 1310 usque ad d. m. Junii 10.

Fol. 63—83. Causa Ladislai, episcopi Syrmiensis, contra Angelum de Narnia, archidiaconum Nitriensem, de solvendis quibusdam debitis acta. (V. infra n. LXVI.)

Fol. 84—85. Vacant.

Fol. 86—98. Causa inter archiepiscopum Gnesnensem et episcopum Cracoviensem.

Fol. 99—101. Vacant.

Fol. 102—112. Continuatur lis quæ iam est commemorata.

Fol. 113—114. Vacant.

Fol. 115—117. Agitur de excommunicando Nicolao, cantore Quinqueecclesiensi. (V. n. LXX.)

Fol. 118—119. Vacant.

Fol. 120—122. Exitus litis Gnesnensis et Cracoviensis. Agi cœpta est Budæ d. m. Novembris 18, a. 1309. et ad finem perducta d. m. Januarii 13. a. 1310.

Fol. 123—124. Vacant.

Fol. 125—309. Rationes sedis apostolicæ recentiore tempore conscriptæ.

4. Postremum huius generis manuscriptorum est illud, quod in archivo Vaticano «*Processus Quinqueecclesiensis 1308—1309*» signatum asservatur. Hic enim libellus 22 exiguæ formæ paginis constat (pag. 14—22. vacant). Primis paginis continetur causa inter Petrum, episcopum Quinqueecclesiensem et Nicolaum, cantorem eiusdem ecclesiæ acta. (V. infra n. XLII.). Quem quidem libellum Vagnolus de Mevanea, causæ notarius, exaravit. Ipsum autem manuscriptum mancum est; adde etiam, quod causæ exitus, id quod in plerisque, quas commemoravimus, causis accidere solet, desideratur. De iis vero, quæ, cum iudicium ageretur, testes interrogati sunt, pauca quædam scripta leguntur in codice bibliothecæ Vaticanæ n°. 3935 signato.

Clementis V. pontificis Romani *Regesta* novem litteras pontificiales (brevia) reservabant (v. infra n. I—IX.), partim ad Cardinalem Gentilem, partim respectu legationis ad alios missas, quibus ei legationem in regno Hungariæ administrandam commisit, variaque per tempus legationis iura et privilegia dedit. Dolendum vero est, a fine voluminis epistolarum «de Curia» (anni Clementis V. secundi) plures paginas, quibus ipsius pontificis litteræ (brevia) ad Gentilem datæ continebantur, abesse; sed tamen exstat index voluminis eodem tempore compositus, unde certe earum epistolarum — sunt enim numero undecim — argumentum intelligi potest.[1] Præterea e Regestis pontificum etiam in Clementis VI. Pontificis reperitur memorabile quoddam diploma (Registrum Clementis VI. communium anni II. partis II. fol. 86—88), quod Cardinalis Gentilis constitutiones synodales, regno Poloniæ editas, sed etiam ad Hungariam spectantes, complectatur. Quæ constitutiones non nisi auctoritate Clementis VI. pontificis a. 1347. confirmatæ ad nos pervenerunt.

Sed tantum abest, ut constitutiones ad regnum Hungariæ pertinentes ad nostram memoriam manserint authenticæ, ut propingua ætate imitando exscriptæ non reperiantur. Eas enim codex in Vaticano tabulario asservatus, qui «*Liber Privilegiorum Romanæ Ecclesiæ. Tom. I—III*» inscribitur, comprehendit. Hic autem codex tribus constat amplis voluminibus, exeunte sæculo XV. conscriptis, quæ constitutiones ad Ecclesiam Romanam gravissimas, nec non statuta ac monumenta imitando exscripta collecta habent. Sed ut Regesta Pontificum epistolas a Curia datas comprehendebant, ita Liber Rubeus, Collectio Platinæ et Liber Privilegiorum Sixto IV. pontifice (a. 1471—1484) confectus, quidquid monumentorum

1 V. infra pag. 10, n. 1.

ad Curiam perlatum erat, complectebantur. In III. Libri Privilegiorum volumine pag. 192—202. inveniuntur acta, quorum nostra maxime intersit, dico constitutiones in synodo per Cardinalem Budæ convocato die 3. mensis Decembris a. 1308 factas et die 8. mensis Maii usque diem 14. Julii eiusdem anni publicatas (v. infra n. LXI.); præterea duo statuta minora Posonii edita (v. n. LXXX. et LXXXI.) Ipsum autem exemplum, etiamsi a Gentilis ætate duobus fere sæculis disiunctum, tamen ad fidem archetypi accurate descriptum esse, collatis inter se et autographis et quæ in Libro Privilegiorum conservata sunt apographis, facile intelligi potest, ita ut de fide eius dubitari nequeat.

Huc accedit etiam, quod codex *bibliothecæ Valicellianæ* Romanæ B. 12. signatus eodemque quo Liber Privilegiorum tempore exaratus ad tantam fidem Libri Privilegiorum tamque accurate descriptus est, ut etiam scripturæ menda retineret, unde perspicuum fit, eum a Libro Privilegiorum descriptum esse. Constitutiones vero, in Libro Privilegiorum obvias, in codice Valicelliano pag. 505—520. invenire possumus.

Quo magis dolendum est, *rationarii Cardinalis* GENTILIS, sermone Italico conscripti, unde quasi e suo et proprio fonte historia legationis sumi poterat, non nisi fragmenta ad nos pervenisse, quæ codice archivi Vaticani «Solutiones servitiorum et procurationum» inscripto et notis 313 A. signato continentur. Hoc rationarium haud dubie in monumentis gravissimi momenti est numerandum, ex quo, quamvis corrupto et mutilo, quanta tributa sacerdotes Hungariæ Cardinali ad legationis et apparatus aulici sumptus tolerandos, procurationis nomine, pependerint, intelligi potest. Exstant autem in diplomatis infra divulgatis quattuor apochæ, tributum hoc solutum testantes, ex quibus duæ episcopo Transsilvano, singulæ archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi datæ sunt. Hoc uno autem præstat vel maxime rationarium illud ceteris huc spectantibus diplomatis, quod etsi mancuum (ipse codex temporis iniquitate et humore misere fœdatus est), tamen ad ea, quorum adhuc imperiti et rudes fueramus, cognoscenda, plurimum valet. Causam vero, cur editores in prolegomenis ad historiam huius legationis fragmentum hoc in usum suum convertere non potuerint, in eo positam invenimus, quod hoc summæ auctoritatis monumentum, prolegomenis iam confectis, in lucem protractum est.

Atque pars ea, quæ ad Hungariam spectat, a codicis pagina 104. incipit (præcedit enumeratio pecuniarum in Italia Cardinali collectarum), facta mentione impendiorum, quibus Cardinali navigatio Neapoli Spaletum suscepta constitit; tum enumerantur tributa per triennium exacta, etiam

pecuniæ a Poloniæ sacerdotibus collectæ hoc rationario continentur, nec non earum pecuniarum summæ, quas Cardinalis exiens ab Italiæ ecclesiis accepit. Sed etiam alio in genere monumentum hoc plurimi est faciendum; eo enim adiuti possumus Cardinalis in Hungaria sese tenentis vestigia persequi, et pro certo dicere, quod iter exiens ingressus sit. Itaque eum itinera facientem usque ad Calium (Cagli) possumus prosequi, quo loco in fol. 192. codicis textus ad finem adducitur (hæ codicis paginæ 109—110, 124, 134, 136, 142—149, 154, 160, 163—170, 172, 173—174, 184, 188, 190 vacant); extremis paginis summæ pecuniarum a variis Italiæ ecclesiis collectarum continentur. De codicis autem dispositione monendum est, summam pecuniarum per singulas paginas subductam necnon summas, in textu obvias, in paginarum marginibus esse repetitas.[1]

Quod si ad ea, quæ dicta sunt, adiungimus, in rationario illo, quamvis misere manco, nomina multorum dignitate ecclesiastica ornatorum, quorum in aliis monumentis nulla omnino fit mentio, exstare, dubitari non potest, quin in hoc rationario illius ætatis quasi fons primarius manifesto deprehensus adpareat. (V. infra Appendicis n. II.)

In eodem modo venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, et aliis ecclesiarum prelatis sive rectoribus et eorum vices gerentibus, ac personis ecclesiasticis religiosis et secularibus, ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensium, Cluniacensium, Cartusiensium, Premonstratensium, sanctorum Benedicti et Augustini ac aliorum ordinum, nec non magistris et preceptoribus hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, Militie Templi, beate Marie Theotonicorum et Calatravensium, per regnum Ungarie ac partes Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galatie Cumanieque illi conterminas constitutis &c.

Rex excelsus &c., *ut in proxima superiori verbis competenter mutatis usque* non trahatur. Rogamus itaque Universitatem Vestram, et hortamur attente, per apostolica scripta Vobis firmiter precipiendo mandantes, quatenus eundem cardinalem, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc, Deo duce, pervenerit, benigne recipientes et honorifice pertractantes, sibi, tanquam apostolice sedis legato, pro ipsius sedis et nostra reverentia intendatis humiliter et devote, ipsius statuta, monita et precepta, et que Vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adimplendo. Alioquin sententias sive penas, quas ipse rite statuerit vel tulerit in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum *ut supra.*

III.

1307. 8. Augusti. Pictavii.

Clemens papa V. cardinalem Gentilem baronibus et sæculares dignitates regni Hungariæ tenentibus commendat.

(Arch. Vat. Registr. bull. Clementis V. anni II.)

In eodem modo dilectis filiis nobilibus viris universis comitibus, baronibus ac militibus et populis sive communitatibus castrorum et aliorum locorum per regnum Ungarie ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galatie ac Cumanie partes constitutis &c.

Rex excelsus &c. *ut in prima usque* pertinebunt. Quocirca Universitatem Vestram rogamus et obsecramus in domino Jhesu Christo, sano Vobis consilio suadentes, quatenus eundem cardinalem, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc, Deo duce, pervenerit, benigne recipientes et honorifice pertractantes, sibi, tanquam apostolice sedis legato, pro ipsius sedis et nostra reverentia intendatis efficaciter, eiusque salubribus monitis et consiliis, in hiis, que Vobis ex parte nostra retulerit, sic acquiescere studeatis, quod legatus ipse vestro fultus auxilio, in exequenda sollicitudine legationis ei tradite possit, cum adiutorio Dei, prosperari facilius, nosque Devotionis Vestre promptitudinem commendare merito valeamus. Datum *ut supra*.

IV.

1307. 8. Augusti. Pictavii.

Clemens papa V. cardinalem Gentilem duci Slavoniæ commendat.

(Arch. Vat. Registr. bull. Clementis V. anni II.)

In eodem modo dilecto filio nobili viro . . .[1] duci Sclavonie &c.

Rex excelsus &c. *usque* pertinebunt &c. Quocirca Nobilitatem Tuam rogamus et obsecramus in domino Jhesu Chisto, quatenus eundem

[1] Henricus banus Slavoniæ, magister tavernicorum, plurium comitatuum comes, circa ann. 1303—1310, unus e potentissimis baronibus.

cardinalem, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc, Deo duce, pervenerit, benigne recipiens et honeste pertractans, sibi, tanquam apostolice sedis legato, pro ipsius sedis et nostra reverentia, Te constituas verbo benivolum et vultu serenum, eius salubribus monitis et consiliis ac hiis, que Tibi ex parte nostra suaserit, ita efficaciter intendendo, quod cardinalis ipse tuo fultus auxilio, in exequenda sollicitudine legationis ei credite, possit, cum adiutorio Dei, prosperari facilius, nosque Tuam Nobilitatem dignis laudum preconiis proinde merito attollamus. Datum *ut supra*.

V.

1307. 8. Augusti. Pictavii.

Clemens papa V. cardinali Gentili concedit potestatem compellendi quascunque personas ecclesiasticas ad contribuendum in procurationibus sibi debitis.

(Arch. Vat. Registr. bull. Clementis V. anni II.)

Eidem legato.

Cum Te ad Ungarie, Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galatie, Cumanieque partes, Tibi commisso inibi plene legationis officio, pro urgentibus et arduis negotiis destinemus, ut in commissis Tibi negotiis eo possis prosperari facilius, quo maiori fueris per nos auctoritate munitus, Discretioni Tue compellendi venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos ac dilectos filios electos, abbates, priores, decanos, prepositos, archidiaconos, archipresbyteros, plebanos, et alios ecclesiarum prelatos et eorum vicesgerentes, ac personas ecclesiasticas, seculares et religiosas, ecclesiarum, monasteriorum, capitula et conventus, exemptos et non exemptos, Cisterciensium, Cluniacensium, Cartusiensium, Premonstratensium, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, magistros et preceptores hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theotonicorum et Calatravensis, tue legationis, per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus Tibi debitis, non obstantibus quibuslibet privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que in hac parte possent quomodolibet se tueri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Datum *ut supra*.

VI.

1307. 8. Augusti. Pictavii.

Clemens papa V. cardinali Gentili concedit potestatem petendi procurationes tam in absentia quam in præsentia.

(Arch. Vat. Registr. bull. Clementis V. anni II.)

Eidem legato.

Cum Te ad Ungarie et Polonie &c. *ut in proxima superiori usque* destinemus, quia in desideriis nostris geritur, ut, summotis impedimentis quibuslibet, huiusmodi negotia prosperum consequantur effectum, ut procurationes Tibi debitas, eadem legatione durante, tam in absentia, quam in presentia petere ac recipere libere valeas. Quocirca &c. *usque* compescendi, liberam Tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum *ut supra.*

VII.

1307. 8. Augusti. Pictavii.

Clemens papa V. cardinali Gentili concedit potestatem compellendi quascunque personas ecclesiasticas ad providendum nunciis suis.

(Arch. Vat. Registr. bull. Clementis V. anni II.)

Eidem.

Cum Te ad Ungarie &c. *ut in aliis usque* destinemus, ut in commissis Tibi negotiis eo possis prosperari facilius, quo maiori fueris per nos auctoritate munitus, Discretioni Tue compellendi auctoritate nostra per Te vel alium seu alios prelatos, cuiuscunque preminentie vel dignitatis extiterint, necnon personas quaslibet, tam Cisterciensium, Premonstratensium, Cluniacensium et aliorum ordinum, magistros quoque priores, preceptores et fratres hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, domus Militie Templi et quorumcunque hospitalium sive domorum, quam alias personas ecclesiasticas, cathedralium et aliarum ecclesiarum, sive monasteriorum exemptorum et non exemptorum, per censuram ecclesiasticam ad providendum in necessariis nunciis tuis, quos pro pre-

dictis Tibi commissis negotiis destinabis, non obstantibus quibuslibet privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que possent in hac parte quomodolibet se tueri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris deberet fieri mentio specialis, auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum *ut supra.*

VIII.

1307. 8. Augusti. Pictavii.

Clemens papa V. prælatis regni Hungariæ mandat, ut cardinali Gentili et nunciis suis subveniant.

(Arch. Vat. Registr. Clementis V. anni II.)

In eodem modo venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus, ac ecclesiasticis personis religiosis et aliis ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensium, Cluniacensium, Cartusiensium, Premonstratensium, sancti Benedicti et sancti Augustini ac aliorum ordinum, necnon magistris et preceptoribus hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, Militie Templi et beate Marie Theotonicorum, ad quos littere iste pervenerint &c.

Cum dilectum filium nostrum Gentilem tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, apostolice sedis legatum, ad regnum Ungarie ac alias partes pro magnis et arduis ecclesie Romane negotiis destinemus, Universitatem Vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica Vobis scripta mandantes, quatenus dictum legatum, immo potius nos in ipso, cum per partes vestras transitum fecerit, ob reverentiam apostolice sedis et nostram benigne recipientes et honeste tractantes eundem, sibi pro suis et familie sue necessariis et securo conductu, necnon in evectionibus oportunis, si sue in via decesserint vel defecerint, aut alias tuerint impedite, cum super hiis fueritis per ipsum vel eius nuncium requisiti, in eundo, morando et redeundo liberaliter providere curetis. Et si eundem legatum in aliquibus locis vel loco interdum moram contrahere contigerit, volumus, quod non solum earundem eisque vicinarum vel adiacentium partium, set aliarum etiam, sicut eidem legato pro huiusmodi oneribus dividendis et

facilius supportandis expedire videbitur, remotarum, patriarche, archiepiscopi, episcopi, electi, abbates, priores, decani, prepositi, archidiaconi, archipresbyteri, plebani, et alii ecclesiarum prelati, eorumque vices gerentes, ac persone ecclesiastice, religiose et seculares, ecclesiarum et monasteriorum capitula et conventus, exempti et non exempti, Cisterciensium, Cluniacensium, Cartusiensium, Premonstratensium, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, necnon magistri et preceptores hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, Militie Templi et sanctę Marie Theotonicorum, et aliorum quorumcunque locorum ecclesiasticorum, contribuere in subventionibus huiusmodi teneantur. Sic itaque mandatum nostrum efficaciter adimplere curetis, quod possitis exinde merito commendari. Alioquin sententiam, quam idem legatus propter hoc rite tulerit in rebelles, ad quod ei plenam concedimus auctoritate presentium potestatem, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari. Non obstantibus, si aliquibus est ab eadem sede indultum, quod legatis vel nunciis sedis ipsius aliquam procurationem exhibere vel in ipsa contribuere, nisi ad eos declinaverint, minime teneantur, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi totoque tenore ipsius plenam et expressam non fecerint mentionem, sive aliquibus privilegiis vel indulgentiis, quibuscunque personis, locis vel ordinibus, sub quavis forma verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus in nostris litteris similis mentio sit habenda, et per que presens mandatum nostrum quomodolibet valeat impediri. Datum *ut supra.*

IX.

1307. 8. Augusti. Pictavii.

Clemens papa V. cardinali Gentili concedit facultatem iniungendi prælatis et aliis personis prosecutionem officii sui.

(Arch. Vat. Registr. bull. Clementis V. anni II.)

Eidem.

Cum Te ad Ungarie &c. *usque* destinemus, in desideriis nostris geritur, ut summotis impedimentis quibuslibet, huiusmodi negotia prosperum consequantur effectum. Quare iniungendi prelatis et personis Predicatorum, Minorum, Cisterciensium, Cluniacensium, Premonstraten-

sium, Cartusiensium, sanctorum Benedicti et Augustini, beate Marie Theotonicorum, hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani . . .[1]

X.

1308. 30. Maii. Spaleti.

Mandatum cardinalis Gentilis apostolicæ sedis legati ad archiepiscopum Colocensem et eius suffraganeos de reservatione beneficiorum.

(Bibliotheca Vatic. Cod. 4013. Fol. 4—5.)

Frater Gentilis &c. Venerabili in Christo patri...[2] archiepiscopo Colocensi et eius suffraganeis, seu eorum vices gerentibus, salutem et sinceram in Domino caritatem. Etsi causarum varietas ex emergentium negotiorum perplexitate nobis materiam continue meditationis adducat, assidua tamen meditatione pensamus, qualiter in regno Ungarie, ac in Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galatie, Cumanieque partibus illi conterminis, in quibus auctoritate apostolica plene legationis officium gerimus, degentes, clerus et populus, quorum nos specialiter cura solicitat, sic tranquillitatis decore prepolleant, ut sub nostri cura regiminis pacis opulentia gaudeant, ac in spiritualibus et temporalibus donis gratuitis, auctore Domino, augeantur. Proponentes igitur de habundantia gratie nobis legationis auctoritate, ab apostolica

1 Hic explicit volumen registrorum Clementis papæ V. anni secundi; tenor litterarum reliquarum e curia Clementis ad cardinalem Gentilem causa legationis suæ datarum tantum in rubricis, initio anni secundi Clementis V. habitis, potest inveniri. Quod sic sequitur:

Rubrice litterarum de curia domini Clementis pape V. anni secundi.

XXIX. Eidem legato, quod possit iniungere prelatis et aliis personis, quemcumque viderit expedire, prosequutionem officii sui, et eos ad hoc compellere.

XXIX. Eidem, quod possit celebrare in locis interdictis.

XXIX. Eidem conceditur, quod si forte contingat eundem egredi terminos legationis, possit ad eosdem reingredi.

XXIX. Eidem, quod possit concedere indulgentias porrigentibus manus adiutrices ad fabricas ecclesiarum.

XXIX. Eidem, quod possit predicare per se vel alium contra hereticos.

XXIX. Eidem, quod possit providere certis personis de beneficiis in certis provinciis.

XXIX. Eidem, quod possit dispensare super defectu natalium.

XXIX. Eidem, quod possit exercere censuram ecclesiasticam in omnes iniuriantes ei et familie sue.

XXIX. Eidem, quod possit sibi eligere confessorem.

XXIX. Eidem, quod possit exercere censuram ecclesiasticam in archiepiscopos, episcopos, reges et comites, cum viderit expedire.

XXX. Eidem, declaratur, quod propter specialia sibi concessa non impediatur, que sibi competunt ex officio suo.

2 Vincentius prius custos ecclesiæ Albensis, post archiepiscopus Colocensis, cancellarius regius, 1307—1310.

sede concesse, clericos et personas ecclesiasticas ipsorum regni et partium participes reddere, ac in ipsos, iuxta status cuiusque decentiam et meritorum exigentiam eorundem, grata liberalitate transfundere, ut quo magis a nobis se honorari perspexerint, eo amplius in Dei et sancte Romane ecclesie devotione crescentes, circa statum Ungarie regni et partium predictorum pacificum solicitis promovendum studiis fortius animentur, in singulis ecclesiis cathedralibus et collegiatis regni et partium eorundem singulas dignitates, personatus, canonicatus, prebendas vel beneficia, cum cura vel sine cura, primo vacaturos vel vacatura, illis duntaxat dignitatibus capitulorum ecclesiarum exceptis, ad quas hii, qui preficiuntur eisdem maiores in earum capitulis post episcopos existentes, habent per viam electionis assumi; necnon singula beneficia et ecclesias, cum cura vel sine cura, personatus et dignitates primo vacatura vel vacaturos, ad singulorum vel singularum personarum, conventuum, capitulorum vel collegiorum collationem vel quamvis dispositionem communiter vel divisim spectantia vel spectantes, quocunque locorum extra dictas cathedrales et collegiatas ecclesias in regno et partibus supradictis extiterint, exceptis ecclesiis collegiatis et aliis, quibus cura imminet animarum, quarum fructus, redditus et proventus decem marcharum argenti, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, conferendos et conferenda personis ydoneis, et precipue regni et partium predictorum, ut ad divini cultum nominis et devotionem prefate sedis inducantur attentius, collationi ac provisioni nostre, auctoritate qua fungimur, felicis recordationis domini Benedicti pape XI., qui dum in minori officio constitutus, in prefatis regno et partibus legationis officio auctoritate simili fungeretur,[1] similem reservationem fecisse dicitur in hac parte, vestigiis inherentes, tenore presentium reservamus. Cumque preterea de omnibus et singulis dignitatibus, personatibus et ecclesiis, cum cura vel sine cura, videlicet non collegiatis, canonicatibus et prebendis, sive in dictis cathedralibus et collegiatis, sive alibi ubicunque consistentibus, que infra terminos nostre legationis vacare noscuntur ad presens, ad cuiuscunque persone ecclesiastice, capituli, collegii vel conventus collationem vel quamvis dispositionem spectantibus, prefata consideratione moti, decrevimus ordinare. Idcirco Vobis et vestrum cuilibet, et generaliter omnibus et singulis vestre iuris-

1 Nicolaus Bocasinus episcopus card. Ostiensis (1300—1303), anno 1301. legatus sedis apostolicæ in Hungaria. Post autem, ut Benedictus XI. papa 1303. 22. Oct.—1304. 4. Julii.

dictioni subiectis tenore presentium inhibemus, ne ad ipsorum vel alicuius eorum collationem, provisionem vel quamvis dispositionem per Vos vel ipsos, aut per aliquem seu aliquos vestrum vel ipsorum aliquatenus procedatur, nec de ipsorum collatione, provisione vel quavis ordinatione aliquid quomodolibet attemptetur. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus a quocunque contra huiusmodi reservationis et inhibitionis nostre tenorem contigerit attemptari. Ut autem huius nostre reservationis et inhibitionis forma in notitiam devenire valeat singulorum, nec possit aliqua circa predicta ignorantie causa pretendi, volumus ac Vobis ac cuilibet vestrum presentium tenore mandamus, quatenus infra unius mensis spatium a receptione presentium computandum, clero vestrarum civitatum et diocesium ad hoc specialiter congregando, huiusmodi litteras nostras sollenniter publicetis; facientes fieri de publicatione huiusmodi publicum documentum mittendum nobis fideliter ad cautelam. In cuius rei testimonium et ad futuram memoriam presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum Spaleti, III. kalendas Junii, pontificatus domini Clementis pape V. anno III.

XI.

1308. circa 30. Maii—14. Junii. Spaleti.

Cardinalis Gentilis episcopo Traguriensi committit dispensationem Thomasii Jacobini, clerici Traguriensis, super defectu natalium.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. Fol. 1.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, venerabili in Christo patri...[1] episcopo Traguriensi salutem in Domino. Constitutus in nostra presentia dilectus in Christo filius Thomas Jacobini clericus, officiator in vestra Traguriensi ecclesia, nobis humiliter supplicavit, ut cum eo super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, huiusmodi non obstante defectu, possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dispensare misericorditer dignaremur. Ad Vos igitur remittentes eundem, Paternitati Vestre, qua fungimur auctoritate, presentium tenore committimus,

1 Liberius episcopus Traguriensis, prius abbas s. Benedicti, a. 1297 electus, c. a. 1319 mortuus.

quatenus consideratis diligenter circumstantiis universis, que circa ydonitatem persone fuerint attendende, si paterne non est incontinentie immitator, sed bone conversationis et vite, super quibus tuam conscientiam oneramus, aliasque sibi merita suffragantur, ad dispensationis gratiam obtinendam secum super premissis auctoritate nostra dispensetis, prout secundum Deum anime tue saluti videris expedire. Ita tamen, quod idem clericus, sicut requiret onus beneficii, quod eum post dispensationem huiusmodi obtinere contigerit, ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri, et personaliter resideat in eodem. Alioquin huiusmodi gratia, quo ad beneficium ipsum, nullius penitus sit momenti. Datum Spaleti &c.

Dispensatio auctoritate predictarum literarum per Liberium episcopum Traguriensem facta.

Liberius Dei gratia episcopus Traguriensis, dilecto in Christo sibi Thomasio Jacobini officiatori in nostra ecclesia Traguriensi, salutem in Domino sempiternam. Illegitime genitos, quos vite decorat honestas, nature vitium minime decolorat, quia decus virtutis geniture maculam astergit in filiis, et pudicitia morum pudor originis aboletur. Sane nobis per Te litteris presentatis ex parte venerabilis patris domini G.[1] &c. presentibus annotatis, de tua vita et honesta conversatione iuxta tenorem ipsarum litterarum inquisitionem fecimus diligenter, in qua Te fore invenimus bone conversationis et vite, et paternam continentiam non immitari, prout constat ex proborum et bonorum virorum testimonio, qui super predictis coram nobis perhibuerunt testimonium veritati. Cum itaque Tibi predicta et alia tua merita suffragentur, auctoritate nobis in hac parte commissa super defectu natalium, quem pateris de soluto genitus et soluta, quod possis ad omnes ordines promoveri, et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam animarum habeat, si ad illud canonice contigerit Te vocari, Tecum dispensamus, defectu huiusmodi non obstante. In cuius rei testimonium et tui cautelam, presentes litteras in publicam formam redigi, et nostri sigilli fecimus appensione muniri, et litterarum dicti domini legati seriem predictarum presentibus annotari mandavimus per notarium infrascriptum. Quarum tenor talis est:

Et ego . . . notarius.

1 Gentilis.

XII.

1308. 11. Junii. Spaleti.

Cardinalis Gentilis cuidam canonico Cumano committit visitationem ecclesiarum et monasteriorum in dioecesi Spalatensi existentium.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. Fol. 2.)

Frater Gentilis etc. Discreto viro magistro . . . canonico Cumano[1] salutem in Domino. Inter sollicitudines alias nobis ab apostolica sede commissas, illa precipue insidet cordi nostro, ut circa singulas ecclesias et monasteria, infra legationis nostre terminos constituta, sedulo vigilantes, intuitu illorum profectibus intendamus, ut in eis videlicet divini cultus decor excrescat, debita religio vigeat, et refloreat honestatis ecclesiastice pulcritudo. Sane pervenientes nuper, duce Deo, Spaletum, ubi contraximus per aliquos dies moram,[2] intendentes ad civitatem Jadriensem[3] in proximo proficisci, de statu igitur monasteriorum, monachorum civitatis et diocesis Spaletane, aliarumque civitatum et diocesis de Spaleto usque Jadriam consistentium habere notitiam cupientes, ut si qua in eis reformatione indigent, salubriter, auctore Domino, per nostrum ministerium reformentur; Discretioni Tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, presentium tenore, qua fungimur auctoritate, committimus et mandamus, quatenus ad ipsa monasteria eorumque singula, de quibus et quando expedire videris, Te personaliter conferens, per iuramentum et excommunicationis penam compellas personas ipsorum super capitulis, que Tibi in quadam cedula sub sigillo nostro tradidimus, et super hiis etiam, que sciunt et credunt reformanda esse in dictis monasteriis, tam in capite quam in membris, plenam ac meram dicere veritatem. Earum quoque dicta facias redigi sollicite in scripturam; ut tam ex illis, quam ex tua relatione fideli super predictis informationem plenariam habeamus. Datum Spaleti, III. idus Junii, anno Domini MCCCVIII. Pontificatus domini Clementis pape V. anno III.

1 Episcopatus Cumanorum, in Moldavia situs, sæculo XIII. erectus est. Ultima mentio huius episcopatus est a. 1327. (V. Fejér. Cod. dipl. VIII. 3. 241.)

2 1308. 30. Maii—14. Junii.

3 Zara.

Capitula visitationis sunt hec:

In primis, si circa divina officia tam in ecclesiis, ubi abbates morantur, quam in aliis earundem subiectis, nocturna et diuturna sollennitas celebratur, et si divinus cultus rite secundum canonicas sanctiones servantur.

Item si reliquie sanctorum loco debito et honesto servantur.

Item si corpus Domini nostri Jhesu Christi ad conservationem infirmorum debito et honesto modo servatur.

Item si paramenta et apparatus altarium honesto modo conserventur.

Item si luminaria et alia, que sunt necessaria circa cultum divinum, iuxta facultates ecclesie observentur, et conserventur debito et honesto modo.

Item si in ecclesiis et extra ecclesias in decentibus habitibus et tonsuris morantur et incedunt.

Item si aliqui eorum suspensi vel excomunicati ad minores vel sacros ordines sunt promoti.

Item si [per] simoniam ad ordines seu ad dignitates vel ad alia ecclesiastica beneficia vel monachatus sunt promoti.

Item si publice ad se admittant mulieres illicito et inhonesto modo et loco suspecto.

Item si publice concubinas tenent.

Item si ad azardum sive ad taxillos publice ludunt vel occulte.

Item si usuras et indebitas exactiones et mercationes exerceant per se, vel per alios ad eorum utilitatem facientes exerceri.

Item si pirates vel robatores extra vel in mari sint vel fuerint.

Item si suspensi vel excommunicati divinis officiis se immiscunt.

Item si aliquam coniurationem in quacunque et super quacunque re, contra quacunque et pro quacunque persona facta fuerit.

Item si tabernas, in quibus publice vinum venditur, inhonesto modo intraverunt, absque itineris necessitate.

Item si debito modo thesaurus ecclesie et monasterii et sanctorum reliquie conservantur.

Item si aliquis de conventibus eorundem vel aliunde furto vel alio modo alienaverit, pignoraverit seu distraxerit thesaurum earundem ecclesiarum.

Item si bona mobilia et immobilia per abbates, priores, monachos et conventus ecclesiarum eorundem monasteriorum manuteneantur et defendantur.

Item si bona mobilia monasteriorum et ecclesiarum eorundem sint alienata vel distracta, quod ipse abbas, prior, monachi, conventus sciant, per quancunque personam, cuiuscunque status vel conditionis existant,

Et generaliter super omnibus excessibus et delictis, per supradictos vel aliquem ipsorum commissis in ecclesiis vel extra, que impediant vel impedire possint pacificum et honestum statum ecclesie et monasteriorum predictorum.

XIII.

1308. 12. Junii. Spaleti.

Cardinalis Gentilis ad supplicationem Thomæ episcopi Veglensis monasterium s. Mariæ de Castellione mensæ episcopali prædictæ annectit et unit.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. Fol. 3—4.)

Frater Gentilis &c. Venerabili in Christo patri domino fratri Thome episcopo Veglensi,[1] salutem et sinceram in Domino caritatem. Ut universalis ecclesie pulcritudo membris effigiata distinctis, que non eundem actum habentia invicem sibi unanimi caritate ministrent, non solum conservetur integrius, verum etiam officiosius operetur, diversis insignitur titulis dignitatum, quibus viri digni decorati decenter, secundum differentes datas a Domino gratias, in ea, qua vocantur, vocatione, digne studeant Domino famulari, non solum ipsis sed aliis spiritualiter proficere satagendo. Verum ne vilescat auctoritas dignitatum, expedit, ut cui datur officii dignitas, congrue substentationis beneficia tribuantur, cum sine re titulus potius sit oneri, quam honori, nec membrum vigere, immo nec subsistere valeat, cui debitum subtrahitur nutrimentum. Supplicasti siquidem nobis, ut cum episcopalis mense tui episcopatus redditus et proventus adeo sint tenues et exiles, quod vix potes exinde vel exiliter substentari, providere Tibi in hac parte de speciali gratia dignaremur. Sane monasterio sancte Marie de Castellione, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, vigere solito hactenus observantia regulari, bonisque plurimis ad substentationem in illo Christo famulantium habundare, quod nunc propter defectum et ignaviam eorum, qui ei pro tempore preruerunt, et monachorum immo apostatarum et fugitivorum, ad tempus moran-

[1] Thomas episcopus Veglensis, ordinis s. Francisci, ab a. 1308. mort. c. a. 1311.

tium in eodem, a quibus etiam in illo veneratione condigna non colitur divine gloria maiestatis, sic in spiritualibus et temporalibus noscitur miserabiliter diminutum, quod nisi ei celeriter succurratur, antequam in residuum bonorum ipsius consumptiva scintillula debachetur, vix adicere poterit, ut resurgat, per liberam resignationem dilecti in Christo filii fratris Thome, qui gerebat se pro abbate dicti monasterii, in manibus nostris sponte factam et a nobis receptam, vacante, nos volentes non tam tuis, quam successorum tuorum episcoporum Veglensium, qui pro tempore fuerint, necnon eiusdem monasterii commodis in hac parte utiliter providere, monasterium ipsum cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, possessionibus, bonis et pertinentiis suis, predicte mense episcopali Veglensi in perpetuum annectimus et unimus. Ita quod Tu et successores ipsi disponatis et ordinetis libere, eorumque fructus convertendos in utilitatem predicte mense, ac tui et tuorum successorum substentationem et usum, sicut alia bona et fructus ad mensam ipsam spectantia cum integritate habere et percipere valeatis. Proviso, quod in eodem monasterio servitores ydonei deputentur, ac divinus cultus et animarum cura, si eidem monasterio imminet, in eo nullatenus negligantur. Quodque Tu et successores predicti studeatis bona et iura prefati monasterii servare penitus illibata, ac deperdita et alienata illicite pro posse ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime revocare; monachos vero, si qui presentialiter in eodem monasterio commorantur, in aliis locis et monasteriis consimilis ordinis, tue et aliarum diocesium propinquarum, per Te vel per alium seu alios, auctoritate nostra, studeas collocare. Contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. In cuius rei testimonium et ad futuram memoriam presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum Spaleti, II. idus Junii, pontificatus domini Clementis pape V. anno tercio.

Cardinalis Gentilis unionem predictam per abbatem monasterii s. Michaelis et archidiaconum Veglensem exequi mandat.

Frater Gentiis &c. Dilectis in Christo filiis religioso viro fratri . . abbati monasterii sancti Michaelis, ordinis sancti Benedicti, et discreto viro . . . archidiacono Veglensi, salutem in Domino. Ut universalis ecclesie pulcritudo, membris effigiata stinctis &c. *usque* compescendo *verbis competenter mutatis.* Quocirca Discretioni Vestre, qua fungimur auctoritate, presentium tenore committimus et mandamus, quod Vos vel alter vestrum, per Vos vel per alium seu alios, prefatum episcopum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prefati

monasterii, ac omnium iurium, iurisdictionum, possessionum, bonorum et pertinentiarum predictorum inducatis, prefata auctoritate, et defendatis inductum; facientes ipsum vel dictum procuratorem suum, eius et prefate mense nomine, ipsorum pacifica possessione gaudere. Contradictores per eandem censuram ecclesiasticam compescendo. In cuius rei testimonium et ad futuram memoriam fecimus presentes litteras sigilli nostri munimine roborari. Datum Spaleti, II. idus Junii, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

XIV.

1308. 14. Junii—23. Augusti. Spaleti, Tragurii, Scardonæ, Segniæ.

Processus inter capitulum Traguriense et episcopum Traguriensem super possessione prædii Dryd coram cardinale Gentile peractus. [1]

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. Fol. 1—4.)

Die XIIII. mensis Junii, constitutus coram supradicto domino fratre Gentile cardinale, apostolice sedis legato, venerabili in Christo patre domino L.[2] episcopo Traguriensi pro se ipso et episcopatu eius, ex parte una, ac dominis Lampredio primicerio, procuratore et syndico Traguriensis,[3] ac Casariza archidiacono nomine suo et procuratorio nomine Marini eius nepotis, pro dicto capitulo et ecclesia Traguriensi, ex parte altera, eedem partes, quia alte et basse ac communiter et concorditer in ipsum dominum legatum, tanquam in arbitrum et arbitratorem, compromiserant de questione, quam inter se habebant nomine ecclesie cum dicto episcopo super possessione predii Dryd, compromissum factum per eos in ipsum dominum legatum publicum, ut prima facie apparebat, scriptum et publicatum per me, Phylippum Compagnoni de Cingulo, publicum apostolica et imperiali

[1] Initio huius codicis leguntur sequentia:
In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione sexta, pontificatus domini Clementis pape anno tertio, diebus et mensibus infrascriptis. Hic est liber sive quaternus litterarum, commissionum, citationum, relationum, instrumentorum et aliarum diversarum scripturarum factarum coram reverendo in Christo patre et domino domino fratre Gentile Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato, in officio sue legationis, et per eum ac eius auditores, videlicet dominum Phylippum de Sardinia et dominum Vannem de Aretio *(hodie Arezzo in Italia)* capellanos et auditores ipsius, et scriptus per me Phylippum de Cingulo *(hodie Cingoli in Ital.)* notarium et familiarem ipsius domini legati et de suo mandato.

[2] Liberio.

[3] Lampredius a. 1304. electus Phariensis (hodie insula Lesina), sed electio hæc per Petrum archiepiscopum Spalatensem non fuit approbata. Post mortem Liberii episcopi Traguriensis, hanc sedem obtinuit a. 1320—1349.

auctoritate notarium, presentarunt ipsi domino legato, petentes dictam causam expediri; produxit etiam idem primicerius quoddam instrumentum procurationis, facte per nonnullos canonicos de dompno Johanne diacono, canonico Traguriensi, scriptum et publicatum manu Syrocti Petri publici imperiali auctoritate notarii, et quoddam aliud instrumentum substitutionis de ipso primicerio, facte virtute supradicti alterius instrumenti procurationis, scriptum et publicatum per me Phylippum de Cingulo notarium supradictum, sub supradicto millesimo . . . die XIII. presentis mensis Junii; dictus vero archidiaconus produxit instrumentum procurationis, facte de eo per supradictum dompnum Marinum, scriptum et publicatum per supradictum Syroctum die XI. predicti mensis Junii; quod quidem compromissum prefatus dominus legatus ad se recepit et procurationes predictas, mandans ipsis partibus, ut studerent facere eorum allegationes, et eas dare sibi seu eius auditori apud Tragurium. Actum Spaleti in palatio communis, presentibus venerabili patre domino fratre Thoma episcopo Veglensi, domino Olverio de Ancona potestate Tragurii, ac magnifico viro domino Georgio, filio bani Pauli, comite Dalmatie, testibus, et aliis pluribus.

Item, die XIIII. supradicti mensis Junii, apud palatium communis Spaleti, in camera ipsius domini legati, presentibus supradictis domino episcopo et primicerio ac archidiacono, dominus frater Petrus[1] archiepiscopus Spalatensis, tanquam archiepiscopus et metropolitanus de Tragurio, compromissum factum per ipsas partes in dominum legatum predictum alte et basse de questione predicta, predii Dryd, ratificavit, approbavit, et quantum in se erat, confirmavit. Actum Spaleti ut supra, presentibus domino Oliverio potestate Tragurii, Gregorio domini Luce, et Francisco Valentini de Tragurio, ac domino Bonisegna de Perusio camerario supradicti domini legati, testibus. Et ego Phylippus Compagnoni de Cingulo rogatus scribere scripsi.

Insuper die Lune, XVII. supradicti mensis Junii, apud palatium communis Traguriensis coram supradicto domino legato comparuerunt supradicti dominus episcopus, ex parte una, et domini Lampredius et Casariza primicerius et archidiaconus, syndici et procuratores predicti, ex parte altera, et petierunt in dicta causa compromissi procedi et eam expediri, et produxerunt dicti procuratores quoddam privilegium regale cum bulla aurea pendenti bullatum, factum et datum super concessione

1 Petrus IX. archiepiscopus Spalatensis, ordinis s. Francisci. Elect. a. 1297. mort. c. a. 1324.

dicti predii Drid, et quoddam aliud privilegium sive litteras, duobus sigillis pendentibus sigillatum, scriptum per Gausigna primicerium Traguriensem. Et idem dominus legatus ad dandum eorum allegationes omnes, quoscunque voluerint dare verbo et scriptis, ad cras terminum peremptorie assignavit; committens idem dominus legatus in presentia supradictarum partium domino Phylippo de Sardinia auditori suo, ut dictas partes et causam audiret usque ad eius decisionem, et faceret ea, que fuerint facienda, ad indagandum melius veritatem in predictis.

Item die Martis, XVIII. supradicti mensis Junii, apud maiorem ecclesiam Traguriensem, coram prefato domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, comparuerunt supradicte partes, quibus idem dominus auditor ad producendum omnia alia eorum iura, privilegia et instrumenta, quibus uti intendebant super dicta causa, et ad dandum eorum allegationes, ad cras peremptorie terminum assignavit. Et dictus dominus episcopus tunc quandam eius petitionem exhibuit in scriptis, de qua eisdem syndicis et procuratoribus copia facta fuit, cuius petitionis tenor talis est:

(Petitio episcopi.)

Coram Vobis, venerabili patre domino fratre G.[1] tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato, compromissario et amicabili compositore super questione, que vertitur inter Liberium episcopum Traguriensem ex una parte et capitulum dicte ecclesie ex altera, super fundo Drid, vestroque auditore et curia, dictus episcopus petit et supplicat, quod dignemini, deposito perpetuo silentio dicto episcopo super fundo prefato, pronunciare et laudare dictum episcopum, nomine suo et mense episcopalis Traguriensis, non debere per dictum capitulum vel aliquam aliam personam vel universitatem, nunc vel aliquo tempore molestari vel turbari in proprietate sive possessione fundi vel alicuius partis eiusdem, sed debere gaudere pacifica et quieta possessione totius dicti fundi, ut aliorum bonorum ad dictam mensam spectantium; quod autem ita sit pronunciandum et laudandum, de iure patet, pluribus iuribus, rationibus et inconvertibilibus argumentis, inter que, ne ipsorum pluralitate gravemini, salvis tamen aliis suo loco et tempore, si expedierit, proponendis, unum ad presens allegat dictus episcopus, legitimam scilicet prescriptionem illius partis dicti fundi, de qua sibi per

1 Gentile.

dictum capitulum controversia mota est; dicit enim predictam fundi partem, de qua est questio, per predecessores suos et se, nomine suo et mense prefate, eo modo et ordine esse prescriptam, quam prescriptionem iura permittunt; de qua prescriptione paratum se offert Vobis eam fidem facere, que sufficiat ad victoriam sue cause, dato sibi per Paternitatem Vestram ad hec termino competenti. Item allegat propterea dictus episcopus, quod dum dictus fundus esset occupatus per quendam nobilem, dominus Treguanus tunc episcopus Traguriensis,[1] redimendo vessationem suam, dedit et solvit eidem nobili de bonis episcopi et mense libras trecentas ad hoc, ut dictus nobilis ipsum fundum eidem episcopo restitueret, et ipsum ulterius non molestaret super ipso.

Die Mercurii, XIX.[2] supradicti mensis Junii, coram prefato domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente in ecclesia Traguriensi, comparuerunt supradicte partes, utraque allegationes in scriptis dedit, dicentes, quod privilegia superius producta pro parte dictorum procuratorum et capituli iterato ipsi syndici producebant; dictus vero episcopus prescriptionem allegavit, offerens se eam probare paratum infra terminum competentem; dicens etiam, quod privilegium regale pro eo faciebat, et quod aliud privilegium sive instrumentum non erat autenticum, nec sibi preiudicabat. Et produxit idem episcopus quoddam privilegium commune, papale, bullatum bulla papali Clementis IIII.[3] ad victoriam sue cause. Quibus partibus satis hinc et inde verbo et in scriptis allegantibus, statuit idem dominus auditor terminum peremptorie ad recipiendum copiam predictarum allegationum ad cras per totam diem; et ad dicendum super ipsis contra, quicquid hinc inde aliud dicere voluerint verbo et in scriptis, ad diem Veneris proxime nunc venturam, terminum peremptorie assignavit.

Die Veneris, XXI.[4] supradicti mensis Junii, comparuerunt eedem partes coram dicto domino Phylippo auditore, parati in dicta causa procedere, ac petentes dictum negotium expediri, dicentes unus contra alterum, quod obiecta per alteram partem non obstabant. Et dictus dominus auditor dixit, quod volebat omnia producta et allegata videre et examinare, et de ipsis dominum legatum informare. Dictus vero dominus episcopus, semper dictam prescriptionem allegando, petiit terminum competentem ad probandum eandem; pars vero dicti capituli, contra dictum

1 Treguanus episcopus Traguriensis, elect. a. 1206. mort. circa a. 1254.
2 In codice erronee XII.
3 Clemens papa IV. 1265. 5. Febr.—1268. 29. Nov.
4 In codice erronee XIIII., quod e præfixis terminis facile corrigi potest.

episcopum obiciendo, proposuit et dixit, quod ipse episcopus non poterat prescribere ius ecclesie, et quod talis etiam prescriptio interrupta fuerat, offerens se illud, si necesse fuerit, legitime probare.

Die XXVI. mensis Junii predicti, apud Scardonam, comparentibus coram supradicto domino legato et domino Phylippo eius auditore dicte partes (*sic*), dominus episcopus petivit sibi competentem terminum exhiberi, ad probandum prescriptionem allegatam per eum; procuratores vero dicti capituli, allegantes contrarium, proposuerunt et dixerunt, quod dictus episcopus ad dictam prescriptionem allegatam, probandam, audiendus seu admittendus non erat, cum si eam probare posset, quod negarunt, ipsum non relevaret; cum non posset bona ecclesie, ipso episcopo existente, pro se et in eius utilitatem prescribere, et si prescripsisset, pro eadem ecclesia et eius fabrica prescripsit. Sed si admittendus esset, vel admitteretur per ipsum dominum legatum, dixerunt ipsam prescriptionem interrumptam fuisse, et illam offerebant se paratos probare. Dictus vero dominus legatus, non preiudicando iuri dictarum partium, statuit terminum unius mensis dictis partibus et ipsarum cuilibet, ad probandum prescriptionem et interrumptionem predictas, et de predictarum partium voluntate, examinationem testium faciendam in predictis, commisit idem dominus legatus religiosis viris fratri . . . priori loci fratrum Predicatorum de Spaleto ac fratri Duymo de Spaleto ordinis Minorum secundum formam litterarum ipsius domini legati, quas eisdem fratribus super dicta receptione testium concessit.

(Representatio actorum.)

Item die Dominico, XXVIII. mensis Julii, quidam clericus, nuncius prioris Predicatorum et fratris Duymi de ordine Minorum, iudicum super examinatione testium in supradicta causa recipiendorum, quasdam scripturas et dicta testium, sigillatas sigillis supradictorum fratrum examinatorum, in presentia episcopi Traguriensis et procuratorum capituli representavit, una cum litteris ipsius prioris et fratris Duymi, que omnia aperienda et discutienda et aliter prosequenda idem dominus legatus tradidit et commisit domino Phylippo de Sardinia auditori suo, ibidem presenti, usque ad dicte cause decisionem.

(Citatio ad sententiam audiendam.)

Die Veneris, XXIII. mensis Augusti, ante missam, apud civitatem Segniensem, supradictus dominus legatus commisit et mandavit Gratiolo

de Luca, nuncio et cursori suo, ibidem presenti, quod statim iret et citaret Vagnolum de Meuania[1] procuratorem episcopi Traguriensis ac dominum Casarizam archidiaconum et Lampredium primicerium, procuratores ecclesie Traguriensis, ut ipso die et mane, statim post missam, coram eo legitime et peremptorie comparerent, audituri sententiam et laudum seu arbitrium, quam vel quod idem dominus legatus super et [de] causa, que inter ipsos vertebatur super predio Drid *(sic)*. Alioquin ipsa sententia, laudum sive arbitrium feretur, eorum absentia non obstante. Qui cursor iens et rediens statim, retulit dicto domino legato et mihi Phylippo de Cingulo, notario suo et dicte cause, se citasse predictos omnes personaliter inventos secundum formam dicte commissionis sibi facte.

(Promulgatio sententie.)

Eodem die post missam, in publica sala et publice, presentibus supradictis procuratoribus, prefatus dominus legatus pro tribunali sedens, in scriptis super dicta causa sententiam seu laudum tulit, adiudicando dicte ecclesie quartam partem dicti predii pro fabrica ipsius ecclesie, et dicti procuratores huiusmodi sententiam et laudum ratificaverunt et approbaverunt. Presentibus dominis fratre T.[2] Veglensi, fratre Nicolao Segniensi episcopis,[3] ac dominis Philippo de Sardinia, Vanne de Aretio auditoribus, et Bonisegna de Perusio camerario et magistro Albertino de Parma notario et capellanis suis, testibus. Ego Philippus de Cingulo notarius rogatus scripsi.

Et sententia in alio libro testium apparet scripta et notata.

1 Hodie Bevagna in Italia.
2 Thoma.
3 Nicolaus Segniensis episcopus, circa ann. 1308.

XV.

1308. 17. Junii—23. Augusti. Tragurii, Scardonæ, in prato Meger, Jadræ, Segniæ.

Causa inter Lampredium primicerium Traguriensem et electum Pharensem ac Laurentium canonicum Spalatensem de ecclesia Pharensi coram cardinale Gentile ventillata.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. Fol. 5—11.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII., indictione VI., pontificatus domini Clementis pape V., die Lune, XVII. mensis Junii, actum Tragurii, presentibus venerabilibus in Christo patribus dominis fratre Thoma Veglensi, Liberio Traguriensi episcopis et aliis pluribus testibus in palatio communis Traguriensis. Constitutis seu accedentibus coram reverendo in Christo patre et domino domino fratre Gentile Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato, providis et discretis viris, dominis Lampredio primicerio Traguriensi et electo Farensi,[1] ex parte una, ac Laurentio canonico Spalatensi, dicente sibi fore per dominum archiepiscopum de ecclesia Farensi iuste provisum, ex parte [altera], ipsi communiter et concorditer dederunt et presentaverunt quoddam instrumentum compromissi, facti per eos communiter et concorditer super lite et questione, que vertitur et verti posset inter eos occasione dicte ecclesie Farensis, in ipsum dominum legatum, tanquam in arbitrum et arbitratorem, ut de ipsa lite et questione, summarie, visis iuribus utriusque partis, iustitiam faciendo, quod iuris fuerit, breviter decernat, prout in instrumento ipsius compromissi, scripto per me Phylippum Compagnoni de Cingulo, publicum apostolica et imperiali auctoritate notarium, plenius continetur. Supplicantes, ut dictam causam cito ac velociter terminaret.

(Commissio domini Johannis.)

Et idem dominus legatus dictam causam audiendam summarie et examinandam, ac terminos et dilationes eisdem partibus prefigendos,

1 Pharus. Farensis, hodie insula Lesina in mari Adriatico.

et alia, que facienda fuerint, usque ad prolationem sententie commisit domino Vanni de Aretio capellano et auditori suo ibidem presenti.

Eodem die, XVII. mensis Junii, in palatio Traguriensi, constitutis coram prefato domino Vanne auditore supradictis dominis, Laurentio et Lampredio, prefatus dominus Vannes auditor eisdem partibus et ipsarum cuilibet, presentibus, volentibus, petentibus et infrascripta expresse acceptantibus, statuit terminum peremptorie decem dierum tunc proxime futurorum, ad dandum, exhibendum, producendum omnem eorum petitionem, et omnia eorum et cuiuslibet eorum iura, instrumenta, acta, scripta et munumenta, que vel quas dare, exhibere et producere, seu quibus uti intendunt in dicta causa, pro omnibus eorum iuribus demonstrandis et probandis.

Mandans nichilominus ipsis et cuilibet eorum, quod continue per se vel eorum procuratorem curiam domini legati sequerentur, audituri sententiam ipsius domini legati super dicto negotio, alias in dicto negotio, prout iustum fuerit, procedetur et sententia feretur, eorum absentia non obstante.

(XVII. instrumenta.)

Die XX. supradicti mensis Junii, in civitate Traguriensi, veniens supradictus dominus Lampredius electus Farensis coram venerabili viro domino Vanne auditore predicto, pro tribunali sedente, altera parte absente, super dicta causa et questione ad docendum de ipsius iuribus produxit et exhibuit in scriptis plura et varia instrumenta ac scripturas publicas; et primo quedam instrumenta publica, numero XVII., scripta et composita sub anno Domini millesimo CCCIIII., indictione secunda, quorum primum erat factum die XIII. mensis Octobris, aliud in eadem pecia die XV. dicti mensis, et erant instrumenta citationum factarum de canonicis Farensibus, convocatis ad electionem, scripta per manus Jacobi de Pisis filii olim domini Martini (?) iudicis imperiali auctoritate, et reverendi patris domini fratris Petri archiepiscopi Spalatensis ac capituli Farensis iurati notarii. Aliud vero erat decretum electionis facte de domino Lampredio, scriptum per eundem notarium, die XVIII. predicti mensis Octobris, et sigillatum tribus sigillis pendentibus. Aliud instrumentum, scilicet IIII-tum, erat decretum secundum, sive electio facta de dicto domino Lampredio, scriptum per Smeriolum de Gacto sacri palatii notarium, die IIII. exeunte Octobre.[1]

[1] 28. Octobris.

Quintum erat quedam procuratio, facta per capitulum Farense de Suriano, scriptum per dictum Jacobum de Pisis, die VI. intrante mense Novembris. VI-tum erat instrumentum presentationis facte electo, die VII. intrante Novembri, et VII-mum erat instrumentum, quomodo dictus Lampredius nec acceptabat, nec repudiabat electionem sibi presentatam, scripta per supradictum Jacobum de Pisis, die predicta VII. intrante Novembri. VIII-vum erat licentia episcopi Traguriensis, data electo, factum die X. dicti mensis, et VIIII-num erat consensus dicti Lampredii electi, factum die XI. dicti mensis, scripta per dictum Jacobum de Pisis notarium. X-um et XI-um instrumenta sunt sub die XII. intrante Novembri, de presentatione et petitionibus, factis archiepiscopo Spalatensi per dictum electum et capitulum, scripta per supradictum Jacobum de Pisis. XII-um et XIII-um instrumenta sunt alie iterate presentationes et petitiones, facte dicto archiepiscopo per predictos electum et capitulum die XXII. dicti mensis Novembris, scripta per predictum Jacobum notarium. XIIII-um instrumentum erat petitio et protestatio Lampredii, facta archiepiscopo, quod non procederet ad aliquem processum, nec reciperet aliquos testes, nisi iurarent in ipsius Lampredii presentia, die XXI. Decembris scriptum per dictum Jacobum notarium. XV-um instrumentum protestationis de sigillo capituli, et appositionis aliorum sigillorum in primo decreto, scriptum per predictum Jacobum die VI. intrante Novembri. XVI-um instrumentum alterius protestationis, facte pro sigillo capituli Farensis, scriptum per dictum Jacobum notarium die VII. dicti mensis Novembris. XVII-um instrumentum procurationis, facte per dominum Lampredium electum de Matheo domini Luce et Sirocto, ac per Surianum canonicum, nomine capituli Farensis, ad comparendum coram archiepiscopo Spalatensi, et petendum munus confirmationis dicti Lampredii, scriptum per supradictum Jacobum de Pisis notarium die secundo intrante Decembri.

Item dictus Lampredius predicto XX. die mensis Junii coram supradicto domino Vanne in eodem actu produxit et exhibuit sexdecim in numero alia publica instrumenta, scripta et facta sub anno Domini millesimo CCCV. indictione tertia, diebus et mensibus infrascriptis, et per infrascriptos notarios; quorum instrumentorum primum erat procuratio Duymi Paruossclavi, scriptum per supradictum Jacobum de Pisis notarium die IIII. mensis Januarii. Secundum instrumentum erat petitio confirmationis post alias petitiones, quia archiepiscopus differebat confirmare, facta per procuratores dicti Lampredii,

scripta per dictum Jacobum notarium die III. Februarii. Tertium instrumentum erat alia petitio confirmationis, facta per Syroctum procuratorem Lampredii, scripta per dictum Jacobum notarium die XVIIII. mensis Martii. Quartum instrumentum protestationis, facte per Franciscum procuratorem Lampredii contra dominum archiepiscopum, scripta per eundem notarium die XXI. dicti mensis Martii. Quintum est petitio alia facta domino archiepiscopo per dictum Franciscum procuratorem, die XXII. dicti mensis Martii, scriptum per Vanninum Archangeli notarium. Sextum est protestatio et appellatio, interposita per capitulum Farense, ab eo, quod archiepiscopus confirmationem Lampredii non prebebat petitam, scriptum per supradictum Jacobum de Pisis notarium die XXIII. predicti mensis Martii. Septimum instrumentum appellationis, facte a gravaminibus illatis per archiepiscopum Lampredio, scriptum per dictum Jacobum notarium die predicta XXIII. Martii. Octavum instrumentum appellationis a quadam sententia, lata per archiepiscopum contra Lampredium, scriptum per dictum Jacobum notarium XXIIII. predicti mensis Martii. Nonum instrumentum est quedam protestatio contra sententiam, latam per archiepiscopum contra dictum Lampredium, scriptum per dictum Jacobum notarium die predicta XXIIII. dicti mensis Martii. Decimum instrumentum est petitio apostolorum, facta per Lampredium dicto archiepiscopo, die XXV. predicti mensis Martii scriptum per dictum Jacobum notarium. Undecimum instrumentum protestationis facte, quia archiepiscopus noluit dare copiam actorum suorum Lampredio electo, scriptum per dictum Jacobum notarium die XI. mensis Aprilis. Duodecimum instrumentum erat petitio copie actorum archiepiscopi, facta per Duymum procuratorem Lampredii, scriptum per Vanninum Archangeli notarium die XXI. predicti mensis Aprilis. XIII-um instrumentum est procuratio Johannis Cavalli, ad presentandum se nomine capituli in curia Romana, scriptum per supradictum Jacobum de Pisis notarium, die decimo mensis Augusti. Quartodecimum instrumentum est quedam comparitio et protestatio, facta per Lampredium et procuratorem capituli in curia Romana, scriptum per Phylippum Compagnoni de Cingulo notarium die ultimo mensis Augusti. Quintodecimum instrumentum alia presentatio et protestatio, facte in curia Romana per dictos Lampredium electum et Johannem Cavallum procuratorem capituli Farensis, scriptum per predictum Phylippum de Cingulo notarium die primo mensis Septembris. Item sextodecimum, licet prius scribi debuisse, est instrumentum protestationis,

facte per Matheum de Sire procuratorem Lampredii, et requisitionis, facte per Covercum archipresbyterum et dompnum Surianum canonicum Farensem, Micam, Stephanum et Petrum canonicos ipsius ecclesie, quod ipsi mittere deberent cum dicto electo ad curiam Romanam, scriptum per Siveriolum de Gato notarium, et subscriptum per Phylippum Donuli (*sic*) potestatis Farensis et Vracensis die secundo mensis Julii.

Item eodem die, XX. mensis Junii, in eodem supradicto actu, supradictus dominus Lampredius produxit et exhibuit quatuor alia publica instrumenta, scripta et publicata sub anno Domini millesimo CCCVI. indictione quarta. Quorum quatuor instrumentorum primum erat instrumentum protestationis, facte per dictum electum apud castrum Sancti Syri, Lugdunensis [1] diocesis, ubi dominus papa tunc morabatur, scriptum per Thomam Justini Leutherii de civitate Theatensi [2] publicum imperiali auctoritate notarium die XXVIII. mensis Februarii eiusdem anni. Aliud vero secundum instrumentum erat quedam alia protestatio, facta Burdegalis [3] per dictum Lampredium, apud locum Predicatorum, ubi dominus papa tunc morabatur, pro iudice et auditore habendo, scriptum per Johannem Mathei de Viliano Aquilensi imperiali auctoritate iudicem ordinarium et notarium publicum die XI. mensis Maii. Tertium vero instrumentum erat quedam protestatio, facta per Matheum domini Luce et Syroctum procuratores Lampredii apud Farensem et Vracensem locum, de quodam sigillo Farensi, invento in quodam marsubio cum V. solidis Venetorum parvorum, ante dominum Phylippum et eius iudices. Quartum etiam instrumentum erat, quomodo dictus dominus Phylippus potestas Farensis et Vracensis, cum toto consilio dictorum, leto dixerunt, quod malum erat, quod dictum sigillum Farense inventum sic male portabatur et servabatur. Que duo ultima instrumenta, scilicet tertium et quartum, scripta erant uno et eodem die, scilicet die XVI. mensis Decembris, et publicata per Marcum filium condam Henrici de Camurada imperiali auctoritate notarium.

Item in eodem actu produxit sex publica instrumenta, scripta et facta sub anno Domini millesimo CCCVII. indictione V. diebus et mensibus infrascriptis. Et primum de dictis VI. instrumentis est instrumentum protestationis, facte per Duymum procuratorem Lampredii et Danielem eius fratrem ante altare maioris ecclesie Spalatensis, de sigillo

1 Lyon.
2 Chieti.
3 Bordeaux.

Farensi invento in quodam marsubio, scriptum per Syroctum Petri de Ancona notarium die VIIII. Januarii. Secundum vero instrumentum est appellatio, facta per dictum Duymum procuratorem et Danielem fratrem Lampredii Spaleti ante ostium archiepiscopi de intrusione, facta in dicta Farensi ecclesia, de Laurentio vicario dicti archiepiscopi. Tertium instrumentum erat alia appellatio, facta per dictos Duymum et Danielem nomine Lampredii, coram domino archiepiscopo Spalatensi, de intrusione supradicti domini Laurentii, facta in ecclesia predicta Farensi. Que duo instrumenta appellationum scripta erant per supradictum Syroctum Petri notarium sub uno et eodem die, scilicet die VIIII. supradicti mensis Januarii. Quartum autem instrumentum est appellatio, facta per ipsum Lampredium Pictavis[1] in Romana curia de intrusione dicti Lampredii,[2] scriptum per Dominicum condam Jacobi de Affricello imperiali auctoritate notarium die XXI. mensis Aprilis. Quintum vero instrumentum est protestatio, facta coram domino fratre Gentile cardinale, auditore dato Lampredio super dicta causa per dominum papam apud Pictavis, de recessu, quem idem Lampredius volebat facere de curia ad partes eius, quia omnia expendiderat, scriptum per supradictum Dominicum condam Jacobi notarium die XX. mensis Augusti. Sextum vero instrumentum est quedam protestatio, facta per Matheum Lutii et Syroctum Petri, procuratores supradicti Lampredii, facta coram iudicibus et consilio Spalatensi, de inventione sigilli Farensis cum quadam carta, scriptum per Vannucium Archangeli notarium die XXVIII. mensis Decembris supradicti, anni Domini millesimi CCCVII. indictione V. Item ultimo sub eodem actu et contextu produxit quoddam aliud instrumentum notificationis appellationis, facte per Lampredium domino archiepiscopo, de provisione facta de ecclesia Farensi domino Laurentio, scriptum per Andream Petri de Ancona auctoritate imperiali notarium sub anno Domini millesimo CCCVIII. indictione sexta, die XXIII. mensis Januarii.

(Alia productio Lampredii.)

Die XXVI. supradicti mensis Junii supradictus dominus Lampredius volens termino, dato sibi et alteri parti ad producendum omnia eorum iura et instrumenta, satisfacere ad plenum, apud Scardonam, coram supradicto domino Johanne auditore, altera parte absente, quia terminus

1 Poitiers.
2 Rectius Laurentii.

lababatur predictus, iterato produxit ad probationem iuris sui omnia et singula supradicta instrumenta, que alias produxerat, petens causam suam et pro se, tanquam homo credens ius habere in ea, expediri.

(Productio iurium domini Laurentii.)

Die Jovis, XXVII. supradicti mensis Junii, actum apud pratum Meger prope Oscrinzium, ubi dominus legatus tunc ipso die hospitatus fuit, coram supradicto domino Johanne de Aretio et auditore comparuit dominus Laurentius canonicus Spalatensis, asserens sibi provisum ecclesie de ecclesia Farensi et in ea ius habere, absente altera parte, scilicet domino Lampredio, et ad probandum de iure suo produxit et exhibuit quasdam patentes litteras. Unam sigillo oblongo pendenti cum filo carte de cera viridi, infissa in cera communi, cuius principium tale erat:

Frater Petrus Dei et apostolica gratia archiepiscopus Spalatensis. Universis presentes litteras inspecturis salutem in largitore salutis. Ad universorum notitiam tenore presentium volumus pervenire, quod cum Farensis ecclesia, de provincia nostre ecclesie, per mortem sui episcopi[1] cura destituta pastoris, per laicorum temerariam audaciam ac inordinatos processus et dampnandas negligentias canonicorum suorum in temporalibus et spiritualibus plura passa fuerit, et nunc patiatur dispendia ultra plurium annorum spatium, maxime per aliquorum ambitionem, Deo et hominibus odiosam, inter quos Lampredius canonicus Traguriensis per cavillationes et appellationes frivolas non modicum detrimenti appellans intulit predicte ecclesie, quam appellationem nullatenus prosecutus, et fere trium annorum spatio expectatus, nec aliquid reportavit, nec gratiam, sicut voluit, impetravit, ad provisionem ipsius desolate ecclesie cum divino auxilio duximus procedendum. Igitur, iuxta pastoralis sollicitudinis debitum, considerantes interne mentis oculis honestatem et industriam discreti viri magistri Laurentii Strigoniensis et Spalatensis canonici, quibus ipse miserande ecclesie fructuosus et utilis esse poterit, et sub ipsius cura, favente Domino, valebit ipsa ecclesia feliciter gubernari, eidem ecclesie de persona dicti Laurentii, quem ad hoc de consilio sapientum elegimus, invocato Dei nomine, duximus providendum, et providemus cum iuris plenitudine &c. et finit sic: Datum die V. exeunte Februario,[2] anno

[1] Dumi episcopi Pharensis, mort. a. 1304.
[2] 24. Februarii.

Domini MCCCVII. indictione V. presentibus &c.... canonico Spalatensi et aliis pluribus.

Secunda vero littera sigillata erat uno et eodem sigillo, quo et prima superius denotata, a tergo ipsius littere, cum sigillatura plana, de cera viridi, que sic incipiebat:

Frater Petrus Dei et apostolica gratia archiepiscopus Spalatensis dilecto in Christo filio magistro Laurentio ecclesie sue canonico, domine M.[1] illustris regine Scicilie capellano, cum paterna benedictione et presentis vite comoda et eterne. Cum Farensis ecclesia de nostra providentia per mortem sui episcopi, cura destituta pastoris, per laicorum &c. et finit sic: Actum anno Domini millesimo CCCVII. indictione V. die septimo exeunte Februario.[2]

Item idem dominus Laurentius dedit et presentavit prefato domino Vanni auditori quasdam litteras clausas, sigillatas et firmatas sigillo ipsius domini archiepiscopi, que dirigebantur supradicto domino fratri Gentili cardinali, apostolice sedis legato, quas litteras idem dominus Vannes aperuit et desigillavit, que sic incipiebant:

Hee sunt rationes, propter quas dominus archiepiscopus Spalatensis, et electiones Lampredii, si electiones dici possunt, et exinde sequentem appellationem suam frivolas et inanes reputavit, et ipsi electioni non detulit, prima ratio est &c. et finit sic: Ex quibus rationibus superius positis summarie potest colligi, quod ex causis &c. Et requisitus post reditum per archiepiscopum coram pluribus, nihil exhibuit.

Item die Sabbati, XXVIIII. mensis Junii predicti, venit magister Guillelmus de Sancta Gineto capellanus et familiaris supradicti domini legati coram prefato domino Vanne auditore, extra iudicium tamen, et dixit, quod ipse factus erat procurator per dominum Laurentium in dicta causa et ad sententiam audiendam, de cuius instrumento procurationis ego Phylippus Compagnoni de Cingulo rogatus fueram, et illud instrumentum ex tunc producebat, cuius tenor talis est:

(Procuratio magistri Guillelmi pro domino Laurentio.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. tempore domini Clementis pape V. die Sabbati, XXVIIII. mensis Junii, actum apud ecclesiam de Vrana, Scardonensis diocesis, presentibus

1 Mariæ uxoris Caroli II. regis Siciliæ (1285—1309), sororis Ladislai IV. regis Hungariæ (1272, 6 Aug—1290, 10 Jul.)

2 22. Februarii.

venerabili patre domino fratre Nicolao episcopo Seniensi, domino Matheo de Aurana canonico Scardonensi et magistro Angelo Theobaldi de Sancta Victoria testibus, et aliis pluribus ad hec specialiter vocatis et rogatis. Venerabilis et discretus vir, dominus Laurentius canonicus Spalatensis, cui, ut asserebat, provisum fuerat de ecclesia Farensi per venerabilem patrem dominum fratrem Petrum archiepiscopum Spalatensem, in causa, quam habet coram reverendo patre et domino domino fratre G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato, arbitro et arbitratore electo et assumpto per ipsum dominum Laurentium, ex parte una, et dominum Lampredium primicerium Traguriensem, dicentem se electum dicte ecclesie Farensi, super iure dicte ecclesie, ex parte altera, fecit, constituit et legitime ordinavit suum verum et legitimum procuratorem, actorem et nuncium specialem magistrum Guillelmum de Sancto Gineto, clericum et capellanum supradicti domini legati, presentem ibidem et mandatum in se suscipientem, ad procedendum ulterius in dicta causa compromissi, et ad allegandum, probandum et reprobandum, excipiendum et replicandum, sententiam, laudum seu arbitrium et diffinitionem ferendam seu promulgandam per ipsum dominum legatum, arbitrum et arbitratorem super dicta causa de iure, audiendam, ratificandam et approbandam, appellandam, appellationem prosequendam, et generaliter ad omnia alia et singula facienda, dicenda, gerenda et exercenda in predictis et quolibet predictorum, que necessaria et utilia fuerint, et que ipsemet facere et exercere posset, si personaliter interesset, promittens, ratum et gratum ac firmum perpetuo habere et tenere totum, quicquid per dictum eius procuratorem factum et gestum fuerit in predictis et quolibet predictorum, sub ypotheca et obligatione omnium bonorum suorum; et volens ipsum suum procuratorem, si necesse fuerit, ab omni satisdationis onere relevare, promisit michi notario infrascripto, stipulanti etiam recipienti, vice et nomine omnium, quorum interest vel intererit, de iudicio sisti et iudicato solvendo, fideiubendo pro ipso in omnem casum et eventum.

Ego Phylippus Compagnoni de Cingulo, Auximane diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus, ut supra legitur, presens interfui, et rogatus scribere, ea scripsi et publicavi, meoque signo signavi.

1 Gentile.

(Electio facta per Lampredium de duabus electionibus in secundam.)

Item supradictis anno, indictione, die vero XXVIIII. mensis Julii, constitutus coram supradicto domino Vanne auditore in palatio capituli maioris ecclesie Jadrensis dominus Lampredius electus Farensis, altera parte absente, et interrogatus per ipsum dominum Vannem auditorem, quam de suis electionibus de se factis ad dictam ecclesiam Farensem eligere volebat, cum liceret sibi nec alteri duabus electionibus super uno et eodem negotio uti, scilicet primam vel secundam. Dictus vero dominus Lampredius in iudicio respondit, quod si de iure esset et fieri posset ambabus uti, utraque vellet se iuvare; sed si de iure esse non posset, eligebat et elegit sibi secundam electionem, dicens, quod si per primam poterit in aliquo relevari, et sibi in aliquo posset prodesse, ius illud sibi protestatus fuit salvum fore.

Die Veneris, XXIII. mensis Augusti, ante missam, dominus legatus supradictus commisit et mandavit Gratiolo cursori et nuncio suo iurato, ut statim iret et citaret dominum Lampredium canonicum Traguriensem, ac magistrum Guillelmum de Sancto Gineto procuratorem magistri Laurentii canonici Spalatensis, ut ipso die post missam celebratam peremptorie apud Seniam coram eo comparerent, audituri sententiam et laudum, que ipse dominus legatus super questione vertenti inter eos, super ecclesia Farensi, ferre intendebat. Qui cursor statim iens et rediens, retulit eidem domino legato et michi Philippo de Cingulo notario suo, se predictos Lampredium et magistrum Guillelmum personaliter inventos citasse, secundum formam supradicte commissionis sibi facte.

Eodem die, post missam, presentibus dictis Lampredio et magistro Guillelmo apud Seniam, dominus legatus pro tribunali sedens, sententiando, laudando et diffiniendo super causa Farensi, electionem factam de domino Lampredio, ac provisionem factam domino Laurentio de ecclesia Farensi, tanquam nullas et ius non continentes, cassavit et irritavit, ac pronunciavit provisionem ipsius ecclesie ad ipsum dominum legatum et ecclesiam Romanam pertinere de iure &c. presentibus &c.

XVI.

1308. 20. Junii. Tragurii.

Cardinalis Gentilis ad petitionem Petri de Camursio in causa cuiusdam testamenti, pro monialibus sanctæ Claræ Spalatensibus conditi, disponit.

(Farlati. Illyricum sacrum III. pag. 300.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus. Dilecto in Christo filio nobili viro Petro de Camursio executori testamenti quondam Josephi Petri civis Spalatensis salutem in Domino. Exhibita nobis tua petitio continebat, quod quondam Josephus Petri civis Spalatensis, necessitate sibi solvendi universe carnis debitum imminente, testamentum condidit, Te ipsius testamenti executore dimisso; in quo quidem testamento dictus Josephus, pia voluntate ductus, cupiens terrena pro celestibus et caduca pro eternis felici commercio commutare, voluit et mandavit inter alia, quod de bonis suis tria millia librarum Venetorum parvorum expenderentur in fabricando quodam monasterio infra Spaleti menia, in quo instituerentur duodecim moniales ordinis sancte Clare, sub ipsius sancte regula perpetuis temporibus virtutum Domino serviture; quodque solutis legatis aliis secundum suam ultimam voluntatem, si quid residui foret, distribueretur inter pauperes Christi, quos in eodem residuo suos heredes instituit, inter quos pauperes potiores et maiores ac melioris conditionis circa receptionem elemosyne dicti residui esse voluit fratres ordinis Minorum Spalatensium, apud quorum locum seu ecclesiam elegerat sepulturam. Licet autem per tue sollicitudinis studium in opere dicti monasterii per Dei gratiam laudabiliter sit processum, expensis iam in eodem opere dictis tribus millibus libris, iuxta dicti beneplacitum testatoris, non tamen ita adhuc perfectum est et paratum, quantum ad officinas et alia necessaria ad clausuram, ut moniales predicte inibi recludi valeant et commode commorari. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere super hoc, ne dictum testatorem sua ultima voluntate, quantum ad perfectionem dicti monasterii, fraudari contingat, et labor, circa illud adhibitus, incassatum cedat, ac expense depereant, misericorditer dignaremur. Nos itaque de tue nobilitatis discretione, quam in exequendis predictis opportune diligentie invenimus prebuisse studium,

ferentes fiduciam specialem, presentium Tibi tenore, qua fungimur auctoritate, licentiam elargimur, ut cum consilio et assensu dilectorum in Christo filiorum, . . . guardiani et . . . lectoris conventus dictorum fratrum Minorum, seu alterius eorundem, de dicto residuo ponas et expendas in perfectionem dicti monasterii usque ad summam quatuor millium librarum et plus, prout tue ac ipsorum discretionis arbitrio videbitur expedire; reliquo sive residuo dicti legati, iuxta sepedicti testatoris mandatum, in usus dictorum pauperum fideliter erogando. Presentium cum hoc, sicut a fidedignis accepimus, qui de auditu testimonium veritati perhibent, eiusdem testatoris voluntatis extiterit, et post conditum testamentum verbo mandaverit, licet redactum non fuerit in scripturam. Et quoniam alacriter insistendum est inchoatis, cum vicinitas perfectionis arriserit, sic ad complementum dicti monasterii, continuato diligentie studio, interponas sollicite partes tuas, illudque vigilantie studium operosus expendas, quod apud retributorem bonorum omnium, qui nullum opus pium et sanctum irremuneratum preterit, eterne salutis premium, et apud mortales digne laudis preconium consequi merearis, nosque diligentiam tuam dignis possimus in Domino laudibus commendare. In cuius rei testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum Tragurii, XII. kalendas Julii, anno Domini millesimo trecentesimo octavo, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

XVII.

1308. 27. Junii. Scardonæ.

Cardinalis Gentilis Traguriensibus concedit, ut archiepiscopum Spalatensem tantum, si visitandi causa, vel quando longo tempore abfuisset, venerit, solenniter recipiant.

(Farlati. Illyr. sacr. III. pag. 301.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus. Dilectis in Christo filiis clero et communi civitatis Traguriensis salutem in Domino sempiternam. Illa consuetudo, que in subditorum scandalum et iuris ecclesiastici detrimentum obrepit, ne in ius privilegii assumatur, et ad alios prava ex ea proficiscantur exempla, veluti corruptela, que sui contagione corruptionem aliis ingerit, est celeriter abolenda, nec longeve diuturnitatis pretextu debet aliquatenus tolerari; cum quanto plus durat, tanto

esse possit causa periculi gravioris. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod venerabilis in Christo pater frater P.[1] Spalatensis archiepiscopus, loci metropolitanus, pluries ac sepe ad civitatem vestram, quandoque navigio, quandoque per terram, pro suis vel aliorum negotiis prosequendis accedit, non ut visitationis officium exerceatur in eadem; et in quolibet suo accessu et ingressu civitatis eiusdem vult et mandat, quod ei a Vobis, sicut quando ad Vos debitis et ordinatis temporibus causa visitationis accedit, processionaliter et solemniter obvietur. Cum itaque processiones huiusmodi, tam indebitas et frequentes, Vobis ad gravamen et tedium maximum reputetis, licet alias, sicut devotionis filii, velitis et disponatis ipsum processionibus, sibi per Vos devote ac humiliter faciendis, cum specialiter causa visitationis ad eandem civitatem accedit, tanquam patrem benevolum, honorare, providere Vobis super hec paterna sollicitudine dignaremur. Nos itaque desideriis vestris in iis, per que, materia indebiti submota gravaminis, vestri status debita procuratur tranquillitas, affectu benevolo annuentes, ut nisi certis temporibus, quando videlicet, ut metropolitanus, caussa exercendi debite visitationis officium, vel quando longo tempore abfuisset, ad civitatem eandem quocunque tempore pervenerit, eum nequaquam processionaliter recipere teneamini, qua fungimur auctoritate, tenore Vobis presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum apostolorum eius Petri et Pauli se noverit incursurum. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Datum Scardone, V. kalendas Julii, anno Domini MCCCVIII. pontificatus Clementis pape V. anno III.

XVIII.

1308. 27. Junii. Scardonæ.

Statutum cardinalis Gentilis ad civitatem Tragurii de distributione legatorum bonorum et pecuniarum in dispositionibus testamentariis.

(Vide infra pag. 87.)

[1] Petrus.

XIX.

1308. 23. Julii. Jadræ.

Johannes de Buctuano clericus Jadrensis cardinalem Gentilem, ut legatum et dominum suum, recognoscit.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 15.)

Die Martis, XXIII. mensis Julii, dominus Johannes de Buctuano, clericus ecclesie sancte Marie maioris de Jadra, venit coram domino legato ad palatium archiepiscopatus Jadrensis, et ipsum tanquam dominum et legatum suum provincie Jadrensis et Dalmatie recognovit et recepit, et sibi reverentiam fecit, et renunciavit ex tunc omnibus appellationibus, factis per eum vel alium eius nomine contra ipsum dominum legatum et eius legati &c. Presentibus discretis viris dominis Philippo de Sardinia, Vanne de Aretio et Gasparro auditoribus, ac presentibus fratre Petro de Bononia et fratre Elia de Parisiis ordinis Minorum et aliis pluribus testibus.

XX.

1308. 24. Julii. Jadræ.

Philippus de Sardinia auditor cardinalis Gentilis Georgium episcopum Arbensem ad audiendam excommunicationis sententiam citat.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935, fol. 12.)

Die Mercurii, XXIIII. supradicti mensis Julii, venerabilis vir dominus Philippus de Sardinia auditor supradicti domini legati commisit et mandavit ex parte ipsius domini legati Gratiolo de Luca nuncio et cursori iurato ipsius domini legati, ibidem presenti, quod statim iret et citaret fratrem Georgium episcopum Arbensem,[1] vicarium archiepiscopi,[2] ut ipso die et mane in tertiis compareret peremptorie coram ipso domino legato, auditurus quasdam sententias et processus, quos intendebat facere contra ipsum. Qui Gratiolus nuncius et cursor eodem

1 Georgius II. Ermolai episcopus Arbensis ab a. 1292—1313.
2 Jacobi de Fulgineo archiepiscopi Jadrensis.

mane, hora misse iens et rediens, retulit dicto domino Philippo auditori et mihi Philippo de Cingulo notario dicti domini legati, se dictum fratrem G. episcopum Arbensem personaliter citasse, secundum formam dicte commissionis.

Eodem die, post missam in tertiis, dominus legatus contra ipsum episcopum fecit suos processus et sententias, et denunciavit eum excommunicatum &c. coram multis.

XXI.

1308. 29. Julii—2. Augusti. Jadræ.

Causa reformationis status ecclesiæ Jadrensis per cardinalem Gentilem factæ.

(Bibl. Vatic. 3935. fol. 13—15.)

Die XXVIIII. mensis Julii, supradictus dominus frater Gentilis cardinalis et legatus apud Jadram in camera sua commisit et mandavit Gratiolo de Luca cursori et nuncio suo iurato, ibidem presenti, quod iret eodem sero, et presentaret ex parte ipsius domini legati litteras infrascriptas, sigillatas sigillo ipsius, Paulo de Fulgineo vicario archiepiscopi Jadrensis, et ipsum citaret secundum dictarum litterarum [formam], quarum tenor talis est:

(Littera et citatio Pauli vicarii archiepiscopi.)

Frater Gentilis miseratione divina &c. Paulo clerico de Fulgineo, venerabilis patris domini ...[1] archiepiscopi Jadrensis in temporalibus vicario, spiritum consilii sanioris. Cum nos circa reformationem ecclesiarum et monasteriorum et aliorum ecclesiasticorum locorum nostre legationis, et presertim Jadrensis provincie, in qua nunc personaliter residemus, totis desideriis intendamus; et ad nos fidedigna relatione ac fama referente pervenerit, quod ecclesia Jadrensis, que in spiritualibus et temporalibus dicitur esse collapsa, ipsiusque civitatis et diocesis clerus correctione et reformatione indigeat. Idcirco volentes de ipsius ecclesie et cleri predicti statu plenius informari, Te, qui prefati archiepiscopi vices in spiritualibus olim gessisti, et in temporalibus geris ad presens, ac per hoc de predictis habere debes notitiam pleniorem, tenore presentium Te requi-

[1] Jacobus de Fulgineo archiepiscopus Jadrensis, ordinis s. Francisci, ab a. 1299. mort. circa ann. 1311.

rimus, citamus, pro prima, secunda et tertia monitione monemus, Tibi sub excommunicationis pena districtius iniungentes, quatenus sequenti die post presentationem presentium, quem terminum, quia correctio et reformatio prelibate celeritatem desiderant, Tibi peremptorie assignamus, coram nobis personaliter Te presentes, nostris pariturus mandatis, que Tibi super reformatione status ipsius ecclesie et cleri eiusdem et aliis, prout ad nostrum spectat officium, duximus iniungenda. Quod si forsan in dicto termino coram nobis, ut predicitur, comparere contempseris, ex nunc Te in hiis scriptis excommunicationis sententia innodamus, quam si per duos dies animo tolleraveris pertinaci, ex nunc dicti vicariatus officio Te privamus, alias contra Te processuri, ut iustitia suadebit. Datum Jadre, die XXVIIII. Julii, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

(Relatio)

Eodem die, XXVIIII. Julii, predictus Gratiolus nuncius et cursor supradicti domini legati retulit supradicto domino legato et michi Phylippo de Cingulo eius notario, se eodem die presentasse supradictas litteras supradicto Paulo, personaliter invento, et ipsum citasse secundum ipsarum litterarum formam, ac ipsas litteras ad maiorem cautelam sibi dimisisse.

Eodem die, XXVIIII. Julii, supradictus dominus legatus commisit et mandavit supradicto Gratiolo nuncio et cursori suo, ut iret, et eodem die citaret infrascriptos plebanos et clericos secundum formam infrascriptarum litterarum cuilibet eorum directarum, et eis ipsas litteras ex parte ipsius domini legati presentare deberet, quorum plebanorum et clericorum nomina sunt hec: primo Symonem plebanum sancti Petri Veteris, Stephanum Plebanum sancti Petri de Platea, Grisocanum plebanum sancte Marie Maioris, Micam primicerium et Marchum archipresbyterum Jadrensem, ac Martinum plebanum sancti Michaelis de Jadria.

Die XXX. supradicti mensis Julii, ante tertiam, supradictus Gratiolus nuncius et cursor retulit supradicto domino legato et michi Phylippo de Cingulo notario suo, se heri citasse supradictos, plebanum sancti Michaelis, archipresbyterum Jadrensem, et plebanum sancti Petri Veteris, personaliter inventos, et eis copiam litterarum dimisisse, ac plebanum sancti Petri de Platea et primicerium citasse ad domos eorum habitationis et presentibus eorum familiaribus, et ipsis eorum familiaribus litterarum copiam dimisisse, et eos et quoslibet eorum citasse, secundum formam dictarum infrascriptarum litterarum, quarum tenores singulariter per ordinem tales sunt:

(Citatio plebani sancti Petri Veteris.)

Frater Gentilis &c. Symoni plebano plebis sancti Petri Veteris Jadrensis, spiritum consilii sanioris. Cum nos circa reformationem ecclesiarum, monasteriorum et aliorum ecclesiarum locorum nostre legationis, et presertim Jadrensis provincie, in qua nunc personaliter residemus, totis desideriis intendamus; et ad nos fideligna relatione ac fama referente pervenerit, quod ecclesia tua correctionis et reformationis noscatur plurimum indigere: nos volentes de statu ipsius ecclesie plenius informari, tenore presentium Te requirimus et citamus, pro prima, secunda et tertia monitione monemus, Tibi sub excommunicationis pena nichilominus iniungentes, quatenus cras in tertia, quem terminum, quia correctio et reformatio prelibate celeritatem dessiderant, et Tu apud Jadram personaliter inveneris, Tibi peremptorie assignamus, coram nobis personaliter Te presentes, nostris pariturus mandatis, que Tibi super reformatione status tue ecclesie et aliis, prout ad nostrum spectat officium, duxerimus iniungenda. Quod si forsan in prefixum terminum coram nobis personaliter, ut predicitur, comparere contempseris, ex nunc Te in hiis scriptis excommunicationis vinculo innodamus, beneficiorum tuorum, quamdiu in dicta excommunicatione perstiteris, fructuum perceptione privantes, contra Te nichilominus processuri, secundum quod tua contumacia exegerit sive culpa. Datum Jadre, die XXVIIII. mensis Julii, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

Frater Gentilis &c. Stephano plebano sancti Petri de Platea, spiritum consilii sanioris &c. *ut supra in alia.* Datum *ut supra.*

Frater Gentilis &c. Grisocano plebano sancte Marie Maioris &c. *ut supra.* Datum *ut supra.*

Frater Gentilis &c. Martino plebano sancti Michaelis de Jadra &c. *ut supra.* Datum *ut supra.*

Item alie littere, una Micha primicerio et alia Marcho archipresbytero maioris ecclesie Jadrensis: Spiritum consilii sanioris. Cum nos circa reformationem &c. *ut in prima, mutatis hiis verbis, videlicet ubi dicit:* Ac fama referente pervenerit, quod ecclesia tua; *dicatur, quod:* Ecclesia Jadrensis correctionis &c. *et ibi ubi dicit:* Super reformatione status tue ecclesie et aliis &c.; *dicatur:* Super reformatione dicte Jadrensis &c. Datum *ut supra.*

(Commissio citationis facta de abbatibus et clericis propter insultum et relatio.)

Die secundo mensis Augusti, supradictus dominus legatus commisit et mandavit Gratiolo de Luca cursori et nuncio suo iurato, ibidem presenti, quod iret et citaret infrascriptos abbates, plebanos et clericos de Jadra et diocesis ipsius, secundum formam infrascriptarum litterarum, et eis et cuilibet eorum litteras infrascriptas presentare deberet. Qui Gratiolus eodem die retulit prefato domino legato et michi Phylippo de Cingulo notario suo, se ipsa die citasse fratres Vitum sancti Grisacani, Johannem sanctorum Cossme et Damiani monasteriorum abbates, Paulum de Fulgineo vicarium archiepiscopi, Micam et Marchum primicerium et archipresbyterum Jadrensem, Stephanum sancti Petri de Platea, Grisocanum sancte Marie Maioris et Martinum sancti Michaelis de Jadra plebanos, Franciscum filium Damiani de Slurado et Grisocanum Damiani de Cycallis, clericos infrascriptos, personaliter inventos, et fratrem Matheum abbatem monasterii sancti Michaelis in Monte ac Nichiforum archidiaconum Jadrensem et Symonem plebanum sancti Petri Veteris, in domibus eorum habitationum et ad ecclesias eorum de Jadra, presentibus eorum familiaribus, secundum formam infrascriptarum litterarum, et eis dimisisse copias earundem literarum, quarum tenor talis est:

(Citatio abbatum et clericorum super excessu.)

Frater Gentilis &c. Fratri Vito sancti Grisogoni, fratri Johanni sanctorum Cosme et Damiani, fratri Matheo sancti Michaelis in Monte, civitatis et diocesis Jadrensis monasteriorum abbatibus, Paulo de Fulgineo vicario seu procuratori venerabilis in Christo patris domini . . .[1] archiepiscopi Jadrensis, Nictiforo archidiacono, Miche primicerio et Matheo archipresbytero Jadrensi, Simoni plebano ecclesie sancti Petri Veteris, Stephano plebano sancti Petri de Platea, Grisogono plebano ecclesie sancte Marie Maioris et Martino plebano ecclesie sancti Michaelis, ac Francisco filio Damiani de Slurado sanctorum Cosme et Damiani de Ortis ac sancte Marie de Remualdo, Grisogono filio Damiani de Cytallis sancte Anastasie Jadrensis civitatis, dictarum ecclesiarum rectoribus seu capellanis spiritum consilii sanioris. Cum ad nos publica fama referente pervenerit, notorium esse in civitate Jadrensi, quod Vos et Vestrum quilibet cum multis aliis clericis, tam prelatis, quam aliis secularibus et religiosis civitatis predicte, die XXIIII. mensis Julii essetis

[1] Jacobi.

simul in maiori Jadrensi ecclesia congregati, cum furore ac rumore currentes ad portas dicte ecclesie, in quibus affixe erant de mandato nostro quedam nostre littere, continentes quasdam nostras sententias et processus, ipsas nostras litteras, non sine magno apostolice sedis et nostro contemptu, obprobriose de dictis portis defixistis, et prostrantibus et prostranti dilacerantibus vel dilaceranti astitistis, dantes ei vel eis in predictas auxilium, consilium et favorem, et quod tunc in nostram familiam irruistis, insequendo eam usque ad portas habitationis nostre; et quod eo die Vos cum eisdem posuistis civitatem Jadrensem in rumore, concitando ipsius populum contra nos, quatenus in Vobis fuit, et quod de die XXVIII. mensis Julii Vos cum multitudine clericorum et laycorum armatorum in ecclesia sancti Domitrii Jadrensis convenistis, et contra nos et nostram familiam et rectorem civitatis predicte populum ipsius civitatis concitare conati fuistis, pulsando campanam dicte maioris ecclesie Jadrensis ad rumorem et sturmum, et alia faciendo, per que consuevit populus incitari, et quod postquam fuistis excommunicati, ingessistis publice Vos diutius. Nos volentes de dicto notorio scire ac inquirere veritatem, tenore presentium Vos et Vestrum quemlibet requirimus et citamus, quatenus sequenti [die] post harum presentationem ora tertie, coram nobis personaliter et peremptorie comparere curetis, dicturi et apposituri contra dictam inquisitionem, quicquid credideritis Vobis de iure competere, et vestram, si poteritis, in predictis et aliis in dicta inquisitione contentis, innocentiam ostensuri. Alioquin in dicta inquisitione et contra Vos, ut de iure fuerit, procedemus, vestra absentia non obstante. Datum Jadre, die secundo Augusti, VI. indictione.

(Citatio et relatio abbatisse sancte Marie de Monachis.)

Die predicta, secunda supradicti mensis Augusti, supradictus dominus legatus commisit et mandavit Perocto de Alamania nuncio et cursori suo, ibidem presenti, quod vadat et citare curaret . . . abbatissam monasterii sancte Marie de Monachis de Jadra, secundum formam infrascripte citationis, et ipsam citationem sibi vel eius copiam dimitteret. Qui Peroctus cursor iens et rediens, retulit prefato domino legato et michi Phylippo de Cingulo eius notario, se ipso die citasse apud dictum monasterium personaliter dictam abbatissam, secundum formam dictarum litterarum, et sibi ipsas litteras dimisisse, ut ignorantiam pretendere non valeret. Tenor ipsius citationis talis est:

Frater Gentilis &c. religiose mulieri... abbatisse monasterii sancte Marie de Monachis, ordinis sancti Benedicti, de Jadra, salutem in Domino. Cum ad nos &c. et presertim Jadrensis civitatis et diocesis, in qua &c. *ut supra in aliis citationibus plebanorum, usque* referente pervenit, quod monasterium tuum predictum &c. Nos &c. quatenus cras ora tertie, *usque* dessiderant, et Tu in dicto monasterio apud Jadram personaliter inveneris, Tibi peremptorie assignamus, coram nobis personaliter seu per procuratorem legitimum comparere procures, nostris &c. *usque* innodamus, administratione spiritualium et temporalium tui monasterii quamdiu &c. Datum Jadre, die secunda mensis Augusti, pontificatus &c. anno tertio.

XXII.

1308. 3. Augusti. Jadrae.

Generalis commissio Philippi de Sardinia et Johannis de Aretio, auditorum Gentilis legati sedis apostolicae.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 15.)

Die Sabbati, tertio mensis Augusti, VI. indictione, supradictus dominus legatus, in presentia mei notarii et testium subscriptorum, voluit ac specialiter et expresse commisit discretis viris dominis Phylippo de Sardinia et Johanni de Aretio, capellanis et auditoribus suis, et ipsorum cuilibet in solidum, citationes in loco et terra, ubi ipse dominus legatus moram traheret, per nuncios seu nuncium facienda, representata, et relationes citationum factarum ex parte ipsius domini legati, per nuncium vel litteras, super quibuscunque questionibus et negotiis recipiendi, et in causis seu causa ipsis, iuris ordine et secundum quod partes concordaverint, aliter procedendi, interlocutorias super ipsis ferendi, et contra contumaces excommunicationis sententias ac interdicti proferendi, et eas executioni mandandi, et omnia alia in predictis causis, tam principalibus quam appellationum causis, faciendi, mandandi, congnoscendi et examinandi, sine alia speciali commissione et licentia, eis et ipsorum cuilibet in solidum, licentiam usque ad diffinitivam sententiam concessit et plenariam potestatem. Actum Jadre in archiepiscopatu, presentibus dominis fratre Petro de Lana ordinis Minorum, magistro Johanne de Pontecuruo capellano et notario, ac magistro Frederico de Bononia medico et familiaribus ipsius domini legati, testibus ad predicta vocatis.

XXIII.

1308. 3. Augusti. Jadræ.

Executio pontificalium abbatum et clericorum Jadrensium per cardinalem Gentilem excommunicatorum

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 15.)

(Qualiter abbates celebraverunt ad corpora mortuorum.)

Item die supradicto, tertio mensis Augusti, in ecclesia fratrum Minorum de Jadra, dum corpus Marize, filie condam Symonis Candi de Jadra, ibi iaceret, causa tradendi ecclesiastice sepulture, constitutus ibidem Beraldutius de Firmo domicellus et familiaris supradicti domini legati, in presentia mei notarii et testium subscriptorum, vice et nomine ipsius domini legati dixit et protestatus fuit, quod cum frater Vitus sancti Grisocani, frater Johannes sanctorum Cosme et Damiani, ac frater Matheus sancti Michaelis in Monte, civitatis et diocesis Jadrensis monasteriorum abbates, excommunicati essent, ac suspensi ab executione pontificalium et ab ingressu ecclesie per ipsum dominum legatum, quibusdam exigentibus meritis; et ipsi abbates, una cum nonnullis clericis de Jadra, in dicta ecclesia ad dictum corpus cum pluvialibus et mitris ac baculis pastoralibus parati existerent, et exequias et mortuorum officium celebrarent in publico et coram omnibus masculis et feminis ibidem existentibus, et quod excommunicationem et sententias predictas, tanquam contemptores clavium, non timebant &c. De quibus omnibus petiit et rogavit, eis inde fieri facere publica instrumenta. Actum in dicta ecclesia fratrum Minorum, presentibus Phylipputio de Cingulo et Tarantino, domicellis domini legati, testibus et aliis pluribus.

Ego Philippus de Cingulo notarius rogatus.

XXIV.

1308. 8. Augusti. Jadræ.

Cardinalis Gentilis visitatoribus ecclesiæ s. Laurentii in Tragurio indulgentiam concedit.

(Farlati, Illyr. sacr. IV. pag. 365.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus. Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Loca sanctorum omnium pia et prompta devotione sunt a Christi fidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant, et illorum nobis vendicantes quodam modo patrocinium, apud ipsum, quod merita nostra non optinent, eorum mereamur intercessionibus optinere. Cupientes itaque, ut ecclesia maior sancti Laurentii Traguriensis congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam XIIII. die Novembris et anniversario consecrationis die altaris sanctorum Cosme et Damiani, necnon in omnibus beate Marie virginis et sanctorum ipsorum ac beati Laurentii festivitatibus, et per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes, causa devotionis venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius meritis confidentes, auctoritate apostolica, nobis in hac parte commissa, XL. dies de iniunctis eis penitentiis annis singulis misericorditer relaxamus. Datum Jadre, VI. idus Augusti, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

XXV.

1308. 12. Augusti—1309. 6. Februarii. Jadræ, Segniæ et Budæ.

Processus episcopi Scardonensis contra abbatem sanctorum Cosmæ et Damiani super quibusdam debitis coram cardinali Gentile agitatus.

(Arch. Vatic. Papi Avignonesi. Vol. 1. fol. 1—4.)

(Commissio citationis.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millessimo CCCVIII. indictione VI. pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio, die Lune, XII. mensis Augusti, actum in civitate Jadrensi. Reverendus in Christo pater et dominus dominus frater Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in

Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, commisit et mandavit Gratiolo de Luca nuncio et cursori suo iurato, ibidem presenti, quod iret et citaret religiosum virum fratrem Johannem abbatem monasterii sanctorum Cossme et Damiani de Monte, Jadrensis diocesis, ut ipsa die Lune in vesperis coram ipso domino legato vel eius auditore legitime et peremptorie ac sub excommunicationis pena compareret, venerabili in Christo patri . . . [1] episcopo Scardonensi, vel eius procuratori, super quibusdam debitis et obsequiis, que in infrascripta cedula, data dicto nuncio et cursori, ad citandum dictum abbatem, continentur, in iudicio de iustitia responsurus; alioquin contra ipsum et in dicto negotio procedetur, ut iustum fuerit.

(Relatio.)

Eodem die Lune, XII. Augusti, in tertiis, supradictus Gratiolus nuncius et cursor retulit supradicto domino legato ac venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, auditori ipsius, et mihi Phylippo Compagnoni de Cingulo notario et scribe eiusdem domini legati, se citasse et requisivisse eodem die ante tertiam supradictum dominum abbatem, personaliter inventum in civitate Jadrensi, secundum formam supradicte commissionis sibi facte, et sibi dedisse ad legendum infrascriptam cedulam, tenorem sue citationis continentem, cuius cedule tenor talis est:

(Forma citationis.)

Ego Gratiolus de Luca, cursor et nuncius domini fratris Gentilis cardinalis, apostolice sedis legati, cito et requiro Te fratrem Johannem abbatem monasterii sanctorum Cossme et Damiani de Monte, ex parte domini fratris G.[2] Ungarie et Dalmatie apostolice sedis legati, quatenus hodie ante vesperas comparere debeas pro termino peremptorio, sub pena excommunicationis, coram ipso domino legato vel eius auditore, responsurus de iure . . . procuratori . . . [3] episcopi Scardonensis, super collecta et procuratione dicti domini legati, quam cum ipso episcopo debes solvere pro terris, possessionibus et ecclesiis, quas Tu et tuum monasterium habetis in diocesi Scardonensi, et super decimis, quas eidem episcopo dare debes pro eisdem terris, possessionibus et ecclesiis, quas habes in diocesi Scardonensi; et quia sacerdotes tui, existentes in dicta diocesi Scardonensi, reverentiam et honorem non exhibent dicto episcopo, ut tenentur et debent, et super aliis, que a Te procurator dicti

1 Damianus episcopus Scardonensis circa a. 1300—1308.
2 Gentilis.
3 Damiani.

episcopi petere intendit; quod si non comparebis, contra Te procedetur, prout de iure fuerit procedendum, tua contumacia et absentia non obstante.

Die Veneris, XVI. supradicti mensis Augusti, apud civitatem Seniensem,[1] coram supradicto domino Phylippo auditore, in sala hospitii supradicti domini legati, pro tribunali sedente ad causas audiendas, comparuit dominus Paulus archidiaconus Scardonensis, procurator supradicti domini episcopi Scardonensis, prout de procuratione ipsius apparet per litteras patentes ipsius domini episcopi, suo sigillo a tergo sigillatas, et in iudicio se contra predictum fratrem Johannem abbatem monasterii sanctorum Cosme et Damiani presentavit, et ipsius non comparentis contumaciam accusavit; petens ab eodem domino auditore, ut ipsius procurationis presentationem, quam asseruit se in civitate Jadrensi die Lune XII. predicti mensis Augusti post nonas et ante vesperas coram ipso domino auditore contra dictum abbatem fecisse, et ipsius abbatis tunc citati, ad dictam horam et diem non comparentis, contumaciam accusasse, scribi et in quaterno poni faceret, eo quod tunc copiam notarii habere non potuerat. Prefatus vero dominus auditor dixit et affirmavit, dictum procuratorem, nomine dicti episcopi Scardonensis, se coram ipso apud Jadram, supradicta die et hora, contra dictum abbatem presentasse, et ipsius abbatis non comparentis contumaciam accusasse, et petivisse contra eum, ut iuris esset, procedi; mandans mihi Phylippo notario supradicto, ut illa in libro et quaterno ponerem, et scribere deberem; quodque predicta die Veneris in tertiis, predictus Paulus procurator petiit instanter ab eodem domino auditore contra supradictum abbatem, tanquam contra contumacem et non comparentem, procedi, et ipsum excommunicari in scriptis, iustitia exigente, ac pronunciari contra ipsum et dictum eius monasterium, prefatum episcopum, vel procuratorem eius, fore mittendum in tenutam et corporalem possessionem bonorum dicti monasterii, existentium in dicta diocesi Scardonensi, pro quantitate pecunie, ipsum abbatem et monasterium tangente, de procuratione, imposita eidem episcopo et eius clericis, pro parte supradicti domini legati, pro terris, possessionibus et ecclesiis, quas idem abbas et dictum eius monasterium in diocesi Scardonensi habere noscuntur; necnon pro decima, eidem episcopo per ipsum abbatem et monasterium debita et subtracta, pro terris, possessionibus et ecclesiis supradictis, a vigintiduobus annis elapsis citra, quam ibidem petunt;

[1] Segniensem.

et per corporale sacramentum, coram eodem auditore per ipsum procuratorem prestitum, dixit, iuravit et affirmavit, quadraginta librarum parvorum Venetorum anno quolibet asscendere et valere, et a predicto tempore citra eidem episcopo, seu eius procuratori, per dictum abbatem et monasterium persolutam non fuisse. Prefatus vero dominus auditor eundem fratrem Johannem abbatem, citatum et non comparentem, quantum debuit, expectans, ac faciens per cursores et nuncios supradicti domini legati, in eius sala, coram gentibus publice et alta voce clamare, si erat ipse abbas, vel aliquis alius pro eodem, qui suam absentiam et contumaciam excusaret; quia ipse, seu alius pro eodem, comparere non curavit, ipsum, exigente iustitia, contumacem reputavit, pro tribunali sedens; ac pronunciavit contra ipsum, tanquam contra contumacem, procedi; quodque a prefato Paulo archidiacono, procuratore dicti episcopi, corporale sacramentum recepit, quod predicta, que superius petierat, vera erant, et ea malitiose non petebat. Quibus sic peractis, prefatus dominus auditor contra dictum abbatem excommunicationis sententiam in scriptis tulit, prout inferius continentur:

In Dei nomine amen. Nos Phylippus de Sardinia capellanus et generalis auditor reverendi in Christo patris domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, visis diligenter et examinatis, citatione facta per nuncium et cursorem supradicti domini legati, ex parte ipsius, de fratre Johanne abbate monasterii sanctorum Cossme et Damiani de Monte, Jadrensis diocesis, ad petitionem procuratoris venerabilis patris domini episcopi Scardonensis, ut eidem episcopo veniret super quibusdam rebus et debitis de iustitia responsurus, ac relatione predicti cursoris et nuncii, necnon presentationibus pluribus Pauli archidiaconi Scardonensis, procuratoris ipsius episcopi, procuratorio nomine pro eo coram nobis factis, et petentis contra ipsum abbatem, tanquam contra contumacem et non comparentem, procedi, ac pronunciari contra ipsum ad excommunicationis sententiam, et ipsum procuratorem, nomine dicti episcopi, poni et induci in tenutam et corporalem possessionem bonorum dicti monasterii, valentium quantitatem ipsum abbatem et monasterium tangentem, pro terris, possessionibus et ecclesiis, quas in diocesi Scardonensi habere noscuntur, pro procuratione, imposita in civitate et diocesi Scardonensi, ex parte domini legati predicti, necnon pro decimis, eidem episcopo per dictum abbatem et monasterium debitis, pro predictis terris, possessionibus et ecclesiis, et ipsi episcopo subtracta et detenta a viginti duobus annis

elapsis citra, quam idem procurator fecit et asseruit quadraginta librarum parvorum Venetorum anno quolibet asscendere; nos advertentes, quod nil prodesset humilibus humilitas, si contemptus contumacibus non obesset, recepto prius ab eodem Paulo corporali iuramento, quod predicta omnia vera erant, et quod ea calupniose ac malitiose non petebat, prefatum fratrem Johannem abbatem, exigente iustitia, contumacem reputavimus, et ne de ipsius contumacia valeat gloriari, ipsum fratrem Johannem abbatem, exigente iustitia, in huiusmodi scriptis, pro tribunali sedentes, excommunicationis sententia innodamus; mandantes, ipsum tamdiu, ubi expediens fuerit, excommunicatum publice nunciari, donec sancte Romane ecclesie, eiusdem domini legati et nostris venerit humiliter parere mandatis, et ab eodem domino legato seu nobis de predictis absolutionis beneficium meruerit obtinere, quodque prefato episcopo de supradictis debitis, nisi aliud canonicum obsisterit, integre satisfecerit. Lata, lecta et pronunciata fuit supradicta excommunicationis sententia in scriptis per supradictum dominum Phylippum auditorem, pro tribunali sedentem, in civitate Seniensi, in sala hospitii supradicti domini legati, presente supradicto domino Paulo archidiacono Scardonensi, procuratore supradicti episcopi, et ipsam sententiam cum instantia ferri petente; et scripta per me Phylippum Compagnoni de Cingulo, notarium eiusdem domini legati, sub anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. die Veneris, XVI. mensis Augusti, statim post horam tertie, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio, presentibus domino Vanne de Aretio canonico Auximano, capellano eiusdem domini legati, domino Johanne de Buctuano de Jadra, archidiacono Farensi, ser Guidocto de Varitassis de Jadra, domicello eiusdem domini legati, et aliis pluribus testibus, ad predicta vocatis specialiter et rogatis.

(Littera denunciationis et immissionis tenute.)

Magister Phylippus de Sardinia canonicus Arborensis, reverendi in Christo patris et domini domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, generalis auditor, discreto viro Ambrosio archipresbytero Berberiensi,[1] Scardonensis diocesis, salutem in Domino. Pridem fratrem Johannem abbatem monasterii sanctorum Cossme et Damiani de Monte, Jadrensis diocesis, per cursorem et specialem nuncium iuratum supradicti domini legati, personaliter inventum in civitate Jadrensi, citari et requiri legitime fecimus, ut certo die et hora coram nobis, seu prefato domino legato, legitime

1 Brebiriensi.

et peremptorie comparere deberet, venerabili in Christo patri domino... episcopo Scardonensi, vel eius procuratori, super eo, quod ipse abbas et dictum monasterium decimas debitas eidem pro terris, possessionibus et ecclesiis, quas ipse et dictum eius monasterium in diocesi Scardonensi habere noscuntur, exhibere sibi iam diu, ac cum ipso contribuere in procuratione prefati domini et aliorum sedis apostolice, in quantitate ipsum et dictum eius monasterium tangente, pro predictis terris, possessionibus et ecclesiis denegavit, et denegat minus iuste, in iudicio de iustitia responsurus. Adveniente vero predicte citationis termino, idem abbas, seu alius pro eodem, coram ipso domino legato vel nobis contempsit contumaciter comparere,... procuratore ipsius episcopi coram nobis in dicto termino et postea legitime comparente, et prefati abbatis, citati et non comparentis, contumaciam accusante, ac petente ipsum abbatem per nos excommunicari, et ipsum episcopum, vel eius procuratorem, pro eo poni et induci, ac inductum defendi in tenutam et corporalem possessionem bonorum predicti abbatis et monasterii mobilium, si extant, alioquin immobilium, valentium quantitatem pecunie, de predicta procuratione ipsum et dictum monasterium tangentem, necnon pro decima eidem episcopo debita, et per ipsum abbatem et monasterium subtracta, pro predictis terris, possessionibus et ecclesiis, quas in dicta diocesi Scardonensi habere noscuntur, a viginti duobus annis elapsis citra, quam per corporale sacramentum dixit et declaravit coram nobis, LX. libras Venetorum parvorum anno quolibet asscendere. Nos vero eundem abbatem post dictum terminum de benignitate diebus pluribus expectantes, quia ipse, seu alius pro eodem, qui eius contumaciam excusaret, coram nobis, seu domino legato prefato, contempsit contumaciter comparere: ideo ipsum, exigente iustitia, in scriptis excommunicationis sententia duximus innodandum; mandantes, ipsum sic excommunicatum publice nunciari. Quare Discretioni Tue presentium tenore, qua fungimur auctoritate, cum et sub excommunicationis pena mandamus, quatenus memoratum abbatem per omnes ecclesias et loca eidem monasterio circumadiacentia et alibi, ubi videris expedire, tamdiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis et extinctis, coram fideli populo, cum missarum sollempnia celebrantur, excommunicatum publice nuncies, et facias, auctoritate nostra, per alios ecclesiarum presbyteros et rectores publice nunciari, donec prefati domini legati, nostris et ecclesie venerit mandatis humiliter pariturus, et ab eodem domino legato, seu nobis, de predictis absolutionis beneficium meruerit

obtinere, ac eidem episcopo de predictis secundum iustitiam respondebit. Diem vero denunciationis et formam, et quicquid in hac parte duxeris faciendum, nobis fideli scripto, harum seriem continenti, studeas intimare. Datum Segnie, die XVII. mensis Augusti, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

(Littera domini legati super executione supradicte sententie.)

Frater Gentilis &c. magnifico et potenti viro, Paulo bano Croatorum et totius Bosnie domino,[1] sancte Romane ecclesie dilecto in Christo filio et devoto, salutem in Domino. Pridem magister Phylippus de Sardinia canonicus Arborensis, capellanus et generalis auditor noster, fratrem Johannem abbatem monasterii sanctorum Cossme et Damiani de Monte, Jadrensis diocesis, personaliter inventum in civitate Jadrensi, per cursorem et nuncium nostrum iuratum citari et requiri fecit legitime, ut certa die et hora coram nobis, aut ipso auditore nostro, legitime et peremptorie comparere deberet, venerabili in Christo patri... episcopo Scardonensi, vel eius procuratori, super eo, quod ipse abbas et dictum eius monasterium decimas debitas eidem pro terris, possessionibus et ecclesiis, quas idem abbas et monasterium eius iam dictum in diocesi Scardonensi habere noscuntur, exhibere sibi iam diu, ac contribuere cum eodem, in procuratione nostra et aliorum sedis apostolice legatorum, in quantitate ipsum et dictum eius monasterium tangente, pro terris, possessionibus et ecclesiis supradictis denegavit, et denegat minus iuste, in iudicio de iustitia responsurus. Adveniente vero dicte citationis termino, idem abbas, seu alius pro eodem, coram nobis, seu ipso auditore nostro, contempsit contumaciter comparere, procuratore ipsius episcopi in dicto termino et postea coram ipso auditore legitime comparente, et ipsius abbatis, citati et non comparentis, contumaciam accusante, ac petente, contra ipsum, tanquam contra contumacem, procedi, et eum excommunicari, ac ipsum episcopum, vel eius procuratorem, mitti et induci, et inductum defendi in corporalem tenutam et possessionem bonorum dicti abbatis et monasterii, valentium quantitatem pecunie, eundem abbatem et monasterium tangentem, de procuratione pro nobis in provincia Spalatensi imposita, necnon pro decima, eidem episcopo debita et subtracta a vigintiduobus annis elapsis citra per abbatem et monasterium predictum, quam idem procurator coram eodem auditore nostro in iudicio

[1] Paulus banus Croatiæ c. a. 1308–1309.

ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, iuravit, LX. librarum summam parvorum Venetorum anno quolibet asscendere. Prefatus vero auditor eundem abbatem post dictum terminum de benignitate diebus pluribus expectans, quia ipse, seu alius pro eodem, coram nobis, seu ipso auditore nostro, comparere minime procuravit, ipsum abbatem, exigente iustitia, in scriptis excommunicationis sententia innodavit, mandans, ipsum sic excommunicatum publice nunciari. Nos igitur attendentes, quod humilitas nil prodesset humilibus, si contemptus contumacibus non obesset, ac volentes eiusdem episcopi indempnitatibus precavere, et sibi in sua iustitia non deesse, Prudentie Tue presentium tenore committimus, et sub excommunicationis pena, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus si idem abbas prefatam excommunicationis sententiam per duos menses post datam presentium, quod non credimus, animo substinuerit indurato, et a nobis de predictis absolutionis beneficium non meruerit obtinere, quodque eidem episcopo de supradicta decima, sibi per dictum abbatem et monasterium debita et subtracta, et per sacramentum predicti procuratoris superius declarata, non satisfecerit cum effectu: Tu per Te vel alium, seu alios, post dictos duos menses, auctoritate nostra, prefatum episcopum, vel eius procuratorem pro eo, in corporalem tenutam et possessionem bonorum dicti abbatis et monasterii mobilium, si extant, alioquin immobilium, ponas ac inducas, et defendas inductum, ac illorum usque ad satisfactionem predicte decime, superius declarate, facias pacifica possessione gaudere, ut sic idem abbas tedio affectus, iuri veniat responsurus. De predictis autem, que in hac parte feceris, facies fieri publica documenta, destinanda nobis inposterum ad cautelam. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, sigilli nostri appensione munitas. Datum Segnie, die XVII. mensis Augusti, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

Die Jovis, VI. mensis Februarii, anni Domini millesimi CCCVIIII. indictione VII. dominus Marinus plebanus sancti Stephani de Jadra, nuncius domini episcopi Scardonensis, presentavit se coram domino Phylippo auditore supradicto apud Budam, et produxit ac representavit quoddam publicum instrumentum, cuius tenor talis est:

(Qualiter fuit abbas denunciatus excommunicatus in partibus suis.)

Anno ab incarnatione Domini millesimo trecentesimo octavo, indictione VII. die V. exeunte Decembri, [1] presentibus inclito viro domino

[1] 27. Decembris.

Paulo bano Croatorum, domino comite Georgio filio eius, reverendo patre domino fratre Martino episcopo Sibinicensi[1] et aliis. Cum discretus vir, dompnus Ambrosius archypresbyter Breberiensis et Scardonensis canonicus, iuxta mandatum venerabilis in Christo patris domini fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, denunciaverit ac denunciari fecerit per continuos quatuor menses in singulis dominicis et diebus festivis religiosum virum... abbatem monasterii sanctorum Cosme et Damiani de Monte, diocesis Jadrensis, tam in cathedrali ecclesia Scardonensi, quam in ceteris ecclesiis dicto monasterio adiacentibus, secundum formam et tenorem litterarum dicti domini legati, excommunicatum esse, quousque ab ipso domino legato beneficium absolutionis accipere non meruerit, ex eo, quod citatus per nuncium iuratum dicti domini legati ad petitionem reverendi patris domini... episcopi Scardonensis, sibi in iudicio responsurus de iustitia, comparere neglexit; aspirante termino dictorum quatuor mensium, idem dompnus Ambrosius eundem... abbatem excommunicatum nunciavit in ecclesia sancti Johannis Evangeliste de Scardona, quando misse sollempnia celebrabantur, observatis forma et modo, contentis in litteris ipsius domini legati. Actum Scardone, in dicta ecclesia sancti Johannis.

Ego Nicolaus de Coneolano, filius quondam Andree Jervasii, imperiali auctoritate notarius, hiis interfui, rogatus a dicto dompno Ambrosio, et scripsi.

XXVI.

1308. Circa 16—23. Augusti. Segniæ.

Cardinalis Gentilis hæreticos in provincia Slavoniæ per episcopum Nonensem excommunicari mandat.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. fol. 6—7.)

Frater Gentilis &c. Venerabili in Christo patri... episcopo Nonensi,[2] salutem in Domino. Sua nobis dilecti in Christo filii... minister provincialis ordinis fratrum Minorum et... inquisitor heretice pravitatis in provincia Sclavonie ac... guardianus et fratres eiusdem ordinis Jadrensis, gravi conquestione monstrarunt, et ad nos veridica

1 Martinus episcopus Sibinicensis, ordinis s. Francisci, 1298—1319.
2 Forsitan Marcus, de quo a. 1291 fit mentio, et a. 1302 diploma pro zupano Radislao edidit.

iam relatione, non sine magna mentis turbatione, pervenit, quod Marinus et Symon presbyteri, Grisogonus diaconus et Petrus subdiaconus Jadrensis, perditionis filii, associatis sibi quibusdam aliis iniquitatis alumpnis, Dei et hominum timore postposito, ac reverentia vilipensa, in inquisitorem et quosdam alios ex fratribus supradictis insultum cum armis et lapidibus nefarium facientes, non sine manuum iniectione temere violenta, ausu sacrilego, quosdam ex dictis fratribus verberarunt, quosdam vero, non sine multa sanguinis effusione, percusserunt ad mortem. Quia vero, propter exempli perniciem prorogandi ad posteros, talia non sunt conniventibus oculis toleranda, Paternitati Vestre, qua fungimur auctoritate, sub excommunicationis pena, quam ipso facto Vos incurrere volumus, si huiusmodi mandatum nostrum efficaciter neglexeritis adimplere, districte precipimus, quatenus dictos sacrilegos per Vos, vel per alium seu alios, in ecclesiis vestre civitatis et diocesis, et in locis aliis, ubi expedire videritis, tamdiu excommunicatos publice nuncietis, et faciatis ab aliis artius evitari, donec passis iniuriam satisfecerint competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem apostolicam, vel ad presentiam nostram, personaliter venerint absolvendi. Et nichilominus ipsos per Te, vel alium seu alios, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra quindecim dierum spatium post citationem huiusmodi, personaliter se nostro conspectui representent, facturi et recepturi super premissis, quod ulterius preter denunciationem predictam ordo dictaverit rationis. Invocato ad citationem huiusmodi faciendam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Diem vero citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, studeatis fideliter intimare. Datum Segnie &c.

XXVII.

1308. 17. Augusti. Segniæ.

Cardinalis Gentilis Andream filium Marci Michaelis comitis Arbensis in familiarium suorum consortium recipit.

(In archivo ducali Venetiis.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilecto domicello et familiari nostro Andree, nato nobilis viri Marci Michaelis comitis Arbensis,

salutem in Domino. Tui nobilitas generis et devotionis sinceritas, quam ad personam nostram Te habere percepimus, promerentur, ut personam tuam specialis favoris gratia prosequamur. Hinc est, quod nos Te in domicellum et familiarem nostrum recipimus, et domicellorum ac familiarium nostrorum consortio aggregamus. Volentes, ut de cetero domicellorum ac familiarium nostrorum nomine gaudeas, et favoris nostri ubique presidio potiaris. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde confectas sigillo nostro munitas tibi duximus concedendas. Datum Segnie, XVI. kalendas Septembris, anno Domini millesimo trecentesimo octavo, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

XXVIII.

1308. 17. Augusti. Segniæ.

Cardinalis Gentilis episcopum Scardonensem in possessionem bonorum abbatis ss. Cosmæ et Damiani excommunicati per Paulum banum Croatiæ et totius Bosniæ introduci mandat.

(Vide supra pag. 51.)

XXIX.

1308. 23. Augusti. Segniæ.

Cardinalis Gentilis visitatoribus ecclesiæ sancti Viti in districtu castri Dobregne, Veglensis diœcesis, indulgentiam concedit.

(Bibl. Vat. in coopertorio codicis 4013.)

[Frater Gentili]s miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus. [Universis Christi fidel]ibus, presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Loca sanctorum omnium pia [et prompta devotione sunt] a Christi fidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant, [et illorum nobis vendicantes] quodam modo patrocinium, apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus [optinere. Cupientes itaque,] ut ecclesia sancti Viti districtus castri Dobregne, Veglensis diocesis, congruis honoribus frequentatur, [omnibus vere penitentibus] et confessis, qui ecclesiam ipsam in sancti Andree, sancti Viti, sancte Marine

virginis et martyris [festivitatibus, et] per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes, devotionis causa venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et [Pauli apostolorum eius meritis] confidentes, auctoritate apostolica, nobis in hac parte commissa, quadraginta dies de iniunctis [eis penitentiis annis singulis] misericorditer in Domino relaxamus. Datum Segnie, X. kalendas Septembris, anno nativitatis [millesimo trecentesimo octavo,] pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

In membrana, videtur expeditum non fuisse.

XXX.

1308. 1. Septembris. Modrusii.

Franciscus abbas monasterii s. Petri Arbensis Angelum de Sancta Victoria, familiarem cardinalis Gentilis, procuratorem suum constituit.

(Bibl. Vat. Cod. 3935. fol. 4.)

Die primo mensis Septembris, apud Modruxium, presentibus fratre Petro de Lana, magistro Johanne de Pontecuruo et Zuccha de Pergula, familiaribus domini legati, dominus frater Franciscus abbas monasterii sancti Petri, Arbensis diocesis, fecit et constituit suum procuratorem magistrum Angelum de Sancta Victoria, presentem et suscipientem contra omnes personas &c.

Ego Phylippus rogatus.

XXXI.

1308. 9. Septembris. Zagrabiæ.

Cardinalis Gentilis præpositis Strigoniensis, Zagrabiensis et Scepusiensis ecclesiarum mandat, ut conventibus Carthusiorum in conservatione iurium ipsorum adsint.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. fol. 7.)

Frater Gentilis &c. Dilectis in Christo filiis . . . Strigoniensis et . . . Zagrabiensis, ac sancti Martini in Cips, Strigoniensis diocesis, ecclesiarum prepositis, salutem in Domino. Dignum est, ut qui non solum sua, verum etiam semet ipsos salubriter abnegantes, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt, in claustris claustralibus se claudendo, gratis attollamus favoribus, et congruis presidiis muniamus, ut eo devotius,

quo quietius pacis famulentur auctori. Sane dilecti in Christo filii, priores et conventus domorum, beate Marie in Clusa et sancte Margarite in Lapide Refugii ac Paradisi sancti Johannis in Lubesiza, ordinis Cartusiensis, Strigoniensis et Zagrabiensis diocesis, sua nobis conquestione monstrarunt, quod nonnulli clerici et laici ad eos propter Deum debitam reverentiam non habentes, ipsos in personis, bonis ac iuribus suis, contra apostolice sedis et legatorum eius indulta, presumunt indebite molestare. Verum cum ordinarii iniuriatorum ipsorum eisdem prioribus et conventibus, in exhibendo iustitiam de talibus, se interdum reddant difficiles et etiam negligentes, ipsisque nimis difficile ac dispendiosum existat, pro singulis iniuriis apostolicam sedem adire; iidem fratres nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis in hac parte de oportuno remedio dignaremur. Ideoque Discretioni Vestre, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus Vos, vel duo aut unus vestrum, per Vos vel per alium seu alios, prefatis prioribus et conventibus defensionis presidio assistentes, vocatis, qui fuerint evocandi, cum ab eis fueritis requisiti, veritate cognita de predictis iniuriatoribus, cuiuscunque conditionis, status, ordinis vel dignitatis existant, etiamsi pontificali fulgeant dignitate, exhibeatis iusticie complementum. Contradictores eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum Zagrabie, V. idus Septembris, pontificatus &c.

XXXII.

1308. 25. Septembris. Zagrabiæ.

Cardinalis Gentilis Francisco de Mantua, suo beneficio per abbatem excommunicatum s. Petri Arbensis spoliato, de quadam domo, sita in Segnia, providet.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. fol. 7—8.)

Frater Gentilis &c. Dilecto in Christo filio, religioso viro fratri Francisco de Mantua, ordinis sancti Benedicti, salutem in Domino. Dum diligenter advertimus, quam sit amarum abundare solitis et specialiter, contra iustitiam, dignitatibus destitutis experiri dispendium egestatis, et quid premii a divina clementia de impensa talibus subventione proveniat, libenter, quod possumus, eis provisionis auxilium impertimur. Sane licet pridem fratrem Jacobum, qui pro abbate monasterii sancti Petri Arbensis nunc se gerit, per litteras nostras et nuncium curie nostre iuratum peremptorie citare fecerimus, ut certo termino, in dictis litteris

comprehenso et iam elapso, coram nobis super bono statu ipsius monasterii et aliis, ad nostre legationis officium pertinentibus, auditurus, que mandare volebamus eidem, prout in eisdem citationis litteris plenius continetur, legitime comparere deberet; quia tamen, ut inobedientie filius, per se vel alium ad predicta coram nobis comparere contempsit, magistro Philippo de Sardinea canonico Arborensi, capellano nostro ac curie nostre generali auditori causarum, commisimus specialiter, ut contra eundem fratrem Jacobum, secundum quod sua exigeret contumacia, et suaderet iusticia, ad excommunicationis et suspensionis sententias procederet, et alias, prout sibi, servato iuris ordine, videretur. Qui auditor, visa citatione et comperta contumacia fratris Jacobi supradicti, interloquendo pronunciavit merito contumacem; nichil plus tunc contra ipsum procedens. Sperans, ut contumaciam et inobedientiam suam debita satisfactione redimeret, ac mandatis nostris et sancte matris ecclesie humiliter ac devote pareret. Verum quia idem frater Jacobus omnino in sua contumacia persistebat, prefatus auditor, quia nil obedientia prodesse videretur humiliter *(sic)*, si contumacia contumacibus non obesset, eum excommunicationis sententia innodavit; ipsumque in maioribus et aliis ecclesiis Segniensis, Veglensis et Assarensis civitatum, et in loco fratrum Minorum de Arbo, ut ad ipsius perveniret noticiam, per litteras nostras mandavimus tamdiu excommunicatum publice nunciari singulis diebus dominicis et festivis, donec ad nostra et ecclesie mandata rediens, mereretur absolutionis beneficium obtinere. Cumque idem frater Jacobus excommunicationem ipsam diu substinuerit, et adhuc substineat, in sua contumacia perseverans animo indurato, et crescente contumacia, crescere debet et pena, dictus auditor sententialiter suspendit eundem ab amministratione qualibet spiritualium et temporalium monasterii supradicti, expresse mandante, ut vassalli et alii subditi dicti monasterii dicto fratri Jacobo, tanquam abbati, in nullo respondeant, nec alias ei pareant, nec intendant. Prout hec omnia tam ex relatione prenominati auditoris nostri, quam ex actis, in ipso negotio attitatis, plenissime nobis constant. Amministratione itaque tam in capite, quam in membris prefati monasterii ad nos legitime devoluta, nobis humiliter supplicasti, ut Tibi, qui olim, nulla causa rationabili precedente, abbatia dicti monasterii, in cuius possessione diu pacifice fueras, prout fertur, perperam et inique diceris spoliatus, de quadam domo ad dictum monasterium sancti Petri Arbensis, sita in Segnia, pertinente, cum iuribus et pertinentiis suis pro substentatione vite tue providere misericorditer dignaremur. Nos itaque attendentes

tue devotionis ac fidei puritatem, aliaque probitatis merita, super quibus laudabile Tibi testimonium perhibetur, tuis supplicationibus inclinati, ne in tui dedecus ordinis mendicare cogaris, de predicta domo cum iuribus et pertinentiis suis, in provisionem et substentationem vite tue, donec de ipsa aliud ordinandum duxerimus, Tibi auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, tenore presentium providemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis seu provisionis infringere, vel ei auxu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Zagrabie, VII. kalendas Octobris, anno Domini MCCCVIII. pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

XXXIII.

1308. 1. Octobris. Venetiis.

Petrus Gradenigo dux Venetiarum cardinalem Gentilem rogat, ut Jacobus Vendelinus canonicus Zagrabiensis alibi possit recipere redditus præbendæ suæ.

(In archivo ducali Venetiis.)

Fratri cardinali in partibus Ungarie legato. Cum dilectus noster Jacobus Vendelinus plebanus ecclesie sancti... de Venetiis, canonicus sancti Marci de Venetiis, Minorensis et ecclesie Zagrabiensis, quem fama laudabilis recommendat, intendat dare operam studio litterarum, sed quod sine redditibus nequiret in effectum deducere: Paternitatem Vestram affectuose rogamus, quatenus eidem dignemini de gratia speciali concedere, quod ipse in aliqua ecclesiarum suarum possit recipere redditus prebende dicte ecclesie Zagrabiensis. Datum die primo Octobris, indictione VII.[1]

[1] Id est indictione græca (stilo Mediolanensi), quæ a 1. Septembris numerabatur.

XXXIV.

1308. 4. Novembris—1309. 21. Aprilis. Budæ.

ro:essus potestatis, consilii, communis et operarii ecclesiæ contra episcopum Traguriensem super quadam vinea sancti Vitalis, coram cardinale Gentile peractus.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 19—41.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. tempore domini Clementis pape V. die Lune, quarto mensis Novembris. Actum Bude, in loco fratrum Predicatorum de Castro. Coram reverendo in Christo patre et domino domino fratre Gentile Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, Dessa Ambasii de Tragurio procurator et syndicus domini Oliverii potestatis, consiliariorum, consilii et communis civitatis Tragurii, necnon procurator Gregorii Salinguerre operarii ecclesie sancti Laurentii de Tragurio, ex parte una, ac venerabilis pater dominus Liberius episcopus Traguriensis pro se ipso et ecclesia sua, ex parte altera, in iudicio comparuerunt. Et dictus Dexa duas litteras sigillo ipsius domini episcopi sigillatas, continentes quasdam appellationes et apostolos, clausas, representavit, offerens se paratum, procedere in dicta causa. Quibus quidem litteris per eundem dominum legatum receptis, prefatus dominus legatus tradidit eas venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, capellano et auditori suo, mandans sibi, ut causam seu causas in dictis litteris contentas et dependentia ab eisdem audiret, et fine debito terminaret. Tenor autem predictarum duarum litterarum talis est per ordinem:

(Prima littera.)

Reverendissimo in Christo patri domino et domino fratri Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato in regno Ungarie, Liberius miseratione divina episcopus Traguriensis, licet indignus, se ipsum cum reverentia tam debita quam devota. Vestre reverende Paternitati facio harum litterarum serie fore notum, me, sedente pro tribunali in sede mea in maiori ecclesia cathedrali, quandam sententiam excommunicationis tulisse in scriptis contra potestatem, consilium et sapientes civitatis Tragurii, cuius tenor talis est per omnia:

Nos Liberius miseratione divina Traguriensis episcopus, monemus

pro primo, secundo et tertio termino et peremptorie et sub pena excommunicationis dominum Oliverium potestatem civitatis Tragurii, consilium generale et sapientes electos et deputatos per dictum consilium civitatis Tragurii, quod omne preceptum seu bannum, factum Gregorio Salinguerre operario ecclesie sancti Laurentii de Tragurio sub pena quinquaginta librarum denariorum Venetorum parvorum, quod dictus Gregorius debeat petere et recipere omnia, que spectare noscuntur ad fabricam ecclesie sancti Laurentii; qui Gregorius, tanquam operarius dicte ecclesie, ex vigore dicti precepti sibi facti petit a laboratoribus nostris puncte sancti Vitalis sibi dari et assignari quartam partem vini sive musti dicte puncte, sicut per Johannem rivarium communis Tragurii banditum fuit in una maceria, existente in dicta puncta, ex parte domini potestatis, quod omnes laboratores ipsius puncte deberent dare et assignare dicto Gregorio Sallinguerre operario sancti Laurentii quartam partem musti predicte puncte sub pena quinquaginta librarum. Quod quidem preceptum seu mandatum factum dicto Gregorio et bannum factum per rivarium communis laboratoribus predicte puncte dictus potestas revocare, cassare et annullare debeat infra tres dies; cum factum fuerit in non modicum nostri dampnum, preiudicium et gravamen ex eo, quod nos pro tribus partibus et capitulum pro quarta parte fuimus et simus in pacifica et quieta possessione de dicta puncta et fructibus, sicut patet per publica instrumenta manu publica confecta. Alioquin si infra predictum terminum non duxerit dictus potestas revocandum dictum preceptum seu mandatum factum dicto Gregorio operario et bannum factum per dictum rivarium ex parte dicti domini potestatis dictis laboratoribus, in hiis scriptis sententiam excommunicationis ipsum dominum Oliverium potestatem suosque consiliarios atque sapientes exnunc prout extunc incurrere ipso facto volumus. Lata et pronunciata fuit hec sententia in ecclesia cathedrali beati Laurentii per dictum dominum episcopum, sedentem in sede sua, presentibus fratre Lazaro guardiano fratrum Minorum de Tragurio, fratre Petro Theotonico ordinis Minorum, fratre Theodoro priore fratrum Predicatorum, fratre Dominico de Vegla ordinis Predicatorum, dompno Lampredio primicerio ecclesie sancti Laurentii de Tragurio, dompno Casaricza canonico, fratre Sauino monacho sancti Johannis de Tragurio, fratre Benedicto monacho eiusdem monasterii, dompno Daniele presbytero et dompno Zepregna presbytero, testibus vocatis et rogatis ad hec specialiter, die XVI. mensis Septembris.

A qua quidem mea sententia Nicholaus Caczotti, tanquam syndicus et procurator domini potestatis, consilii et sapientum civitatis Tragurii,

die XVIII. mensis Septembris coram me talem appellationem interposuit:

Coram Vobis, venerabili patre domino Liberio episcopo Traguriensi, ego Nichola Cazotti syndicus communitatis Tragurii, syndicario nomine pro ipso communi et procuratore domini Oliverii potestatis civitatis Tragurii, procuratorio nomine pro eo, sentiens me syndicum, syndicario nomine dicti communis, et ipsum commune et procuratorio nomine dicti domini potestatis, gravatum et gravari posse a quadam ammonitione seu precepto, si amonitio aut preceptum dici potest, per Vos facto, ut dicitur, contra dictum dominum potestatem, consiliarios et commune vel singulares personas dicte civitatis; in quo ammonistis, ut dicitur, potestatem et consilium et singulares personas, sic vel aliter, prout in dicta monitione seu precepto, si amonitio seu preceptum dici potest, dicitur contineri, quod deberet tollere seu cassare pro primo, secundo et tertio termino et peremptorie sub pena excommunicationis, quod dictum preceptum, quod dicitis fore factum per dictum dominum potestatem Gregorio Sallinguerre operario ecclesie sancti Laurentii, electo per potestatem et consilium, Vobis domino episcopo et capitulo presentato, et per Vos et capitulum dictus Gregorius fuit adprobatus secundum formam privilegii facti per venerabilem patrem dominum fratrem Gentilem tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, apostolice sedis legatum in regno Ungarie, potestati et consilio civitatis Tragurii de operario eligendo ecclesie sancti Laurentii, qui excutiat, tollat, recipiat et in opere ecclesie predicte convertat omnes introitus et proventus, qui ad ecclesiam sancti Laurentii pertinent, secundum formam privilegii facti per supradictum dominum legatum communi Traguriensi et ecclesie supradicte. Unde cum predicta ammonitio seu preceptum, si ammonitio seu preceptum dici potest, sit factum contra ius et iustitiam et iuris ordine non servato, nobis inrequisitis, contra formam privilegii dicti domini legati, sentiens me syndicum et procuratorem, syndicario et procuratorio nomine ipsorum, quorum syndicus et procurator sum, gravatum et gravari posse, nomine quo supra, ex causis predictis et que dici possent in posterum: ideo ad supradictum dominum fratrem Gentilem apostolice sedis legatum in regno Ungarie in hiis scriptis appello, et apostolos instanter ac instantissime michi dari peto, nomine quo supra, et iterum dari peto. Submittens et subponens me syndicum et procuratorem et speciales personas, syndicario et procuratorio nomine supradictorum, et iura nostra et dicti domini potestatis et communis sub protectione et defensione supradicti domini legati et suorum

officialium. Protestans, quod huiusmodi appellatione pendente, nil debeat per Vos contra dictum dominum potestatem et commune et singulares personas penitus innovari. Facta fuit dicta appellatio coram dicto domino episcopo, in sala ipsius, die XVIII. mensis Septembris. Presentibus Gregorio domini Luci et Cipriano Marini testibus et Francisco domini Valentini examinatore.

Cui appellationi non detuli, tanquam frivole et inani, istis de causis: Primo videlicet, quod ad dictum dominum potestatem civitatis Tragurii ad suum officium non pertinet precipere dicto Gregorio Sallinguerre, ut reciperet redditus et proventus et fructus puncte sancti Vitalis, quia in privilegio vestro, facto et concesso operi ecclesie sancti Laurentii, non continetur, quod debeat esse executor possessionis et reddituum puncte sancti Vitalis; nec ipse potestas est meus iudex in predictis, nec in aliis; cum dicta puncta sancti Vitalis fuit data cum omnibus pertinentiis suis et fructibus predecessoribus nostris et michi et capitulo per commune dicte civitatis Tragurii, sicut patet per publica documenta scripta manu publica; quam punctam tenui et possedi una cum dicto capitulo pacifice et quiete usque in diem dicti precepti, facti dicto Gregorio per dictum dominum potestatem; et ex vigore dicti precepti facti dictus Gregorius recepit et recipi fecit quartam partem fructus et redditus dicte puncte, ad me pertinentem et expectantem et non ad dictam fabricam, et fructibus dicte puncte dictus Gregorius me expoliavit metu pene et banni sibi facti de L. libris per dictum dominum potestatem, prout ipse Gregorius confessus fuit coram me et dicto capitulo sine cause congnitione. Item non detuli ex eo, quod dictus potestas dicit, quod dicta ammonitio seu preceptum facta vel factum fuit eis inrequisitis; quod falsum est ex eo, quod ego processi iuris ordine servato, primo, quia protestatus fui ipsi domino potestati et suis sapientibus, qui gerebant et gerunt vicem et auctoritatem totius consilii generalis, ut patet per publicam protestationem scriptam manu magistri Thomasii notarii. In qua quidem protestatione continetur, quod dictus potestas, una cum suis sapientibus, deberent annullare, cassare et revocare preceptum factum Gregorio Sallinguerre sub pena quinquaginta librarum, et etiam bannum factum per rivarium communis laboratoribus nostris dicte puncte sancti Vitalis sub eadem pena L. librarum; quod ipsi deberent respondere dicto Gregorio de quarta parte fructuum scilicet musti. Item non detuli ex eo, quod ego processi iuris ordine servato in eo, videlicet quod trina ammonitione premissa, scilicet trium dierum, tuli sententiam excommunicationis in predictos potestatem, sapien-

tes et consiliarios, quod deberent cassare, revocare et annullare dictum preceptum factum dicto Gregorio et bannimentum factum per dictum rivarium dictis laboratoribus infra tertium diem. Quod quidem minime fecerunt, sicut patet in mea sententia manu publica scripta; quam sententiam tuli in scriptis in ecclesia mea cathedrali, sedendo in sede mea pro tribunali, presentibus religiosis personis et aliis, prout in dicta sententia continetur. Et ipsam sententiam non tuli contra privilegium vestrum, quia in ipso privilegio non continetur, quod operarius debeat recipere quartam partem fructuum dicte puncte sancti Vitalis, cum ipsa puncta ad me pertinet et non ad fabricam, nec per ipsum privilegium potuit me expoliare. Quia tamen dictus syndicus et procurator potestatis et communis Tragurii et aliarum personarum, in dicta appellatione contentarum, instanter petiit a me apostolos exhiberi, non quod appellationis ipsius syndici deferam, ut dictum est supra, nomine suo et illorum, quorum interest, presentes dedi apostolos sigillatos meo sigillo eis, prius in actis meis registratis, et prefissi eidem syndico, nomine suo et predictorum in dicta appellatione contemptorum, ut tertia die post festum omnium sanctorum proxime venturum cum eisdem coram Vestra reverenda Paternitate legitime et peremptorie se presentet, ad prosequendum dictam appellationem. Protestans expensas factas et faciendas, dampna et interesse, que ex causa predicta me substinere contingeret in futurum. Datum Tragurii, die XXVII. mensis Septembris.

Tenor vero secunde littere talis est:

(Secunda littera.)

Reverendissimo in Christo patri domino et domino fratri Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato in regno Ungarie, Liberius miseratione divina episcopus Traguriensis, licet indignus, se ipsum cum reverentia tam debita quam devota. Vestre reverende Paternitati facio harum litterarum serie fore notum, me sedente pro tribunali in sede mea in maiori ecclesia cathedrali, quandam sententiam excommunicationis tulisse in scriptis contra Gregorium Sallinguerre operarium ecclesie sancti Laurentii, cuius tenor talis est:

Nos Liberius miseratione divina episcopus Traguriensis monemus pro primo, secundo et tertio termino peremptorie Gregorium Sallinguerre operarium ecclesie sancti Laurentii de Tragurio et sub pena excommunicationis, quod ipse non debeat per se nobis auferre, vel per interpositam personam facere auferri quartam partem vini sive musti puncte sancti Vitalis, nec precipere

laboratoribus nostris predicte puncte sancti Vitalis, quod ei debeant dare et assignare dictam quartam partem vini sive musti. Quod quidem vinum sive mustum ad nos de iure spectare dignoscitur, et non ad eum, sicut apparet per publica instrumenta manu publica confecta; ex eo, quod tam proprietatem quam possessionem dicte puncte tenuimus, possedimus, et fructus ex ea percepimus pacifice et quiete sine aliqua contradictione, et nunc tenemus et possidemus pacifice et quiete, et nos de dicta quarta parte vini sive musti puncte predicte non debeat nos expoliare nec expoliari facere sine cause cognitione. Alioquin si secus fecerit, in hiis scriptis cum sententiam excommunicationis volumus ipso facto incurrere. Lata et pronunciata fuit hec sententia in ecclesia cathedrali beati Laurentii per dictum dominum episcopum, sedendo pro tribunali in sede sua. Presentibus fratre Lazaro guardiano fratrum Minorum de Tragurio, fratre Petro Theotonico ordinis Minorum, fratre Theodoro priore fratrum Predicatorum de Tragurio, fratre Dominico de Vegla ordinis Predicatorum, dompno Lampredio primicerio sancti Laurentii, dompno Casariza canonico, fratre Sauino monacho sancti Johannis de Tragurio, fratre Benedicto monacho eiusdem monasterii, dompno Daniele presbytero et dompno Zepregna, testibus ad hec vocatis et rogatis, die XVI. mensis Septembris.

A qua quidem mea sententia dictus Gregorius die XVIII. mensis Septembris coram me talem appellationem interposuit. Cuius tenor talis est:

Coram Vobis, venerabili patre domino Liberio episcopo Traguriensi, ego Gregorius Sallinguerre operarius ecclesie sancti Laurentii de Tragurio, sentiens me gravatum et gravari posse a quadam amonitione seu precepto, si amonitio seu preceptum dici potest, facta, ut dicitur, contra me, quod non deberem me intromittere, nec recipere aliquos fructus nec proventus ad dictam ecclesiam pertinentes de puncta sancti Vitalis vel aliunde, usque ad cognitam rationem inter nos, sic vel aliter, prout in dicta amonitione seu precepto, si amonitio seu preceptum dici potest, quod me non intromittam, primo, secundo, tertio termino et peremptorie sub pena excommunicationis, quam incurrerem ipso facto. Unde cum predicta ammonitio seu preceptum, si ammonitio seu preceptum dici potest, sic factum contra ius et iustitiam et iuris ordine non servato et me inrequisito et contra privilegium, factum per venerabilem patrem dominum fratrem Gentilem tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, apostolice sedis legatum in regno Ungarie, potestati, consilio, communi et ecclesie sancti Laurentii de operario habendo pro dicta ecclesia, qui recolligat et excutiat fructus et proventus ad dictam ecclesiam pertinentes, secundum formam dicti

privilegii domini legati, sentiens me gravatum et gravari posse, nomine quo supra, ex causis predictis et que dici possent in posterum: ideo ad supradictum dominum fratrem Gentilem legatum in hiis scriptis appello, et apostolos instanter ac instantissime michi dari peto, nomine quo supra, et iterum dari peto. Submittens et subponens me et mea iura et dicte ecclesie sub protectione et defensione supradicti domini legati et suorum officialium, protestans, quod huiusmodi appellatione pendente, nil debeat per Vos contra me et dictam ecclesiam innovari. Facta fuit dicta appellatio die XVIII. mensis Septembris. Presentibus Gregorio domini Luci et Zibriano Marini testibus, et Francisco Valentini examinatore in sala domini episcopi.

Cui appellationi non detuli, tanquam frivole et inani, istis de causis: Primo videlicet, quod ammonitio facta fuit ante sententiam excommunicationis per me latam, una pro tribus, quia necessitas suadebat michi ex eo, quod dictus operarius tempore vendimiarum et die, quo volebant nostri laboratores de puncta sancti Vitalis vendimiare, fecit bandiri per rivarium communis Tragurii de licentia dicti potestatis in una maceria lapidum, existente in dicta puncta, quod omnes laboratores dicte puncte non deberent vendimiare, nisi primo dicto Gregorio operario ecclesie sancti Laurentii assignarent quartam partem musti dicte puncte sub pena L. librarum. Et dicti laboratores multis diebus steterunt, quod non potuerunt vendimiare propter metum dicte pene eis iniuncte per dictum rivarium ex parte dicti domini potestatis, qua de causa ego incurri in maximum dampnum; et donec dictus potestas non dedit eis licentiam vendimiandi, non fuerunt ausi dicti laboratores vendimiare. Item non defero, quia dicit sententiam meam esse preceptum et non sententiam, quod falsum est; quia non fuit preceptum, sed sententia excommunicationis ex eo, quod ammonitio una precessit pro tribus dictam sententiam excommunicationis. Item non defero, quia excommunicationis sententiam non tuli in ipsum Gregorium, nisi solummodo tantum de quarta parte musti predicte puncte, ad me pertinente et non ad fabricam ecclesie; quia tenui et possedi pacifice et quiete cum capitulo mee ecclesie cathedralis usque in diem, quod preceptum factum fuit dicto Gregorio per dictum dominum potestatem, ego pro tribus partibus et capitulum pro quarta parte, sicut patet per publica documenta scripta manu publica. Item non defero ex eo, quod dictus Gregorius [dicit, quod] dictum preceptum seu ammonitio facta vel factum fuit ipso inrequisito; quod falsum est ex eo, quod processi iuris ordine servato; primo quia protestatus fui sibi, quod non deberet accipere quartam partem dicti musti

ad me pertinentem, ut patet per protestationem scriptam manu Thomasii notarii; ergo processi iuris ordine servato, et non eo ignorante, se ipso presciente. Item non defero, quia non pertinet ad officium dicti Gregorii recipere quartam partem musti predicte puncte; quia in privilegio vestro, facto et concesso operi ecclesie sancti Laurentii, non continetur, quod ipse operarius debeat recipere dictam quartam partem dicte puncte sancti Vitalis. Quia tamen dictus Gregorius instanter petiit a me sibi apostolos exhiberi, non quod appellationi ipsius Gregorii deferam, ut dictum est, eidem presentes dedi apostolos sigillatos meo sigillo, eis prius in actis meis registratis, et prefixi eidem Gregorio, ut tertia die post festum omnium sanctorum proxime venturum cum eisdem apostolis Vestre reverende Paternitati legitime et peremptorie se presentet, ad prosequendum dictam appellationem. Protestans expensas factas et faciendas, dampna et interesse, que ex causa predicta me substinere contingeret in futurum. Datum Tragurii, XXVII. mensis Septembris.

Die Veneris, VIII. supradicti mensis Novembris coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas in castro Bedouarii,[1] in eius camera constituti, magister Bartholomeus de Pignactario procurator substitutus a supradicto Ser Dessa procuratore et syndico potestatis, consilii et communis civitatis Tragurii ac Gregorii operarii ecclesie sancti Laurentii de Tragurio, ex parte una, ac Vangnolo de Meuania procuratore supradicti domini episcopi, quolibet pro parte sua et nominibus quibus supra, paratos se obtulerunt in dicta causa, ut iuris esset, procedere. Et idem dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet ad docendum de ipsorum mandatis, et ad producendum mandata ipsorum, et alias ad comparendum et procedendum, prout de iure fuerit, ad diem Mercurii proxime venturam peremptorie terminum assignavit.

Die Mercurii, XIII. supradicti mensis Novembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino auditore, pro tribunali sedente, magistris Bartholomeo et Vangnolo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, idem Bartholomeus tria instrumenta procurationum, factarum per potestatem, consilium et commune predicta, ac per Gregorium operarium predictum, necnon quoddam instrumentum sue substitutionis, publica, ut prima facie apparebant, produxit. Dictus vero Vangnolus quoddam instrumentum sue procurationis, facte per episcopum supradictum, produxit et exhibuit. Quorum tenores inferius per ordinem describentur. Quibus

[1] Budavár?

procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad recipiendum copiam dictarum procurationum et instrumentorum hinc inde productarum, et ad dicendum et opponendum contra, quicquid voluerint, ad diem Lune proxime venturam peremptorie terminum assignavit.

Tenores autem predictorum instrumentorum procurationum et substitutionis per ordinem tales secuntur:

(Procuratio communis.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie,[1] temporibus venerabilis patris domini Liberii episcopi Traguriensis, egregii viri domini Pauli de Briberis comitis, et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die undecima mensis Octubris. Congregato generali consilio hominum civitatis Tragurii in palatio dicti communis, sono campane voceque preconis, de mandato supradicti domini potestatis, ut moris est, dictus dominus potestas de voluntate, presentia et consensu dicti consilii, et ipsum consilium totum cum eo fecerunt, constituerunt et ordinaverunt dompnum Kasarizam archidiaconum Tragurii absentem, tanquam presentem, et dominum Dessam Anblasii, presentem et mandatum suscipientem, ipsos et eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, et quod per unum eorum inceptum fuerit, per alium possit prosequi et finiri, eorum et dicti communis syndicos, procuratores, actores et nunctios speciales, ad prosequendum appellationem interpositam per dominum Nicolaum Casotti syndicum et procuratorem dicti domini potestatis et communis coram domino Liberio episcopo Traguriensi, qui dictum dominum potestatem [et] consilium excommunicatos denunctiavit iniuste, coram reverendo patre et domino domino fratre Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato in regno Ungarie, et suis auditoribus et iudicibus, ad agendum, defendendum, libellum dandum et recipiendum, litem contestandi, ponendi et respondendi, testes et instrumenta introducendi, testes adverse partis iurare videndum et reprobandum, allegandum, opponendum, protestandum, excipiendum, replicandum, dilationes petendum, advocatum inveniendum, unum vel plures syndicos et procuratores loco sui substituendum, ad iuramentum de calumpnia et quolibet alterius generis iuramentum faciendum in animabus ipsorum,

[1] Carolus Robertus rex Hungariæ regnavit a 20. Augusti 1310 usque 16. Julii 1342.

sententiam audiendum, appellandum et prosequendum, si opus fuerit, et generaliter ad omnia alia et singula libere faciendum et exercendum, que causarum merita exigunt et requirunt, et que in predictis et circa predicta fuerint oportuna, et que ipsis syndicis, procuratoribus et cuilibet eorum visa fuerint expediri, libera et generali administratione eisdem syndicis et procuratoribus et cuilibet eorum concessa in predictis et quolibet predictorum, ratum et firmum habituri, quicquid per ipsos syndicos et procuratores et quemlibet eorum et substituendos ab eis factum sive gestum fuerit, sub obligatione bonorum dicti communis. Relevantes ipsos syndicos et procuratores et substituendos ab eis ab omni satisdationis honere, promiserunt michi notario stipulanti nomine omnium, quorum intererit, de iudicio sisti et iudicato solvendo.[1] Actum in palatio dicti communis, presentibus domino Nicola Casocti, Stosa Gropite, Dessa Durrai, testibus rogatis, et Francisco domini Valentini examinatore. Ego Franciscus Valentini consius examinavi.

Ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc communis Tragurii iuratus notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi, dictam additionem feci, quia postquam publicaveram, fui recordatus.

(Procuratio potestatis.)

In Dei nomine amen. Anno Domini MCCCVIII. indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie, temporibus venerabilis patris domini Liberii episcopi et egregii viri domini Pauli de Briberio comitis et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die XII. mensis Octubris. Supradictus dominus Oliverius potestas fecit, constituit et ordinavit dompnum Kasarizam archidiaconum Traguriensem absentem, tanquam presentem, et dominum Dessam Amblaxii, presentem et mandatum suscipientem, ipsos et quemlibet ipsorum in solidum suos veros legitimos procuratores, actores et nunctios speciales, ita quod non sit melior conditio occupantis, et quod per unum eorum inceptum fuerit, per alium possit prosequi et finiri, ad prosequendum appellationem interpositam per dominum Nicolam Casocti procuratorem dicti domini potestatis coram dicto domino episcopo, qui ipsum dominum potestatem denunctiavit excommunicatum, coram reverendo patre et domino domino fratre Gentile tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato in regno Ungarie, et suis iudicibus et

1 Nota marginalis: Sub obligatione bonorum dicti communis.

auditoribus ad agendum, defendendum, libellum dandum et recipiendum, litem contestandum, ponendum et respondendum, testes introducendum, testes adverse partis iurare videndum, reprobandum, terminos et dilationes petendum, allegandum, opponendum, protestandum, excipiendum, replicandum, ad iuramentum de calumpnia et quolibet aliud iuramentum faciendum in anima et super animam ipsius, advocatum inveniendum, unum vel plures procuratores substituendum loco sui, sententiam audiendum et appellandum et prosequendum, et generaliter ad omnia alia et singula libere faciendum et exercendum, que causarum merita exigunt et requirunt, et que ipsis procuratoribus et cuilibet eorum et substituendis ab eis visa fuerint expediri, et que ipsemet, si presens esset, personaliter facere posset, libera et generale administratione eisdem procuratoribus et cuilibet eorum et substituendis ab eis concessa in predictis et circa predicta, ratum et firmum habiturus, quicquid per ipsos procuratores et quemlibet eorum et substituendos ab eis factum sive gestum fuerit in predictis et quolibet predictorum, sub obligatione bonorum suorum. Relevans ipsos procuratores et substituendos ab eis ab omni satisdationis honere, promisit michi notario stipulanti nomine omnium, quorum intererit, de iudicio sisti et iudicato solvendo, sub obligatione bonorum suorum. Actum in palatio domini comitis, presentibus Nicola Casocti, Dessa Morosite et Cipriano Marini, testibus rogatis, et Francisco domini Valentini examinatore. Ego Franciscus Valentini consius examinavi.

Ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc communis Tragurii iuratus notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

(Procuratio Gregorii.)

In Dei nomine amen. Anno Domini MCCCVIII. indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie, temporibus venerabilis patris domini Liberii episcopi, egregii viri domini Pauli de Biberio comitis et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die XI. mensis Octubris. Gregorius Salinguerre operarius ecclesie sancti Laurentii de Tragurio fecit, constituit et ordinavit dominum Dessam Amblaxii presentem suum verum, legitimum procuratorem, actorem et nunctium specialem ad prosequendum appellationem interpositam per eum coram domino Liberio episcopo Tragueriensi, qui ipsum denunciavit excommunicatum, coram reverendo patre et domino domino fratre Gentile tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato in regno Ungarie, et suis iudicibus et audito-

ribus, et ad agendum, defendendum, libellum dandum et recipiendum, litem contestandum, ponendum et respondendum, testes introducendum, testes adverse partis iurare videndum, et reprobandum, allegandum, opponendum, protestandum, excipiendum et replicandum, terminos, dilationes petendum, advocatum et procuratores loco sui inveniendum et substituendum unum vel plures, ad iuramentum de calumpnia et quolibet aliud iuramentum faciendum in anima et super animam ipsius, sententiam audiendum, appellandi, prosequendi et generaliter ad omnia alia et singula libere faciendum, que causarum merita exigunt et requirunt, et que ipsi procuratori et substituendis ab eo visa fuerint oportuna, et que ipsemet, si presens esset, personaliter facere posset, libera et generali administratione eidem procuratori concessa in piedictis et quolibet predictorum, ratum et firmum habiturus, quicquid per ipsum procuratorem et substituendos ab eo factum sive gestum fuerit, sub obligatione suorum bonorum. Relevans ipsum procuratorem et substituendos ab eo ab omni satisdationis honere, promisit michi notario infrascripto nomine omnium, quorum intererit, de iudicio sisti et iudicato solvendo, sub obligatione suorum bonorum. Actum ante domum habitationis mei notarii infrascripti, presentibus Stosia Grepite et magistro Jacobo de Pisis, testibus rogatis, et Dessa Bastiani examinatore. Ego Dessa Bastiani consius examinavi.

Ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc communis Tragurii iuratus notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

(Substitutio.)

In Dei nomine amen. Anno Domini MCCCVIII. indictione VI. tempore domini Clementis pape V. die VII. mensis Novembris. Actum Bude, presentibus venerabilibus viris dominis Phylippo de Sardinea et Johanne de Aretio auditoribus, domino Gasparro de Montefia *(sic)* et domino Jacobo de Sancto Genesio cappellanis reverendi patris domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, testibus, et aliis ad hec vocatis specialiter et rogatis. Providus vir Ser Dessa Amblasii procurator et nunctius discretorum virorum domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, Gregorii Salinguerre operarii ecclesie sancti Laurentii de Tragurio, necnon consilii et communis civitatis predicte Traguriensis, in causam et causas, quam vel quas habet cum venerabili patre domino Liberio episcopo Traguriensi, in curia domini legati supradicti specialiter constitutus, habens ab eisdem domino Oliverio potestate, Gregorio operario,

consilio et communi predictis et quolibet eorum speciale ac specialia mandata et procurationes, alium vel alios procuratorem vel procuratores seu syndicos loco ipsius substituendi, ut de procurationibus ipsius constat per publica instrumenta, scripta et publicata per Andream Petri de Ancona auctoritate imperiali publicum notarium, fecit et substituit loco sui ad omnia, que idem Dessa procurator et syndicus habebat in mandatis, magistrum Bartholomeum Petri de Pignatario, monasterii Casinensis, presentem et suscipientem, transferens in ipsum, nomine quo supra, totaliter vices suas. Ego Phylippus Compagnoni de Cingulo, Auximane diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius predictis omnibus presens interfui, et rogatus scribere, ea scripsi et publicavi, meoque signo signavi.

(Procuratio episcopi.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. pontificatus domini Clementis pape [V.] anno tercio, die XVIIII. mensis Augusti, actum Jadre in domibus archiepiscopatus, presentibus venerabilibus viris domino Vanne de Aretio auditore et capellano reverendi patris domini domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, dominis Lampredio primicerio et Stephano de Ancona canonico Traguriensi testibus, et aliis pluribus ad hec vocatis specialiter et rogatis. Venerabilis in Christo pater dominus Liberius episcopus Traguriensis nomine suo et episcopatus sui fecit, constituit et legitime ordinavit Vangnolum domini Jacobi de Meuania, presentem et mandatum suscipientem, suum verum et legitimum procuratorem, actorem, factorem et certum nunctium specialem, specialiter ad comparendum coram supradicto domino fratre Gentile cardinale, apostolice sedis legato, et ad audiendum et intelligendum sententiam et diffinitivam, quam facere et ferre intendit super lite et causa, que coram eo vertitur inter ipsum dominum episcopum, ex parte una, capitulum Traguriense. nomine ecclesie Traguriensis, ex parte altera, super possessione et predio de Dryd, et generaliter in omnibus aliis et singulis eius litibus et questionibus motis et movendis, quos habet et habiturus est [cum] commune et hominibus Tragurii, et cum quibuscunque aliis clericis et secularibus, ad impetrandum etiam in dicti domini legati curia, et ab eo litteras, tam simplices quam legendas, gratiam et iustitiam continentes, et contradicendum, si necesse fuerit, necnon ad agendum, defendendum, excipiendum, replicandum, denunctiandum, accusandum crimina defectus, opponendum, libellum dandi et recipiendi, litem contestandi, de calumpnia et veritate dicenda iurandum, et in ani-

mam suam cuiuslibet alterius generis sacramentum prestandum, ponendum, respondendum, probandum, reprobandum, testes, instrumenta et iura quelibet producendi, concludendi, allegandi, sententiam vel interlocutoriam audiendi, et, si necesse fuerit, appellandi, appellationem seu appellationes prosequendi, beneficium restitutionis in integrum petendi et recipiendi, alium seu alios procuratorem et procuratores loco sui substituendi et revocandi, et generaliter ad omnia alia et singula facienda, dicenda, gerenda et exercenda, que merita causarum exigunt et requirunt, et que verus ac legitimus procurator facere posset et debet, et que ipsemet dominus episcopus facere posset, si personaliter interesset. Promittens, ratum et firmum perpetuo habere et tenere actum, et quicquid per dictum procuratorem substitutum vel substitutos ab eo factum et gestum fuerit in predictis et quolibet predictorum, sub ypotheca et obligatione bonorum suorum et dicti sui episcopatus. Et volens dictos procuratorem et substitutum vel substitutos ab eo relevare ab omni satisdationis onere, promisit michi notario infrascripto stipulanti, vice et nomine omnium, quorum interest vel intererit, de iudicio sisti et iudicato solvendo pro ipsis in omnem causam et eventum.

Ego Philippus Compagnoni de Cingulo, Auximane diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, et rogatus scribere, scripsi et publicavi, meoque solito signo signavi.

Die Lune, XVIII. supradicti mensis Novembris comparuit in iudicio coram supradicto domino Philippo auditore, pro tribunali sedente, hora vesperarum, magister Bartholomeus procurator supradictus, et dicti Vangnoli procuratoris partis adverse, non comparentis, contumaciam accusavit, approbans eius mandatum, et petens sua procuratoria approbari, tanquam legitima et sufficientia. Qui dominus auditor, visis et lectis instrumentis procurationum predictarum et substitutionis dicti magistri Bartholomei, ea, tanquam sufficientia, approbavit; et commisit Bolognino cursori et nuncio dicti domini legati, quod iret et citaret predictum Vangnolum, ut compareret in iudicio coram eo, ad recipiendum et dandum libellum super dicta causa. Qui cursor statim iens et rediens, retulit se dictum Vangnolum personaliter inventum citasse, secundum formam dicte commissionis.

Die Martis, XVIIII. supradicti mensis Novembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Philippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, hora vesperarum, magistris Bartholomeo et Vangnolo procuratoribus supradictis, nominibus quibus supra et quolibet pro parte

sua, idem Bartholomeus quatuor libellos in iudicio et totidem similes eidem Vangnolo procuratori exhibuit. Unum videlicet nomine Gregorii operarii, alium nomine domini Oliverii potestatis, alium nomine potestatis, consilii et communis Tragurii, et quartum nomine potestatis Tragurii et eius familie. Et idem dominus auditor eidem Vangnolo ad opponendum, respondendum et dicendum contra dictos libellos, VIII. dierum proxime futurorum terminum peremptorie assignavit, qui Vangnolus procurator dictum terminum, tanquam brevem, [1] non acceptavit.

Die Martis, XXVI. supradicti mensis Novembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Philippo auditore, pro tribunali sedente in camera sua, procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua et nominibus quibus supra, prefatus Vangnolus primo quasdam exceptiones contra aliquos ex dictis libellis, et postea quasdam notificationes et protestationes in scriptis dedit et fecit, quarum tenor inferius denotatur. Super libello autem dato pro parte Gregorii dixit, quod salvis eius exceptionibus, paratus erat litem contestari; alios vero libellos petiit coniungi, cum idem contineretur. Et sic super libello dicti Gregorii per dictum Bartholomeum et Vangnolum litis contestatio facta fuit. Qui Bartholomeus dixit narrata, prout narrantur in dicto libello, vera esse, et petita in eo fieri debere; et ex adverso idem Vangnolus dixit narrata, prout narrantur in dicto libello, vera non esse, et petita in eo fieri non debere. Quibus sic peractis, idem dominus auditor eisdem partibus, ad comparendum coram eo et ad audiendum voluntatem suam, utrum alii libelli singulariter procedere debeant vel coniungi, ad cras terminum peremptorie assignavit. Tenor vero libelli dicti Gregorii talis est:

(Libellus Gregorii.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinia canonico Arborensi et auditore generali reverendi patris domini fratris Gentilis &c. Propono ego Bartholomeus substitutus a Dessa procuratore Gregorii Salinguerre operarii sancti Laurentii de Tragurio, contra venerabilem patrem dominum L.[2] episcopum Traguriensem, quod cum post appellationem ad dominum legatum et ad suum auditorem, legitime interpositam, de facto excommunicationis vinculo innodavit, iuris ordine non servato, ac etiam contra tenorem privilegii, dati et facti per sanctissimum patrem dominum

1 In fragmento fol. 31. quo die 24. Novembris gesta brevi recapitulantur, præterea legitur: »et quia dicebat, se non habere advocatum«.
2 Liberium.

legatum supradictum ecclesie sancti Laurentii et ipsius nomine potestati, consilio et communi, de quarta percipiendorum fructuum, prout in ipso privilegio plenius continetur. Quare peto michi, procuratorio nomine, super hoc ex vestro officio provideri, et dictam sententiam per Vos nullam pronunciari, et eum, scilicet Gregorium, ad ipsius observantiam non teneri; vel si qua esset, peto eam, tanquam iniustam, cassari, et eum michi, procuratorio nomine, ad expensas et interesse condempnari. Non adstringens me, nisi ad ea, incumbentia ad victoriam cause mee, salvo iure addendi &c.

Super quo quidem libello facta litis contestatione, ut superius denotatur, per dictos procuratores iuratum fuit de calumpnia et veritate dicenda, cum omnibus capitulis iuramenti calumpnie.

Tenores exceptionum ac petitionis seu protestationis et notificationis predictarum tales sunt, et primo de exceptionibus:

(Exceptiones contra libellos.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo canonico Arborensi, legum doctore, auditore reverendi patris et domini domini fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, dicit et excipiendo proponit Vangnolus de Meuania procurator venerabilis patris domini Liberii episcopi Traguriensis, contra Bartholomeum de Pignactario procuratorem substitutum potestatis, consilii et communis Tragurii, et libellos porrectos per eum, quod cum pro parte dictorum potestatis et consilii sint michi Vangnolo procuratori predicto plures libelli porrecti per predictum Bartholomeum, idem continentes, quod non debeo cogi respondere, nisi ad unum de illis, cum super una et eadem lite ac questione et ab eadem persona non nisi una petitio facienda sit, et ad illam tantum respondere adversarius sit cogendus.

(Petitio seu protestatio de expensis.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo legum doctore, canonico Arborensi, auditore reverendi patris et domini domini fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, Vangnolus de Meuania procurator venerabilis patris domini Liberii episcopi Traguriensis, procuratorio nomine ipsius, protestatur, quod tempore ferende sententie Bartholomeum de Pignactario procuratorem potestatis, consilii et communis Tragurii ac operarii ecclesie sancti Laurentii Traguriensis condempnare debeatis eidem Vangnolo, procuratorio nomine episcopi supradicti, in omnibus expensis factis et faciendis, occasione

appellationis interposite per dictos potestatem, consiliarios et commune ac operarium memoratum, a sententia excommunicationis, lata per dominum episcopum supradictum, et a quocunque processu, facto per eum contra dictos potestatem, consiliarios, commune et operarium memoratum.

(Notificatio privilegii.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo canonico Arborensi, legum doctore, reverendi patris domini fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati auditore, ego Vangnolus de Meuania procurator venerabilis patris domini Liberii episcopi Traguriensis, procuratorio nomine ipsius, notifico Tibi, Bartholomeo de Pignatario procuratori substituto potestatis, consilii et communis civitatis Tragurii, quod privilegium seu constitutio concessum potestati, consiliariis et communi predictis, nomine et vice ecclesie sancti Laurentii, per venerabilem patrem dominum fratrem Gentilem apostolice sedis legatum, contra cuius privilegii seu constitutionis tenorem asseris esse prolatam sententiam excommunicationis in dictos potestatem, consiliarios et commune ac operarium ecclesie sancti Laurentii Traguriensis per episcopum supradictum, est declaratum per prefatum dominum legatum, hoc modo videlicet, quod dictum privilegium seu constitutio et officium operarii, iuxta formam dicti privilegii assumendi, extendatur solummodo ad ea, que in ultimis voluntatibus defunctorum seu etiam per viventes nominatim ad fabricam dicte ecclesie relinquuntur. Ad alia vero, quomodocunque fuerint, extendi non possint, sed dispositioni predicti episcopi persistant. Offerens me paratum, ad cautelam Tibi de dicta declaratione facere plenam fidem.

Die Jovis, XXVIII. supradicti mensis Novembris, comparentibus coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente, magistris Bartholomeo et Vangnolo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, dictus Bartholomeus a libellis aliis, per eum nomine potestatis, consilii et communis singulariter exhibitis, volens desistere, uni tantum adhesit, cuius tenor talis est per ordinem:

(Alius libellus nomine potestatis, consilii et communis.)

Coram Vobis &c. Propono ego Bartholomeus substitutus a Dessa syndico et procuratore communitatis, domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis, consilii et communis Tragurii, procuratorio nomine eorundem, contra venerabilem patrem dominum Liberium episcopum Traguriensem,

qui dictum potestatem, consiliarios et officiales civitatis Tragurii, post appellationem ad sanctissimum patrem dominum legatum predictum et auditorem suum legitime interpositam, quedam precepta et monitiones, si precepta et monitiones dici possent, de facto, iuris ordine non servato, ac etiam contra formam et tenorem privilegii facti et concessi eisdem, nomine ecclesie sancti Laurentii Traguriensis, eos excommunicationis vinculo innodavit. Quare peto michi, nomine quo supra, per Vos super hec ex vestro officio provideri, et dictas sententias, precepta et monitiones nullas et nulla pronunciari, et ipsos potestatem et consiliarios supradictos ad ipsorum observantiam non teneri; vel si que vel si qua essent, peto eas et ea infirmari, et tanquam iniustas et iniusta, annullari, et eum michi, syndicario nomine quo supra, ad expensas et interesse condempnari. Non astringens me, nisi ad ea, que incumbunt ad victoriam cause mee, salvo iure addendi[1] &c.

(Litis contestatio super dicto libello.)

Eodem die, quo supra, postquam dictus Bartholomeus adhesit supradicto libello, et ab aliis desistere voluit, quia idem continebant, animo litem contestandi super dicto libello, dixit narrata, prout narrantur in ipso libello, vera esse, et petita in eo fieri debere. Et ex adverso predictus Vangnolus, procuratorio nomine quo supra, animo litem contestandi super dicto libello, [dixit] narrata, prout narrantur in ipso libello, vera non esse, et petita in eo fieri non debere. Et statim uterque dictorum procuratorum, in animabus dominorum ipsorum, de calumpnia et veritate dicenda, cum omnibus capitulis iuramenti calumpnie, ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, sollempniter iuraverunt. Quibus sic peractis, prefatus dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad ponendum super dicta causa et causis et super quolibet libello, usque ad VIII. dies tunc proxime venturos terminum peremptorie assignavit.[2]

Die Jovis, V. mensis Decembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, magistris Bartholomeo et Vangnolo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, et volentes satisfacere termino, eisdem et ipsorum cuilibet superius ad ponendum assignato, quasdam positiones in supradictis causis in scriptis exhibuerunt. Quibus exhibitis in iudicio, prefatus dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet ad recipiendum copiam

1 Hæc propositio Bartholomæi adest etiam in fragmento inter fol. 31 et 32.
2 Die 28. Novembris acta brevi recapitulata reperiuntur in fragmento fol. 31.

ipsarum positionum hinc inde exhibitarum, et ad respondendum eisdem positionibus, de voluntate et expresso consensu ipsorum procuratorum, XV. dierum terminum proxime futurorum peremptorie assignavit.

Die Jovis, XVIIII. supradicti mensis, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore, magistris Bartholomeo et Vangnolo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, petierunt dictum terminum ad respondendum supradictis positionibus prorogari. Et idem dominus auditor eisdem procuratoribus, volentibus et petentibus, ad respondendum predictis positionibus hinc inde exhibitis, ad diem Lune proximam venturam prorogavit seu continuavit eisdem.

Die Lune, XXI. supradicti mensis Decembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, magistris Bartholomeo et Phylippo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, et unus positionibus alterius respondit, prout in fine cuiuslibet ipsarum plenius infra proxime denotatur. Quibus responsionibus factis, prefatus dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad dandum articulos, quos hinc inde dare et exhibere voluerint, ad secundam diem mensis Januarii proxime nunc venturi terminum peremptorie assignavit. Tenor autem positionum dicti Bartholomei, cum responsionibus ad eas factis per procuratorem adverse partis, talis est:

(Positiones Bartholomei cum responsionibus.)

Positiones Bartholomei substituti a Dessa procuratore et syndico domini Oliverii potestatis, consilii et communis ac Gregorii Salinguerre operarii ecclesie sancti Laurentii de Tragurio, procuratorio nomine eorundem, contra venerabilem patrem dominum Liberium episcopum Traguriensem et procuratorem suum eius nomine tales sunt:

In primis ponit et probare intendit dictus Bartholomeus, quod privilegium per dominum legatum concessum est nomine ecclesie sancti Laurentii de Tragurio potestati, consilio et communi, ut quartam partem fructuum et reddituum prediorum, ad ipsam Traguriensem ecclesiam spectantium, prout in dicto privilegio continetur, ad usum fabrice convertendam recolligant, per alium recolligi faciant.

— Non credit.

Item ponit et probare intendit dictus Bartholomeus, quod concessum est eisdem potestati, consilio et communi, quod eligant unum hominem, qui dictos fructus recolligat, et ad usum fabrice convertat, prout in dicto privilegio continetur.

— Dependet.

Item ponit et probare intendit, quod dicti potestas, consilium et commune elegerunt Gregorium Salinguerre ad dictos fructus recolligendos, et ad usum dicte fabrice convertendos, secundum formam et tenorem privilegii memorati.

— Dependet.

Item ponit et probare intendit, quod episcopus predictus monuit dictum Gregorium indebite et iniuste et contra formam et tenorem privilegii supradicti, sub pena excommunicationis, quam incurreret ipso facto, quod deberet a perceptione fructuum predictorum desistere et se nullatenus intromittere, prout in ipsa monitione seu precepto, si monitio seu preceptum dici potest, continetur.

— Dependet.

Item ponit et probare intendit, quod dictus Gregorius a tali monitione et precepto legitime appellavit, secundum formam privilegii sepedicti, et infra tempora a iure statuta, quibus permissum est apellare.

— Dependet et non credit.

Item ponit et probare intendit, quod episcopus memoratus monuit predictos potestatem, consiliarios Tragurii indebite et iniuste, contra formam et tenorem privilegii supradicti, sub pena excommunicationis, quam ipso facto incurrerent, quod deberent ammovere et tollere Gregorium Salinguerre, et cassare preceptum factum laboratoribus, de respondendo de dictis fructibus eidem Gregorio.

— Non credit, quod indebite et iniuste.

Item ponit et probare intendit, quod potestas et consiliarii predicti legitime intra tempora a iure statuta a tali monitione et sententia appellarunt rationabiliter, secundum tenorem et formam privilegii sepedicti.

— Non credit.

(De excommunicatione.)

Item ponit et probare intendit Bartholomeus predictus, quod tempore talis monitionis et sententie, si monitio et sententia dici possent, dictus episcopus erat excommunicatus et irregularis pro eo, quod manus iniecit temere violentas in abbatem sancti Johannis de Tragurio, et postmodum divina officia celebravit.

— Non credit.

Item ponit et probare intendit, quod de predictis omnibus et singulis est publica vox et fama in civitate Tragurii.

— Non credit.

Hec et alia ponit, et probare intendit dictus Bartholomeus, procuratorio nomine predictorum, contra dictum episcopum ac eius procuratorem, suo nomine, per testes, instrumenta, litteras confessionem partis adverse et per quamlibet aliam probationis speciem, non astringens se ad omnia et singula probanda, sed ad ea tantum, que sufficiunt ad victoriam cause sue, salvo iure addendi, minuendi &c.

Tenor autem positionum datarum per procuratorem episcopi cum responsionibus talis est:

(Positiones pro parte episcopi et responsiones.)

Coram Vobis, domino Phylippo &c.

Ponit Vangnolus procurator venerabilis patris episcopi Traguriensis, procuratorio nomine ipsius, quod privilegium sive constitutio potestati, consilio et communi Traguriensi pro ecclesia Traguriensi per venerabilem patrem dominum fratrem G.[1] apostolice sedis legatum, de operario dicte ecclesie, certo modo et ordine assumendo, et de ipsius operarii officio concessum, est declaratum per dictum dominum legatum.

— Credit, tamen post sententias et processus et appellationes.

Item quod declaratum est hoc modo et ordine, quod videlicet operarii predicti officium ad ea tantummodo, que in testamentis seu ultimis voluntatibus defunctorum, aut etiam a viventibus specialiter et expressim ad fabricam ipsius ecclesie relincuntur.

— Credit, ut supra proxime.

Item quod puncta sancti Vitalis, de qua dictus operarius recepit certam quantitatem vini pro fabrica ipsius ecclesie, pertinet ad episcopatum Traguriensem.

Respondit: Credit, quod quarta pars predicte puncte spectat ad fabricam dicte ecclesie et alie tres partes ad episcopatum ipsius ecclesie.

Predictas autem positiones facit, non astringens se ad aliqua *(sic)*, sed ad ea tantum, que sufficiant ad victoriam dicte cause.[2]

Die Sabbati, IIII. mensis Januarii, anno Domini millesimo CCCVIIII. indictione VII. tempore domini Clementis pape V. constitutis in iudicio coram supradicto domino Philippo auditore, pro tribunali sedente ad causas

1 Gentilem.
2 Hæ positiones reperiuntur etiam in alio codice No. 4013. in fragmento inter folia 36—37.

audiendas, magistris Bartholomeo et Vangnolo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, et voluntarie in dicta causa unusquisque positiones per eos datas pro articulis et loco articulorum dederunt. Quos dominus auditor admisit, salvo iure impertinentium, et statuit ipsis procuratoribus et ipsorum cuilibet terminum peremptorie ad probandum in dicta causa pro prima et secunda dilatione viginti dierum nunc proxime futurorum.

(Productio instrumentorum communis et tertia dilatio.)

Die Jovis, XXIII. supradicti mensis Januarii, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, magistro Vangnolo et Bartholomeo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, prefatus magister Bartholomeus ad probationem iurium suorum et ad victoriam sue cause produxit quinque publica instrumenta, scripta per Andream Petri auctoritate imperiali notarium, quorum quinque instrumentorum tenor infra proxime denotatur. Dictus vero magister Vangnolus dixit, quod tunc ad presens producebat ea, que agitata erant in dicta causa, que pro ipso et domino suo faciebant. Et idem dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet ad probandum in dicta causa pro tertia et ultima dilatione, et ad producendum omnia illa, quibus uti intendunt in dicta causa, decem dierum tunc proxime futurorum terminum peremptorie assignavit. Dictus autem magister Bartholomeus dixit et protestatus fuit, quod dictus terminus sibi non preiudicaret, si vellet per testes in partibus Tragurii probare. Cui idem dominus auditor respondit, quod si aliam dilationem ad probandum per testes in partibus Traguriensibus petierit, infra dictum terminum eam sibi concederet.

Tenores autem dictorum quinque instrumentorum communis tales sunt:

(Instrumenta communis.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo trecentessimo octavo, indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie, in temporibus venerabilis patris domini Liberii episcopi, egregii viri domini Pauli de Birberio comitis et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die XVII. Septembris. Supradictus dominus Oliverius potestas fecit, constituit et ordinavit dominum Nicolam Casocti absentem, tanquam presentem, suum verum, legitimum procuratorem et nuncium specialem, ad comparendum coram domino Liberio episcopo Traguriensi, eius nomine et pro eo, et ad appellandum se nomine dicti domini potestatis a quadam ammonitione seu precepto, si ammonitio seu

preceptum dici potest, factum contra ipsum dominum potestatem per supradictum dominum episcopum, et ad allegandum, opponendum, protestandum, apostolos petendum, et generaliter ad omnia alia et singula libere faciendum, exercendum, que ipsi procuratori visa fuerint oportuna, et que ipsemet dominus potestas, si presens esset, personaliter facere posset, libera et generali administratione eidem procuratori concessa in predictis et quolibet predictorum; ratum et firmum habiturus, quicquid per ipsum procuratorem factum sive gestum fuerit, sub obligatione suorum bonorum. Relevans ipsum procuratorem ab omni satisdationis onere, promisit michi notario stipulanti nomine omnium, quorum intererit, de iudicio sisti et iudicato solvendo. Actum ante palatium communis Tragurii, presentibus Stosia Gropize et Gregorio Sallinguerre, testibus rogatis, et Dessa Bastiani examinatore. Ego Dessa Bastiani consyus examinavi.

Et ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc communis Tragurii iuratus notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie, et temporibus venerabilis in Christo patris domini Liberii episcopi, egregii viri domini Pauli de Birberio comitis et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die XVII. mensis Septembris. Congregato generali consilio communis et hominum civitatis Tragurii in palatio dicti communis, sono campane voceque preconis, de mandato dicti domini potestatis, more solito, idem dominus potestas de voluntate, presentia et conssensu dicti consilii et ipsum consilium totum fecerunt, constituerunt, et ordinaverunt dominum Nicolam Casocti presentem eorum et dicti communis syndicum, procuratorem, actorem et nunctium specialem, ad appellandum se, nomine predictorum et eis, coram domino Liberio episcopo Traguriensi a quadam ammonitione seu precepto, quod dicitur esse factum per ipsum dominum episcopum, si amonitio seu preceptum dici potest, contra dictum dominum potestatem et dictos consiliarios, et allegandum, opponendum, protestandum, et generaliter ad omnia alia et singula facienda libere et exercenda, que ipsi syndico et procuratori in predictis et circa predicta visa fuerint expediri, et que in predictis et quolibet predictorum fuerint oportuna; ratum et firmum habituri, quicquid per ipsum syndicum et procuratorem factum sive gestum fuerit, sub obligatione suorum bonorum et bonorum dicti communis. Relevantes ipsum syndicum et procuratorem ab omni satisdationis honere, promiserunt michi notario infra-

scripto nomine omnium, quorum intererit, de iudicio sisti et iudicato solvendo, sub obligatione suorum bonorum et bonorum dicti communis. Actum in palatio communis, presentibus Stosia Grapite et Dessa Duimi, testibus rogatis, et Francisco domini Valentini examinatore. Ego Franciscus Valentini conscius examinavi.

Ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc dicti communis Tragurii notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

(Appellatio Gregorii Sallinguerre.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie, et temporibus venerabilis patris domini Liberii episcopi, egregii viri domini Pauli de Biberio comitis et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die XVIII. mensis Septembris. Coram Vobis &c.

(Sequitur protestatio et appellatio coram Liberio episcopo facta per Gregorium Sallinguerre operarium ecclesiæ s. Laurentii de Tragurio, in causa excommunicationis. Vide supra pag. 65.)

Actum in sala dicti domini episcopi, presentibus Gregorio domini Luci et Cipriano Marini, testibus rogatis, et Francisco domini Valentini examinatore. Ego Franciscus Valentini conscius examinavi.

Ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc communis Tragurii iuratus notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

(Appellatio communis Tragurii.)

In Dei nomine amen. Anno Domini MCCCVIII. indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie, et temporibus venerabilis patris domini Liberii episcopi, egregii viri domini Pauli de Biberio comitis et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die XVIII. mensis Septembris. Coram Vobis &c.

(Sequitur appellatio communis Tragurii in causa excommunicationis coram Liberio episcopo facta. Vide supra pag. 62.)

Actum in sala dicti domini episcopi, presentibus Gregorio domini Luci et Cipriano Marini, testibus rogatis, et Francisco domini Valentini examinatore. Ego Franciscus Valentini conscius examinavi.

Ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc communis Tragurii iuratus notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

(Appellatio potestatis consilii et communis Traguriensis.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. regnante domino Karulo serenissimo rege Ungarie, temporibus vene-

rabilis patris domini Liberii episcopi, egregii viri domini Pauli de Biberio comitis et nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, die XXI. mensis Septembris. Coram Vobis, venerabili patre domino Liberio Traguriensi episcopo, ego Nicola Casocti syndicus et procurator nobilis viri domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis civitatis Tragurii, consilii et communis civitatis predicte, syndicario et procuratorio nomine, pro predictis dicendo propono et proponendo dico, quod cum Vos, contra Deum et iustitiam, et iuris ordine non servato, denunctiastis publice excommunicatos dictos dominum potestatem cum sua familia [et] consilium civitatis Tragurii, et vestris clericis seu capitulo precepistis, quod eos ad divina non recipiant, tanquam excommunicatos, ratione cuiusdam vestre monitionis, sententie vel precepti, si monitio, sententia vel preceptum dici potest, de quibus, nomine quo supra, copiam petii, et dare noluistis ab ipsis, ad cautelam ad sanctissimum patrem dominum fratrem Gentilem cardinalem, apostolice sedis legatum in regno Ungarie, appellavi legitime; quamvis predictas ammonitiones, preceptum seu sententiam, si monitio, preceptum seu sententia dici potest, nesciverimus, nisi auditu, cum copiam dare noluistis, et Vos nichilominus, dicta appellatione pendente, in detrimentum et despectum honoris dicti domini legati, ad quem appellavi, et in iamdictorum non parvum, immo maximum vitoperium et detrimentum, preiudicium et gravamen et iniuriam, ipsos excommunicatos publice nunctiastis, et tanquam excommunicatos, vitari precepistis. Sentiens pro predictis et ratione predictorum prefatum dominum potestatem, consilium, commune et civitatem Tragurii plurimum agravatos et gravari posse in posterum ab ipsa monitione, denunctiatione seu excommunicatione, si denunctiatio seu excommunicatio dici potest, cum sint facte iuris ordine non servato, et appellatione legitima pendente, et cum Vos excommunicare non possitis, cum sitis Vos excommunicatus et irregularis multipliciter, et quia misistis manus violentas in abbatem sancti Johannis Traguriensis, et post dictam manuum immissionem, factam in dictum dominum abbatem per Vos, divina celebrastis, et quia etiam bona, pro fabrica sancti Laurentii deputata, ad usum et opus dicte ecclesie pertinentia, retinuistis et retinetis et subtraxistis, contra constitutionem domini N.[1] Hostiensis et Velletrensis episcopi, olim in regno Ungarie apostolice sedis legati, et domini archiepiscopi Spalatensis, et contra privilegia domini fratris Gentilis cardinalis, apostolice sedis legati in regno

[1] Nicolai.

Ungarie, communi et civitati Traguriensi pro dicta ecclesia concessum, ac etiam oblationes, quas dicta ecclesia pro fabrica dicte ecclesie habere debet, et Gregorio Sallinguerre operario dicte ecclesie de voluntate vestra date sunt, et dari fecistis, et eas subtraxistis, et subtrahi fecistis, contra privilegium dicti domini legati, non recedendo ab appellatione, quam feci, sed ipsam confirmando, cum dictum dominum potestatem [et] consilium excommunicatos de iure denunctiare non potuistis, nec debuistis, extimo et facio iniuriam et vituperium, nomine quo supra, dictorum domini potestatis consilii et civitatis, ducentas marcas boni argenti, quarum centum esse debent dicti domini legati et centum predictorum domini potestatis, consilii et communis. Item, nomine quo supra, peto copiam totius processus, quem contra iam sepedictos fecistis, sententie excommunicationis et denunctiationis et omnis scripture, que ratione et occasione predictorum facta est; quam si non dederitis, ut ius dicit, postea non valeat, tanquam falsa. Protestor etiam, nomine quo supra, quod non adstringo me ad probanda omnia predicta, sed illud, quod sufficiat ad meam intentionem probandam et victoriam mee cause [et] legitimationem appellationis per me facte, nomine quo supra. Et ego Gregorius Sallinguerre operarius ecclesie sancti Laurentii, factus secundum formam privilegii dicti domini fratris Gentilis, concessi domino potestati et communi Tragurii pro ecclesia iamdicta, cum non credam facere contra Vos et iura vestra, sed secundum formam dicti privilegii, recolligere bona ad dictam ecclesiam pertinentia et ad eius fabricam, ut iuravi, non recedendo ab appellatione, quam feci, sed ipsam confirmo; quia iniuste et indebite excommunicatum me denunctiastis, et me, tanquam excommunicatum, publice vitari precepistis, appellatione mea legitima pendente, et quia fecistis contra constitutiones predictas, bona ad dictam ecclesiam pertinentia retinendo, et contra privilegium domini fratris Gentilis pro dicta ecclesia concessum, subtrahendo oblationes, quas dicta ecclesia habuit, et ego ipse, tanquam operarius, pro dicta ecclesia recepi, facio et extimo iniuriam meam et dicte ecclesie centum marcas; et peto copiam totius processus sententie denunctiationis et totius scripture contra me facte, ratione predictorum; et protestor, quod non abstringo me ad probandum, nisi illud, quod sufficiat ad victoriam mee cause et legitimationem mee appellationis. Actum in palatio dicti domini episcopi, presentibus dompno Lanpredio primicerio, Johanne Stephani, Luca Zeze, Andriolo canonico et Thoma notario, testibus rogatis, et Francisco domini Valentini examinatore. Ego Franciscus Valentini consius examinavi.

Ego Andreas Petri auctoritate imperiali et nunc communis Tragurii iuratus notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi.

(Productio privilegii.)

Die Jovis, tertiodecimo mensis Februarii, comparentibus coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, magistris Vangnolo et Bartholomeo procuratoribus supradictis, nominibus quibus supra, dictus vero Bartholomeus copiam privilegii concessi per dominum legatum, super operario faciendo, produxit in forma publica, cuius tenor inferius denotabitur. Protestans, quod si dubitaretur de ipsa copia, paratus erat de eodem privilegio per regestum, auditores ac notarium regestri domini legati fidem facere pleniorem. Dictus autem Vangnolus dixit, quod instrumenta sua et partis sue ipsa die propter perditionem clavis sue arche exhibere manualiter non poterat, sed illa verbotenus produxit, et cras, si ipsi auditori placuerit, deportabit. Prefatus quoque dominus auditor ad omnem calumpniandi tollendam eisdem procuratoribus materiam, terminum ipsius diei, ad probandum et producendum omnia, que vellent, eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, volentibus et petentibus, ad cras continuavit seu etiam prorogavit.

Die Veneris, XIIII. supradicti mensis Februarii, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua et nominibus quibus supra, prefatus Vangnolus, procuratorio nomine supradicti domini episcopi, ad probationem iurium suorum octo publica instrumenta, sicut prima facie apparebat, scripta manu Thome Vitalis de Perusio notarii publici, produxit et exhibuit, quorum tenores infra proxime post copiam privilegii denotantur; produxit etiam totum processum habitum in dicta causa in ea, que pro parte sua facit, et si quid esset, quod contra eum et partem suam faceret, illud pro non producto et non exhibito habere voluit. Dictus autem Bartholomeus, nomine quo supra, iterato produxit omnia, que alias produxerat, et omnia alia, que pro ipso faciunt et facere possunt, et si quid esset, quod contra eum et partem suam faceret, illud removet et pro non producto habere voluit. Quibus sic peractis, ostensis et demonstratis per dictum dominum auditorem et me Phylippum de Cingulo notarium dicte cause omnibus instrumentis publicis, hinc et inde productis in dicta causa, procuratoribus supradictis, et interrogati per ipsum dominum auditorem singulariter, si eadem instrumenta recognoscebant et credebant ipsa, tanquam publica, et notarios, qui ea conscripsisse dicuntur, credebant esse no-

tarios publicos, dixerunt et recognoverunt, quod sic. Insuper iidem procuratores, voluntarie et expresse, omnibus aliis probationibus et productionibus in dicta causa renunciaverunt, ac in eadem causa statim concluserunt; dictusque dominus auditor de ipsorum procuratorum voluntate in eadem causa habuit pro concluso, statuens eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad allegandum in dicta causa verbo vel scriptis, ad diem Lune tunc proxime subsequentem. Tenor vero copie privilegii superius producte talis est:

(Copia privilegii concessi potestati, consilio et communi Traguriensi.)

In nomine Domini amen. Hec est copia cuiusdam privilegii reperti in regestro curie reverendi in Christo patris domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, cuius tenor talis est:

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus. Ad futuram rei memoriam. Si diligenter attenderet humana mortalitas, se, quod largitori omnium digne retribueret, non habere, cum aput se nullum bonum inveniat, quod [non] sit liberalis gratie Dei, nimis erubesceret, utique immo pavesceret, cum orrenda ingratitudinis sue nota, ac tremendo animadversationis divine periculo, temporalia bona, sive ad ecclesiarum fabricas, sive ad usus pauperum a Christi fidelibus pie oblationis munere iuribus ascripta divinis, ut pro hiis bona offerentibus compensentur eterna, improbe oblationis ausibus contractare sacrilegis et inique fraudis, ac violente presumptionis iniuria temerare. Sane dilectis in Christo filiis . . . potestate, consilio et communi civitatis Traguriensis referentibus, ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli executores testamentorum seu ultime voluntatis illorum, qui de hac luce migrarunt, civitatis et diocesis Traguriensis, delegati ab eisdem defunctis, ecclesiarum et locorum piorum dicte civitatis fabricis aut pauperum usui, aliter quam dispositio defunctorum ipsorum habeat, distribuunt vel non plene. Quidam autem quosdam redditus seu proventus, ad ecclesiarum ipsarum fabricas specialiter deputatos, in usus proprios et alios illicitos convertere non verentur. Alii vero, quorum fidei ab eisdem defunctis vel executoribus eorum bona committuntur, expendenda et ponenda in fabricis et usu pauperum supradictis, avaritie vitium incurrentes, de bonis ipsis non disponunt iuxta ipsorum decedentium ultimas voluntates. Quare dicti potestas, consilium et commune nobis humiliter supplicarunt, ut providere super hiis paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque paterne

caritatis affectu volentes ecclesiarum ipsarum et pauperum eorundem indempnitatibus et animarum periculis salutaribus studiis obviare, cum nil magis rebus debeatur humanis, quam quod voluntates ultime fidelium firmiter observentur, auctoritate, qua fungimur, presentium tenore statuimus et ordinamus, ut quatuor viri dicte civitatis, fidelitate ac discretione precipui, per potestatem, consilium et commune dictos eligantur, et nominentur episcopo et capitulo Traguriensi, qui pro tempore fuerint, de quibus iidem episcopus et capitulum infra tres dies post electionem et nominationem huiusmodi ab eisdem potestate, consilio et communi, ut premittitur, faciendam, unum, quem maluerint, assumere ac eligere teneantur, qui solerter exigat, recolligat et recipiat, ac fideliter conservet fructus, redditus et proventus et legata omnia supradicta, ad dictas fabricas deputata, ponenda postmodum et expendenda in eisdem fabricis sine diminutione qualibet per eundem. Si vero intra tres dies prefati episcopus et capitulum unum de dictis quatuor per potestatem, consilium et commune predictos, ut premittitur, eligendis assumere vel in eum consentire neglexerint, extunc liberum sit eisdem potestati, consilio et communi, absque ipsorum episcopi et capituli contradictione, assumere ac ponere unum de dictis ipsis quatuor, quem maluerint, ad fabricas supradictas, qui etiam de receptis et expensis prefatis episcopo et capitulo, potestati, consilio et communi, vel ei vel illis, quem vel quos ipsi communiter ad hec deputandum vel deputandos duxerint, exactam teneantur et deberent sub excommunicationis pena, quam ipso facto eum incurrere volumus, si secus fecerit, reddere rationem. De legatis vero pauperibus prefatus episcopus per se vel per alium disponat et ordinet, iuxta decedentium ultimas voluntates. Decernentes, si secus actum fuerit, irritum et inane. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hec attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. In cuius rei testimonium &c. Datum Scardone, V. kalendas Julii,[1] anno Domini MCCCVIII. pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

Actum et auscultatum Bude, in hospitio supradicti domini legati, in camera venerabilis viri magistri Johannis de Pontecuruo notarii, capellani, abreviatoris et correctoris domini legati prefati. Anno nativitatis Domini MCCCVIIII. indictione VII. die XIII. mensis Februarii, pontificatus domini

[1] 27 Junii.

Clementis pape V. anno IIII. Presentibus discretis viris Raynerio Angeli de Santo Genesio et Matheo de Rocca Guillelmi notariis publicis, testibus ad hec vocatis et rogatis.

Et ego Thomas Amici de Pontecuruo publicus imperiali auctoritate notarius predictum privilegium, prout inveni in regestro curie predicti domini legati, michi tradito et assignato per magistrum Johannem de Pontecuruo predictum, ita hic fideliter scripsi et exemplavi, ac ipsum cum dicto regestro una cum supradictis Raynerio et Matheo notariis diligenter ascultavi, et quia ipsum cum eodem regestro concordare inveni, in hanc publicam formam redegi, meoque consueto signo signavi rogatus.

Tenores autem instrumentorum pro parte episcopi productorum tales sunt:

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate MCCCVIII. indictione VI. die XV. mensis Septembris. Regnante domino nostro Karulo Roberto rege Ungarie. Temporibus venerabilis domini Liberii episcopi Traguriensis, illustris viri domini Pauli comitis et domini Oliverii potestatis civitatis Tragurii. Dominus Liberius episcopus Traguriensis in presentia testium infrascriptorum et me notario infrascripto et Gregorio Sallinguerre operario sancti Laurentii, protestatus fuit ipsi Gregorio operario sancti Laurentii, quod nullam novitatem per se vel per interpositam personam facere debeat de fructibus scilicet musti puncte sancti Vitalis, et quod de ipsa puncta in parte, nec in toto, recipiat, nec recipi faciat aliquam partem vini; quod si secus faceret, dictus dominus episcopus fecit suum dampnum florenos centum aureos in bonis et super bonis dicti Gregorii, et ducentos florenos aureos suam iniuriam fecit. Offerens se dictus dominus episcopus eidem Gregorio, tanquam operario ecclesie sancti Laurentii, coram suo superiore respondere de iure. Actum in curia domini episcopi, presentibus Francisco Valentini, Gregorio Chalimiri et Balce Stoise testibus et aliis. Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali et iuratus notarius communis Spaleti hiis interfui, et rogatus a supradicto domino episcopo, scripsi et publicavi.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCCVIII. indictione VI. die XVI. mensis Septembris. Regnante domino nostro Karulo Roberto rege Ungarie. Temporibus venerabilis domini Liberii episcopi Traguriensis, illustris viri domini Pauli comitis et domini Oliverii potestatis civitatis Tragurii. Dominus Liberius episcopus Traguriensis coram domino Oliverio potestate et toti consilio generali civitatis Tragurii in palatio communis eiusdem civitatis protestatus fuit, quod ipse paratus erat respon-

dere de iure coram suo superiore de puncta sancti Vitalis et de fructibus ipsius puncte, et quod ipse potestas deberet revocare omne preceptum factum Gregorio Sallinguerre de dicta puncta, et bannum factum per rivarium communis, ex parte ipsius potestatis, laboratoribus dicti domini episcopi de dicta puncta sancti Vitalis. Quam quidem protestationem dictus dominus episcopus fecit, antequam ipse proferret sententiam excommunicationis contra ipsum potestatem, consilium et sapientes ipsius civitatis. Actum in palatio communis, presentibus fratre Lazaro guardiano fratrum Minorum de Tragurio, fratre Petro Theotonico ordinis Minorum, fratre Theodoro priore fratrum Predicatorum, fratre Dominico de Vegla ordinis Predicatorum, dompno Lampredio primicerio et dompno Daniele testibus et aliis. Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali et iuratus notarius communis Spalati hiis interfui, et rogatus a supradicto domino episcopo, scripsi et publicavi.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate MCCCVIII. indictione VI. die XV. mensis Septembris. Regnante domino nostro Karulo Roberto rege Ungarie. Temporibus venerabilis domini Liberii episcopi Traguriensis, illustris viri domini Pauli comitis et domini Oliverii de Ancona potestatis civitatis Tragurii. Cum Vos, domine Oliverii potestas civitatis Tragurii, qui fungimini vice et auctoritate communis eiusdem, mandaveritis sub pena L. librarum denariorum parvorum Venetorum Gregorio Sallinguerre operario ecclesie sancti Laurentii de Tragurio, quod debeat nomine fabrice dicte ecclesie petere et recipere ea, que spectare noscuntur ad fabricam, et rivarius vester de mandato et licentia vestra ivit ad dictam punctam, et mandavit omnibus laboratoribus ibidem existentibus, quod ipsi deberent dare et assignare eidem Gregorio quartam partem vini dicte puncte sub pena L. librarum denariorum Venetorum parvorum pro quolibet, qui contrafecerit; unde cum predictum mandatum seu bannum, per Vos vestrumque rivarium eisdem iniunctum, in dampnum nostrique iuris preiudicium et gravamen existat, cum tam proprietatem, quam possessionem dicte puncte pacifice et quiete tenuimus et possedimus, et fructus, redditus ac proventus ex ea percepimus, et nunc prefatam punctam pacifice et quiete tenemus et possidemus, nobis non citatis neque in iure confessis, neque coram nostro iudice convictis, precepistis dicto Gregorio, quartam partem vini predicte puncte nos, absque causa et cognitione et iuris ordine non servato, spoliari. Quod quidem mandatum seu gravamen nullo modo facere nec fieri potuistis, neque debuistis, et non potestis nec debetis, in nostrum nostrique iuris preiudicium et gravamen,

istis rationibus et causis: primo videlicet, quia processistis et venistis vestro arbitrio et voluntate contra tenorem instrumentorum dicte puncte et penas in eis insertas. Quare dicimus et protestamur Vobis, domino Oliverio potestate, vestrisque sapientibus a dicto communi electis et deputatis, quod dictum preceptum factum per Vos predicto Gregorio sive per vestrum rivarium de mandato vestro, factum predictis laboratoribus predicte puncte, revocare, cassare et annullare debeatis, et omnem scripturam, novitatem et processus, quos et quas fecistis fieri et scribi in actis communis dicta de causa in nostrum preiudicium et gravamen. Et si predicta non duxeritis revocanda, iterato dicimus et protestamur, quod nos extimamus et facimus nostram iniuriam, dampna, expensas et interesse, que et quas possemus occasione predictorum incurrere, C. marchas argenti, et plus et minus, secundum qualitatem delicti. Actum in curia domini episcopi, presentibus dompno Lampredio primicerio sancti Laurentii, Johanne canonico sancti Laurentii, domino Bevenuto milite domini potestatis, magistro Andrea notario communis Tragurii, Nardino et Marrucio famulis dicti domini potestatis, testibus ad hec vocatis et rogatis.

Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali et iuratus notarius communis Spaleti predicte protestationi interfui, et rogatus a supradicto domino episcopo, scripsi et publicavi.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCCVIII. indictione VI. die XV. mensis Septembris. Regnante domino nostro Karulo Roberto rege Ungarie. Temporibus venerabilis domini Liberii episcopi Traguriensis, illustris viri domini Pauli comitis et egregii viri domini Oliverii potestatis civitatis Tragurii. Scemengna filius Radoy, Drasco Tolingne, Dragox Ctamcho, Obindus Dobroe, Janne fabro et Meste Cremonensis constituti coram venerabili viro domino Liberio episcopo Traguriensi in curia predicti domini episcopi, dixerunt, quod ipsi non audebant vindemiare in puncta sancti Vitalis propter bannum, quod Johannes rivarius communis Tragurii fecerat in dicta puncta ex parte domini potestatis, quod omnes laboratores dicte puncte deberent dare et assignare Gregorio Sallinguerre operario sancti Laurentii quartam partem vini dicte puncte sub pena L. librarum, qui contrafecerit. Actum in curia domini episcopi, presentibus dompno Lampredio primicerio, dompno Marino canonico et dompno Johanne presbytero sacristie sancti Laurentii testibus et aliis.

Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali et iuratus notarius communis Spaleti hiis interfui, et rogatus a supradicto domino episcopo, scripsi et publicavi.

Die dicto veniens Gregorius Sallinguerre operarius sancti Laurentii coram venerabili patre domino Liberio episcopo Traguriensi, dixit et protestatus fuit verbis tantum, quod ipse dominus episcopus nomine ecclesie sancti Laurentii pro fabrica ipsius ecclesie faceret sibi dare et assignare quartam partem denariorum oblationum, que veniunt ad altare ad manus sacerdotis. Qui dominus episcopus respondit et dixit sue protestationi, quod non intendebat, nec volebat privilegio domini legati derogare, cum in dicto privilegio domini legati non contineatur expresse, quod quartam partem oblationum debeat recipere iste operarius, et si alias ipse operarius recepit partem dictarum oblationum, non preiudicat dicto domino episcopo; quia tunc non habebat copiam dicti privilegii, nec poterat ipsam habere a domino potestate, quia alias petivit dictam copiam a dicto domino potestate coram capitulo, qui potestas denegavit ipsam copiam ei dare. Et protestatus fuit dictus dominus episcopus, quod dictam quartam partem oblationum non intendebat convertere et disponere in suos proprios usus, nec quod ad manus suas deveniat dicta quarta pars oblationum, dixit, quod volebat stare interpretationi et declarationi domini legati. Actum in curia domini episcopi, presentibus Francisco Valentini, Gregorio Chalimiri et Balce Scøisce testibus et aliis.

Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali et iuratus notarius communis Spaleti hiis interfui, et rogatus a supradicto domino episcopo, scripsi et publicavi.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate MCCCVIII. indictione VI. die XVI. mensis Septembris. Regnante domino nostro Karulo Roberto rege Ungarie, temporibus venerabilis domini Liberii episcopi Traguriensis, illustris viri domini Pauli comitis, egregii viri domini Oliverii de Ancona potestatis civitatis Tragurii. Nos Liberius &c.

(Sequitur excommunicatio potestatis et communis Traguriensis in facto punctæ s. Vitalis. Vide supra p. 60.)

Lata et pronunctiata fuit hec sententia in ecclesia cathedrali beati Laurentii per dictum dominum episcopum, sedendo in sede sua, presentibus fratre Lazaro guardiano fratrum Minorum de Tragurio, fratre Petro Theotonico ordinis Minorum, fratre Theodoro priore fratrum Predicatorum de Tragurio, fratre Dominico de Vegla ordinis Predicatorum, dompno Lampredio primicerio sancti Laurentii de Tragurio, dompno Casariza canonico, dompno Daniele presbytero, dompno Ziprengna presbytero, fratre Savino monacho sancti Johannis de Tragurio et fratre Benedicto monacho eiusdem monasterii, testibus ad hec vocatis et rogatis.

Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali notarius et iuratus notarius communis Spalatensis predicte sententie interfui, et de mandato supradicti domini episcopi scripsi et publicavi.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate MCCCVIII. indictione VI. die XVI. mensis Septembris. Regnante domino nostro Karulo Roberto rege Ungarie. Temporibus venerabilis domini Liberii episcopi Traguriensis, illustris viri domini Pauli comitis et domini Oliverii de Ancona potestatis civitatis Tragurii. Nos Liberius &c.

(Sequitur excommunicatio Gregorii Sallinguerre operarii ecclesie s. Laurentii in facto punctæ s. Vitalis. Vide supra pag. 64.)

Lata et pronunctiata fuit hec sententia in ecclesia cathedrali beati Laurentii per dictum dominum episcopum, sedendo in sede sua, presentibus fratre Lazaro guardiano fratrum Minorum de Tragurio, fratre Petro Theotonico ordinis Minorum, fratre Theodoro priore fratrum Predicatorum de Tragurio, fratre Dominico de Vegla ordinis Predicatorum, dompno Lampredio primicerio sancti Laurentii de Tragurio, dompno Casariza canonico, dompno Daniele presbytero, dompno Ceprengna presbytero, fratre Savino monacho sancti Johannis de Tragurio et fratre Benedicto monacho eiusdem ecclesie, testibus ad hec vocatis et rogatis.

Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali et iuratus notarius communis Spalatensis predicte sententie interfui, et de mandato supradicti domini episcopi scripsi et publicavi.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo CCCVIII. indictione VI. die XX. mensis Septembris. Regnante domino nostro Karulo Roberto rege Ungarie. Temporibus venerabilis domini Liberii episcopi Traguriensis, illustris viri domini Pauli comitis et domini Oliverii potestatis civitatis Tragurii. Gregorius Sallinguerre operarius sancti Laurentii de Tragurio constitutus coram venerabili patre domino Liberio episcopo Traguriensi, dixit et confessus fuit, quod die predicto accepit et accipere fecit a laboratoribus puncte sancti Vitalis sex mensuras musti et dimidiam pro quarta parte fabrice ecclesie sancti Laurentii de mandato domini potestatis civitatis Tragurii et suorum sapientum, et totam quartam partem musti predicte puncte intendit recipere et recipi facere ex vigore dicti precepti sibi facti, et propter metum pene, quam dictus potestas sibi ipso sint *(sic)* de L. libris. Actum in curia domini episcopi, presentibus dompno Lanpredio primicerio, Matheo Moni et Luca clerico, testibus ad hec vocatis et rogatis.

Et ego Thomas auctoritate imperiali et iuratus notarius communis Spalatensis hiis interfui, et rogatus a supradicto domino episcopo, scripsi et publicavi.

Die Mercurii, XVIIII. mensis Martii, veniens magister Bartholomeus syndicus et procurator supradictus coram supradicto domine Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, existente ibidem Vangnolo de Mevania procuratore supradicti domini episcopi Traguriensis, et quandam cedulam seu petitionem supradictam causam tangentem in scriptis exhibuit, cuius tenor infra proxime denotabitur. Qua cedula recepta, idem auditor eidem Vangnolo procuratori, ad recipiendum copiam de eadem, et ad dicendum contra ipsam, ad diem Sabbati proxime tunc venturam terminum peremptorie assignavit; et idem Vangnolus statim dixit et protestatus fuit, quod dicta cedula non obstante, procedendum erat super dicta causa ad sententiam proferendam, quam cum instantia ferri petiit, et dictum Bartholomeum et dominos suos sibi, nomine quo supra, in expensis condempnari.

Tenor autem supradicte cedule seu petitionis exhibite per Bartholomeum talis est:

(Petitio Bartholomei nomine communis, quod probare volebat exceptionem excommunicationis.)

Coram Vobis, domino Phylippo de Sardinia &c. dicit et proponit Bartholomeus substitutus a Dexsa procuratore potestatis, consilii et communis civitatis Tragurii et Gregorii Salinguerre operarii ecclesie sancti Laurentii Traguriensis, procuratorio nomine ipsorum, contra Vanolum procuratorem venerabilis in Christo patris domini episcopi Traguriensis, procuratorio nomine ipsius, quod in causa appellationis, quae vertitur inter ipsos, procuratorio nomine quo supra, intendit et vult probare articulum exceptionis excommunicationis, oppositum contra ipsum episcopum in primo litis exordio. Videlicet quod dictus episcopus tempore, quo tulit sententiam excommunicationis, si sententia dici potest, contra potestatem, consilium, commune et operarium predictos, erat maioris excommunicationis vinculo innodatus ex eo, quod in abbatem sancti Johannis de Tragurio manus iniecit temere violentas, et quod hoc est publicum et notorium in civitate Tragurii, non obstante, quod ipsum alias opposuit, et in ipsa causa est conclusum, quia sibi licitum est, et a iure conceditur. Petens insuper, procuratorio nomine quo supra, ut aliquibus iudicibus committere et mandare dignemini in civitate Tragurii, quod testes super hoc producendos audiant et examinent; quia testes ad ea probanda paratos habet, sed propter loco-

rum distantiam, viarum discrimina et gravia honera expensarum coram Vobis producere non potest, et predicta petit cum protestatione expensarum.

Die Sabbati, XXII. supradicti mensis Martii, comparentibus coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, Vangnolo et Bartholomeo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, idem Vangnolus petiit sententiam pro se ferri in principali negotio, non obstante supradicta petitione, et partem adversam sibi in expensis condempnari, exhibens nichilominus contra dictam petitionem et Bartholomeum procuratorem quasdam exceptiones in scriptis, cuius tenor infra proxime describetur. Et idem dominus auditor dixit, quod supradictis omnibus deliberare intendebat, et ad presens super eisdem supersedere. Tenor exceptionum dicti Vangnoli talis est:

(Exceptiones Vangnoli pro episcopo.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo auditore &c. constitutus ego Vangnolus de Meuania procurator venerabilis patris domini episcopi Traguriensis, dico et propono contra Bartholomeum procuratorem substitum a Dessa syndico et procuratore potestatis, consilii et communis dicte civitatis et Gregorii Salinguerre, et scripturam ab eo porrectam coram Vobis, in qua inter alia continetur, quod in causa appellationis vertentis inter predictos intendit et vult probare articulum excommunicationis, quod dictus Bartholomeus ad dictam excommunicationem probandam admittendus non est; cum in predicta causa appellationis renunciatum sit probationibus omnibus, et in ea conclusum, sicque ipsum non esse ad aliquam probationem ulterius admittendum, set solummodo ad sententiam diffinitivam debere procedi.

Die Veneris, XI. mensis Aprilis, in tertiis, constitutis coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, magistris Bartholomeo et Vangnolo procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua, idem dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad comparendum coram eo, et ad audiendum voluntatem suam super predictis, ad eandem diem in vesperis terminum peremptorie assignavit.

(Interlocutio super exceptionibus.)

Eodem die Veneris, XI. dicti mensis, in vesperis, comparentibus in iudicio coram predicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, predictis Bartholomeo et Vangnolo procurato.ibus supradictis, quolibet pro parte sua et nominibus quibus supra, prefatus dominus

auditor interloquendo, pronunciavit supradictam petitionem, exhibitam ultimo per supradictum Bartholomeum procuratorem et syndicum, admittendam non esse, et eam non admisit, sed ipsa non obstante, procedendum fore ad diffinitivam sententiam super causa predicta, ipsum Bartholomeum, nomine quo supra, in expensis legitimis propterea factis eidem Vangnolo, nomine domini episcopi, condempnando, ipsarum taxatione sibi in posterum reservata.

(Terminus ad sententiam audiendam.)

Et post hec ipse dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad audiendum diffinitivam sententiam super dicta causa, ad diem Mercurii in vesperis proxime venturam terminum peremptorie assignavit.

In Dei nomine amen. Olim causam appellationis seu appellationum, que vertitur inter venerabilem patrem dominum Liberium episcopum Traguriensem seu Vangnolum de Meuania procuratorem suum, ex parte una, et dominum Oliverium potestatem Traguriensem, consiliarios et sapientes et commune ac Gregorium Salinguerre operarium ecclesie sancti Laurentii de Tragurio seu Bartholomeum procuratorem substitutum eorum, ex altera, interposite seu interpositarum ad reverendum patrem et dominum dominum fratrem Gentilem tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, apostolice sedis legatum, a quibusdam monitionibus, preceptis et processibus factis contra ipsum potestatem, consiliarios et sapientes et Gregorium operarium supradictos per supradictum dominum episcopum Traguriensem, prefatus reverendus pater nobis, magistro Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, auditori suo, audiendam commisit specialiter et fine debito terminandam. Tandem a Bartholomeo procuratore seu syndico substituto supradictorum potestatis, consiliariorum, communis et sapientum ac Gregorii operarii, contra dictum dominum episcopum et Vangnolum, eius procuratorem, libellos in iudicio exhibitos recepimus, quorum tenores per ordinem tales sunt: Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi et auditore generali reverendi patris domini fratris Gentilis &c. Propono ego Bartholomeus substitutus a Dessa procuratore Gregorii Salinguerre operarii ecclesie sancti Laurentii de Tragurio contra venerabilem patrem etc. — Coram Vobis &c. Propono ego Bartholomeus substitutus a Dessa syndico et procuratore communitatis, domini Oliverii de Rubeis de Ancona potestatis, consilii et communis Tragurii, procuratorio nomine eorundem, contra venerabilem patrem dominum Liberium episcopum Traguriensem &c. *ut supra.*

Lite igitur coram nobis super dictis libellis legitime contestata per procuratores predictos, prestitoque hinc inde de calumpnia et veritate dicenda corporali iuramento, factis quoque positionibus, et ad eas responsionibus subsecutis, datis articulis et termino peremptorio ad probandum eosdem, per nos assignato, instrumentis quibusdam hinc et inde in causa ipsa productis, et probationibus inde per eosdem factis, tandem a procuratoribus supradictis aliis omnibus probationibus extitit renunciatum, et in causa ipsa voluntarie conclusum, in qua nos etiam habuimus pro concluso. Nos itaque auditis allegationibus hinc et inde factis, visis et diligenter auditis, discussis ac etiam examinatis iuribus, rationibus et probationibus utriusque, investigatis quoque ad plenum, et cognitis ipsius cause meritis, et equa iustitie lance discussis, factaque per nos predicto domino legato de ipsis relatione fideli, deliberatione insuper nobiscum et cum peritis habita diligenti, Christi nomine invocato, procuratoribus partium earundem presentibus, et propter hoc in nostra presentia constitutis, et sententiam ferri postulantibus, per ea, que audimus et videmus, cognovimus et nunc cognoscimus, pro tribunali sedentes, pronunciamus sententialiter in hiis scriptis, dominum Oliverium potestatem civitatis Tragurii, consiliarios, commune et sapientes ac Gregorium operarium predictos perperam appellasse, ac dictum episcopum Traguriensem legitime processisse; et ipsius episcopi processus et sententiam confirmantes, predictos dominum Oliverium potestatem et commune civitatis predicte, consiliarios et sapientes suos ac Gregorium operarium supradictos ad ipsum episcopum remittendos esse decernimus, et remittimus condempnandos eos, seu Bartholomeum predictum procuratorem substitutum, procuratorio nomine eorundem, sententialiter in hiis scriptis in expensis legitimis, quas propter appellationes huiusmodi pars altera se fecisse docuerit, ipsarum taxatione nobis in posterum reservata. A qua quidem sententia et condempnatione prefatus Bartholomeus, syndicario et procuratorio nomine quo supra, statim viva voce appellavit, et apostolos cum instantia petiit.

Lata, lecta et in scriptis promulgata fuit supradicta sententia per supradictum dominum Phylippum auditorem, pro tribunali sedentem, in castro Budensi, in loco, ubi iudicialiter sedere consuevit, presentibus Vangnolo et Bartholomeo procuratoribus supradictis, quolibet pro se et parte sua, sententiam ferri postulantibus, et partem adversam in expensis condempnari petentibus. Et scripta et publicata per me Phylippum Compagnoni de Cingulo notarium supradicti domini legati et dicte cause, sub anno Domini millesimo CCCVIIII. indictione VII. die Mercurii, XVI. mensis Aprilis, in

vesperis, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto. Presentibus venerabilibus et discretis viris dominis Vanne de Aretio et Gasparro de Montefia, prefati domini legati capellanis, domino Gregorio Luci de Tragurio et Dunco alias dicto Damianno famulo ipsius, testibus ad predicta vocatis specialiter et rogatis.

(Terminus ad prosequendum appellationem.)

Die Lune, XXI. predicti mensis Aprilis, supradictus magister Bartholomeus syndicus et procurator, citatus per Zuccam cursorem ad petitionem supradicti Vangnoli procuratoris domini episcopi ibidem presentis, ad recipiendum apostolos et ad audiendum responsionem supradicti domini auditoris super appellatione ipsius, comparuit coram eodem domino auditore, parato ipsos recipere; et tunc idem dominus auditor appellationi dicti Bartholomei interposite detulit, ac sibi ad prosequendam eandem coram domino legato supradicto decem dierum tunc proxime futurorum terminum peremptorie assignavit.

FRAGMENTA AD EANDEM CAUSAM PERTINENTIA.

Conceptus inter fol. 18 et 19. eiusdem codicis.

I.

Deliberatio Gentilis apostolicæ sedis legati de non admittendis testibus per civitatem Tragurii contra episcopum producendis.

Licet Vobis pridem per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut testes, quos . . . syndicus communis Spaleti, ex parte una, ac venerabilis pater dominus Liberius episcopus Traguriensis, ex parte altera, super articulis eorundem, quos dilectus in Christo filius magister Phylippus de Sardinia decretorum doctor, canonicus Arborensis, capellanus et auditor noster, cui causam appellationis, interposite pro parte et nomine dicti communis a sententia lata contra potestatem, officiales, consilium et commune Traguriense ac Gregorium Salinguerre operarium ecclesie sancti Laurentii de Tragurio per dictum episcopum duximus committendam, Vobis inclusos sub eius sigillo transmittit, coram nobis produxerunt, recipere infra XXX. dierum spatium et cum diligentia examinare curatis; quodque ante omnia decem personas de sapientibus vel consilio eiusdem communis, quos syndicus predictus in testes producere intendebat, ab excommunicationis sententia, lata contra eos per episcopum memoratum, auctoritate nostra absolvere, et alia, que in eisdem nostris continebantur litteris, facere deberetis. Quia tamen, sicut veridica relatione percepimus,

potestas, consilium et commune ac operarius supradicti, privilegium per nos concessum eisdem, ultra nostram declarationem ipsius excedunt, ac etiam excesserunt, quodque iidem potestas, officiales, consilium et commune, privilegia et instrumenta dicti episcopi et ecclesie Traguriensis abstulerunt, et ea detinent occupata, in grave ipsius episcopi et ecclesie dampnum non modicum et iecturam. Quare volumus, et Vobis presentium tenore districte precipiendo mandamus, quatenus si infra prefigendum per Vos eisdem potestati, officialibus, consilio et communi terminum, predicta privilegia ac instrumenta episcopo ac capitulo eiusdem ecclesie libere restituere non curaverint, ipsi et idem operarius privilegium et declarationem nostram predictam non servaverint, et quod hactenus contra eadem privilegia et declarationem attemptarunt, non revocaverint, et ad pristinum statum reduxerint, ad receptionem predictorum testium vel absolutionem eorundem, et alia facienda ulterius, que in eisdem nostris continentur litteris, nullatenus pro ipsis et ad ipsorum instantiam procedatis. Datum &c.

2.

Repetitio partialis et correctior fragmenti primi.

Quia tamen, sicut veridica relatione percepimus, potestas, officiales, consilium et commune ac operarius supradicti, privilegium per nos concessum eisdem, ultra nostram declarationem ipsius excedunt, et hactenus excesserunt, quodque iidem potestas, officiales, consilium et commune, privilegia ac instrumenta episcopi et ecclesie Traguriensis abstulerunt, et ea in ipsorum episcopi et ecclesie gravamen ac preiudicium non modicum detinent occupata; volumus et Vobis presentium tenore districte precipiendo mandamus, quatenus si infra prefigendum per Vos eisdem potestati, officialibus, consilio et communi terminum, predicta privilegia et instrumenta episcopo et capitulo eiusdem ecclesie libere restituere non curaverint, ac ipsi et idem operarius privilegium et declarationem predictam per nos concessa non servaverint, et nichilominus quod hactenus contra illa fecerunt, infra dictum terminum revocaverint, et ad pristinum statum reduxerint, ad receptionem predictorum testium ac absolutionem ipsorum, et ad alia facienda ulterius, que in eisdem nostris continentur litteris, pro eisdem potestate, officialibus, consilio, communi ac operario, et ad ipsorum instantiam nullatenus procedatis. Datum Bude.

XXXV.

1308. 5—7. Novembris. Budæ.

Processus inter Antonium præpositum de Jaszo et Nicolaum de Buda super tredecim marchis coram Vanne auditore cardinalis Gentilis peractus.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 4.)

Die Martis, V. mensis Novembris, apud Budam, dominus Vannes auditor commisit Bolognino cursori, quod iret et citaret ad hoc sero in vesperis dominum Antonium prepositum de Jasso,[1] ut ipso sero peremptorie compareat, responsurus de iure Nicolino de Buda. Eodem die Bologninus retulit, se dictum prepositum personaliter inventum citasse, secundum formam dicte commissionis.

(Confessio prepositi de Jasso de XIII. marcis pro Nicolino de Buda.)

Eodem die, de sero, comparentibus in iudicio coram ipso domino Vanne auditore, pro tribunali sedente in camera sua, Nicolao de Buda laico, ex parte una, et domino Antonio preposito de Jasso, ex altera parte, dictus Nicolinus dixit et petivit ab eodem domino Antonio sibi dari et solvi tresdecim marcas boni et fini argenti, quas dixit sibi debere dare pro pane, vino, avena et aliis necessariis, sibi pro se, familia et equis suis olim per eum datis et assignatis; prefatus vero dominus prepositus in iudicio sponte confessus est, se debere dare eidem Nicolino predictas XIII. marchas boni et puri argenti, occasione predicta, sed eas ad presens sibi solvere et satisfacere non posse. Et dominus auditor predictus, audita dicta confessione, dixit ipsis partibus, quod inter se de solutione et termino concordarent. Actum Bude, presentibus venerabili patre domino Liberio episcopo Traguriensi, domino Lampredio primicerio eiusdem ecclesie ac magistro Nicolao de Venetiis testibus.

(Alia citatio.)

Die Jovis, VII. dicti mensis Novembris, iterato dominus auditor commisit dicto Bolognino cursori, quod iret et citaret dictum prepositum pro hoc sero in vesperis, ad petitionem dicti Nicolini. Qui cursor iens

1 Antonius II. præpositus Præmonstr. de Jászó 1300—1309.

et rediens, retulit se dictum prepositum personaliter inventum citasse, secundum formam dicte commissionis.

XXXVI.

1308. 7. Novembris. Budæ.

Liberius episcopus Traguriensis Vangnolo familiari cardinalis Gentilis, ratione procurationis, salarium residuum solvere promittit.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 4.)

Eodem die, in loco Predicatorum, presentibus domino Paulo archidiacono Scardonensi, Manerio Lamberti de Ancona et Lampredio primicerio Traguriensi, dominus Liberius episcopus Traguriensis promisit dare et solvere Vangnolo de Mevania usque ad festum Pascatis, resurrectionis, quatuor florenos auri de residuo salarii VII. florenorum auri, quos ratione pactorum procurationis dare promiserat; et dictus Vangnolus promisit eidem episcopo, in officio procuratoris et in omnibus suis causis motis et movendis, toto tempore legationis dicti domini legati, bona fide servire pro dicto pretio, sub pena dupli &c.

XXXVII.

1308. 8. Novembris—23. Decembris. Budæ.

Causa vertens inter Dymudam et Ebeger contra Beghinas de Buda super domo et vinea, sitis in Buda, coram cardinale Gentile.

(Arch. Vatic. Papi Avignonesi. Vol. I. fol. 5—10.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. tempore domini Clementis pape V. die Veneris, octavo mensis Novembris, actum Bude. Veniens coram venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, auditore generali reverendi in Christo patris et domini domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, magister Angelus Theobaldi de sancta Victoria, dicente se procuratorem Hench dicti Burs

civis Budensis et sue uxoris, quandam appellationem in scriptis redactam et quodam sigillo rotundo sigillatam representavit, et Albrath et sociarum eius Beghinarum, fratrum Predicatorum, adversariarum eius, non comparentium, contumaciam accusavit, petens dominum archiepiscopum Strigoniensem,[1] qui quandam excommunicationis sententiam contra eos tulisse dicitur, ac plebanum plebis sancte Marie Budensis, eius executorem, in hac parte citari, offerens se paratum, prout iuris fuerit, in dicta causa procedi. Et idem dominus auditor commisit et mandavit Martino de Alamania cursori et nuncio supradicti domini legati, ut iret et citaret supradictas Beghinas, ac predictos archiepiscopum et plebanum, si sua crediderint interesse, ut die Lune proxime ventura compareant legitime et peremptorie coram eo, in dicta appellationis causa, quantum de iure fuerit, processuri.

Die Lune, XI. supradicti mensis Novembris, retulit mihi Phylippo de Cingulo notario predicti domini legati, se die Veneris proxime preterita citasse predictos appellatos, secundum formam supradicte citationis.

Die Lune predicta, comparuerunt coram domino auditore predicto magister Angelus predictus procurator, ut dicebat, ex parte una, et Heberardus, dicens se procuratorem ac defensorem adversariorum, ex parte altera; quia festum erat eadem die, idem dominus auditor predictum terminum eisdem partibus ad diem Mercurii proxime venturam prorogavit.

Die Mercurii, XIII. supradicti mensis Novembris, comparentibus coram supradicto domino Phylippo auditore magistro Angelo procuratore, ut dicebat, predicto, ex parte una, et predicto Heberardo ac plebano sancte Marie Budensis, ex altera, prefatus dominus auditor eisdem partibus presentibus et volentibus usque ad VIII. dies prorogavit, mandans eis, quod interim nullam in dicta causa novitatem facerent.

Die Mercurii, XX. supradicti mensis Novembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore, in castro Budensi in eius camera, hora vesperarum, magistro Angelo procuratore supradicto, ex parte una, ac plebano sancte Marie Budensis, dicente se nichil in dicta causa habere nec debere facere, necnon Albrata magistra cum pluribus aliis Beghinis, ex parte altera, necnon domino Johanne cantore Budensi, dicente se defensore domini archiepiscopi Strigoniensis, iidem Albrata, sorores ac cantor petierunt in dicta causa usque ad adventum eiusdem domini archiepiscopi terminum prorogari. Et idem dominus auditor pre-

[1] Thomam.

fatis Angelo procuratori, Albrate, sororibus et cantori et ipsorum cuilibet, ad comparendum coram eo in iudicio, et alias ad procedendum in dicta causa, prout de iure fuerit, usque ad diem Lune proxime venturam terminum prorogavit; et tunc dictus Angelus procurator protestatus fuit et dixit, quod tempora prosequende appellationis partis sue non decurrerent, cum per ipsum non staret, quin in dicta causa procedetur, ut iuris esset.

Die Martis, XXVI. mensis predicti Novembris, coram domino Phylippo auditore predicto, in vesperis et post vesperas, cum heri fuerit dies beate Catarine et feriata, in iudicio comparuit Albrata magistra, necnon Merz ac Alahad sorores ipsius, necnon dominus Johannes cantor, ut defensor domini archiepiscopi Strigoniensis, petentes se ab instantia citationis, termini ac iudicii se absolvi, cum pars adversa seu eius procurator non comparuerit, cuius contumaciam accusarunt, et protestati fuerunt de expensis; qui dominus auditor partem adversam post vesperas expectans, quia non comparuit, ipsam contumacem reputavit, in eius contumacia ipsos Albratam, sorores ac cantorem ab instantia termini predicti absolvit.

(Procuratio de Albrata et sororibus.)

Et post predicta dicta Albrata et socie, nomine ipsarum et omnium aliarum sociarum ipsius, in actis coram dicto domino Phylippo auditore, ac presente plebano sancte Marie et Petro de Sardinia domicello dicti domini auditoris, fecerunt et constituerunt earum et dictarum sociarum ipsarum verum et legitimum procuratorem, actorem, defensorem et nuncium specialem, predictum dominum Johannem cantorem de Veteri Buda presentem, contra omnes personas, et ad petendum eis refundi expensas, et generaliter ad omnia alia, promittentes ratum, gratum et firmum perpetuo habere et tenere, quicquid per dictum procuratorem factum fuerit, sub ypotheca et obligatione omnium ipsarum bonorum, et relevantes ipsum ab omni satisdationis onere, promiserunt de iudicio sisti &c. fideiobentes pro ipsis in omnem causam.

Die Lune, secundo mensis Decembris, Bolongninus cursor retulit, se die Veneris proxime preterita citasse dominum Johannem cantorem, procuratorem Beghinarum, et archiepiscopum Strigoniensem, ut ipsa die Lune comparerent, recepturi expensas, ac processuri in dicta causa, ut iuris esset.

Eodem die, comparentibus coram eodem domino Phylippo auditore magistro Angelo et domino Johanne cantore, procuratoribus supradictis, et resarcitis per dictum Angelum eidem cantori pro contumacia alia legi-

timis expensis, prefatus dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad dandum et recipiendum libellum hinc inde, ad cras peremptorie terminum assignavit.

Die Martis, tertio supradicti mensis Decembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente, hora vesperarum, magistro Angelo predicto, dicente se procuratorem, ac domino Johanne cantore, procuratore supradictarum Beghinarum, nominibus quibus [supra], prefatus vero magister Angelus quendam libellum in iudicio et similiter predicto cantori procuratori exhibuit, cuius tenor inferius denotatur; cui cantori procuratori volenti datus est terminus, ad respondendum et opponendum dicto libello, ad diem Jovis proxime venturam et peremptorie.

Die Jovis, V. supradicti mensis Decembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore procuratoribus supradictis, quolibet pro parte sua et nominibus quibus supra, prefatus vero cantor procurator contra dictum libellum quandam exceptionem et petitionem mixtam exhibuit in scriptis, cuius tenor infra proxime describetur, offerens se paratum, litem contestari super dicti Angeli libello. Qui dominus auditor eidem Angelo, ad habendum copiam dicte exceptionis seu petitionis, et respondendum et deliberandum, ad diem Lune proxime venturam terminum peremptorie assignavit. Tenor libelli exhibiti superius per dictum magistrum Angelum talis est:

(Libellus magistri Angeli.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, capellano reverendi patris et domini domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ac ipsius curie generali auditore causarum, dicit et proponit Angelus Theobaldi de Sancta Victoria procurator domine Dymudis uxoris Ebeger et ipsius Ebeger de Peste, procuratorio nomine ipsorum, contra venerabilem in Christo patrem dominum Strigoniensem archiepiscopum, si sua crediderit interesse, et contra Christianam et Albrat Beghinas de Buda, et omnem aliam personam, intervenientem legitime pro eis, ac ipsis adherere volentes, dicens, quod dictus dominus archiepiscopus, nullo iuris ordine observato, dictos Dymudam et Ebeger ad petitionem ipsarum Beghinarum, de facto, cum de iure non potuerit, ut dicitur, excommunicationis vinculo

[1] Gentilis.

innodavit, ipsosque denunciavit seu denunciare comminatus est publice excommunicatos, nulla causa rationabili precedente. Unde cum dictus processus, si appareat, factus sit contra ipsos Dimudim et Ebeger, non citatos, non convictos, nec testibus superatos, ex arrupto et nullo iuris ordine observato, et ex aliis causis suo loco et tempore proponendis, quas protestor, in nomine quo supra, salvas fore, et sit ipso iure nullus, petit dictus procurator, dicto nomine, remedio appellationis interposite, per Vos, si aliquis esset, cassari et irritari et nullum pronunciari, cum refectione dampnorum et expensarum litis et excommunicationis. Salvo iure addendi, corrigendi, mutandi et addendi, usque ad litis contestationem.

Eodem die Jovis supradicto, quinto dicti mensis Decembris, coram dicto domino Phylippo auditore, in iudicio pro tribunali sedente, dictus magister procurator, nomine quo supra, animo litem contestandi super libello predicto per eum exhibito, dixit narrata, prout narrantur in ipso libello, vera esse, et petita in eo fieri debere; et ex adverso dictus dominus cantor procurator, procuratorio nomine quo supra, animo litem contestandi super dicto libello, dixit narrata, prout narrantur in ipso libello, vera non esse, et petita in eo fieri non debere. Quibus sic peractis, iidem procuratores in animas dominarum seu dominorum suorum, quorum procuratores sunt, de calumpnia et veritate dicenda in dicta causa, cum omnibus capitulis iuramenti calumpnie, ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, sollempniter iuraverunt. Quibus sic peractis, prefatus dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad ponendum in dicta causa, usque ad diem Lune proxime venturum terminum peremptorie assignavit. Tenor autem exceptionis seu petitionis date per dominum cantorem procuratorem supradictum in dicta causa talis est per ordinem:

(Exceptio seu petitio Beghinarum.)

Coram Vobis, honorabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, capellano reverendi patris domini G.[1] Dei gratia &c. Dicit et respondit dominus Johannes cantor Budensis ecclesie, procurator domini archiepiscopi Strigoniensis, domini sui, cuius interesse dicit procuratorio nomine, et dominarum sororum infrascriptarum, ad petita seu proposita per Angelum Theobaldi procuratorem domine Dymudis et Ebeger mariti sui, ipsorum nomine, quod de speciali commissione, mandato et auctoritate ipsius domini archiepiscopi Strigoniensis, dominus Al[bertus?]

1 Gentilis.

sancte Marie virginis, Georgius sancte Marie Magdalene de Buda et Berardus sancte Marie virginis de Pest ecclesiarum plebani, tanquam executores eiusdem sententie late per ipsum dominum archiepiscopum et delegatos ab ipso, pro dominabus sororibus Albrath et Cristina et aliis sociis earum, contra Hench, Phefar et dominam Margaretam consortem eius, super quadam domo de Buda, prope domum Petri dicti Ger, et vinea in territorio sancti Spiritus prope vineam Alberti magni, in ipsos Dymudam et Ebur, tanquam impedientes executionem sententie iam dicte, sententiam excommunicationis iuste et canonice in eosdem et etiam in alios impeditores promulgassent, ipsorum inobedientia et contumacia exigente.

(Libellus·cantoris.)

Quapropter petit instanter idem dominus cantor, nomine quo supra, quod prefatam sententiam exequi, auctoritate prefati domini sui archiepiscopi in eosdem prolatam, approbari, et ipsam facere velitis strictius observari, ac ad condignam satisfactionem de omnibus nunciis, dampnis, et omnia interesse ac expensas, que occasione ipsorum Dymudis et Ebur prefate sorores receperunt, que omnia extimant ad decem marcas, per vestram sententiam compelli; petit etiam idem dominus cantor, nomine quo supra, sepedictas sorores ante omnia in possessione predicte domus et vinee iterato reduci, et ipsis restitui, quibus fuerunt de sola facti potentia spoliate et deiecte per dominam Dymudis et Ebur antedictos; ac velitis ipsos, tanquam illicite detentores, a predictis domo et vinea facere per vestrum officium excludi. Petit etiam ipsas domum et vineam predictis sororibus adiudicari, immo verius sepedictas domum et vineam ipsarum etiam per vestram sententiam declarari, prenominatis domine Dymudii et Ebeer perpetuum silentium imponi. Protestatur etiam idem dominus Johannes cantor, nomine ut supra, omnia iura et exceptiones suo loco et tempore proponendas sibi salvas fore. Salvo iure addendi &c. Ultimo protestatur de expensis faciendis in lite et occasione litis, ad quas condempnari petit partem adversam suo loco et tempore oportuno. Ad libellum autem directe respondet, et dicit, quod negat narrata in ipso, prout narrantur, et dicit fieri non debere.

Die Lune, VIIII. supradicti mensis Decembris, coram supradicto domino Vanne auditore, pro tribunali sedente ad causas audiendas, comparuerunt magister Angelus et dominus Johannes cantor, procuratores supradicti, dictus vero magister Angelus in dicta causa quasdam positiones in scriptis exhibuit, quarum tenor inferius apparebit; et quia dictus cantor

de procuratione supradicti domini archiepiscopi non docuerat, ipsius domini archiepiscopi non comparentis contumaciam accusavit. Prefatus vero cantor procurator dixit, se habere posse ipsius domini archiepiscopi procuratorium, et illud nondum potuisse producere, nec etiam in dicta causa potuisse ponere propter multa et varia eius negotia ac impedimenta, sed paratus erat infra terminum competentem de dicta procuratione docere, et suas positiones dare, et ad id petiit sibi terminum assignari. Et idem dominus auditor eidem cantori procuratori, ad recipiendum copiam positionum dicti Angeli et ad respondendum eisdem, et alias ad docendum de procuratione dicti domini archiepiscopi, ad diem Mercurii proxime venturam terminum assignavit. Inter positiones vero eiusdem magistri Angeli in fine quedam exceptiones contra petitionem predicti cantoris procuratoris denotate erant, que in fine ipsarum positionum continentur.

Die Mercurii, XI. supradicti mensis Decembris, comparuerunt predicti procuratores, et quia ipsi ad concordiam intendebant, supradictum terminum ad diem Lune proxime venturam continuavit eisdem. Remanente predicta causa in eo statu, in quo tunc erat.

(Responsio positionum.)

Die Lune, XVI. supradicti mensis Decembris, comparentibus in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore, pro tribunali sedente, magistro Angelo et domino Johanne cantore, procuratoribus supradictis, prefatus dominus cantor procurator, volens fidem facere de procuratione supradicti domini archiepiscopi, quasdam litteras procurationis dicti domini archiepiscopi et eius sigillo sigillatas produxit et exhibuit, cuius tenor inferius apparebit; et positionibus predicti Angeli respondit, prout in fine ipsarum cuiuslibet continetur. Qua quidem responsione facta, idem cantor procurator petiit litem contestari super suo libello.

(Litis contestatio super libello Beghinarum.)

Et idem dominus auditor, lecto prius dicto libello ac exceptionibus datis contra eum, mandavit dicto Angelo, ut litem contestaretur super ipso. Et idem cantor procurator, animo litem contestandi super dicto libello, dixit narrata, prout narrantur, super ipso libello suo vera esse, et petita in eo fieri debere, et ex adverso dictus Angelus, salvis et protestatis omnibus suis exceptionibus contra dictum libellum et causam, animo litem contestandi super dicto libello, dixit narrata, prout narrantur, super ipso libello vera non esse, et petita in eo fieri non debere. Et statim uterque

ipsorum iuraverunt de calumpnia et veritate dicenda corporaliter, cum omnibus capitulis iuramenti calumpnie. Quibus sic peractis, prefatus dominus auditor eisdem procuratoribus et ipsorum cuilibet, ad dandum articulos super petitione predicti Angeli, et ad ponendum super ultima petitione dicti cantoris procuratoris, ad diem Mercurii proxime venturam peremptorie terminum assignavit. Dictus quoque cantor procurator protestatus fuit contra dictum magistrum Angelum, quod ipse non erat procurator, nec de suo procuratore docuerat.

Tenor vero positionum datarum per magistrum, cum responsionibus factis ad eas, talis est:

(Positiones Angeli cum responsionibus)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, decretorum doctore, capellano reverendi patris et domini domini Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ac ipsius curie causarum generali auditore, ponit, et, si negatur, probare intendit Angelus Theobaldi de Sancta Victoria procurator domine Dymudis uxoris Ebeger et ipsius Ebeger de Peste, procuratorio nomine eorum, in causa appellationis, que vertitur inter ipsum procuratorem ex una parte, et dominum Strigoniensem archiepiscopum, ac contra quasdam Beghinas fratrum Predicatorum, prout in libello inde oblato plenius continetur.

In primis, quod processus factus per dictum dominum archiepiscopum ad petitionem dictarum Beghinarum, si appareat, tam super sententia lata, ut dicitur, pro dictis Beghinis de quadam domo et media vinea, que fuit condam domine Elisabet, ad dictam Dymudim ex legitima successione spectante, quam super executione, ut dicitur, ipsius sententie factus fuit ex arrupto, contra ius et iustitiam et iuris ordine non servato, et dictis Dymudi et Ebeger non citatis, non convictis, nec testibus superatis.

— Respondit: Non credit, quod sententiam excommunicationis iuris ordine non servato tulerit, sed iuste.

Item quod quam cito ad notitiam hoc pervenit dictorum Dymudis et Ebeger, cum non possent habere presentiam dicti domini archiepiscopi tunc, a predictis processu et executione, si appareant, coram fratre Petro priore et conventu Cruciferorum ecclesie sancte Trinitatis de Calidis Aquis, infra legitima tempora legitime apellarunt per magistrum, nomine suo et predictorum, quorum dictus Angelus est procurator.

— Respondit, quod dicta positio erat impertinens.

Item quod de consuetudine regni Ungarie fuit et est, quod appellationes fiunt coram personis auctenticis, etiam non iudicibus, qui causas audierunt, a quorum sententiis extitit appellatum, et tali appellationi sigillum illius apponi, coram quo appellatio interponitur memorata, et tales appellationes tantum valent inter regnicolas, quantum si coram proprio iudice, qui tulit sententiam, interposite fuissent.

— Respondit: Impertinens est.

Item quod in appellatione interposita pro parte dictorum Dymudis et Ebeger est proprium sigillum dicti fratris Petri, coram quo appellatum fuit.

— Impertinens est.

Item quod de consuetudine est dicti regni, quod appellationes, fiunt aliquando per interpositas personas et inter regnicolas, tantum valent, quantum si per principales personas interposite fuissent.

— Impertinens est.

Item quod dictus frater Petrus est auctentica persona et magnus prelatus.

— Impertinens est.

Item quod dictus Angelus, procuratorio nomine et pro parte predictorum Dymudis et Ebeger, dictam appellationem prosecutus est infra legitima tempora in curia dicti domini legati, presentando se dicto nomine, libellum dando et procedendo, prout iustitia dictat.

— Impertinens est.

Hec et alia coadiuvantia causam suam ponit et probare intendit dictus Angelus, procuratorio nomine quo supra, protestans, quod non astringit se ad omnia predicta probanda, nisi ad ea tantum, que faciant ad victoriam cause sue, et quod si aliqua contraria vel nociva ponit, quod illis uti non intendit, quia procurator est, et iustam ignorantie causam habet; protestatur, quod si aliqua ad eum de novo pervenerint, quod illa possit ponere et probare, iuxta quod sibi viderit expedire.

Ad alia vero, que per procuratorem dictarum Beghinarum proponuntur contra dictum Angelum procuratorem predictum, cum dependeant ab hiis, de quibus ipse Angelus nomine predicto proposuit contra ipsas Beghinas, et super quibus iam litem coram nobis extitit contestatus, nisi prius super libello ipsius Angeli, dicto nomine oblato, diffinitive pronuncietur, excipiendo dicit dominus Angelus, nomine quo supra, respondere non debere, nec cogi ad noviter proposita per procuratorem Beghinarum predictarum.

Tenor vero litterarum procurationis super predictum cantorem nomine archiepiscopi datarum talis est:

(Procuratio domini archiepiscopi de cantore.)

Nos Th.[1] miseratione divina archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, significamus universis, quibus expedit, presentium per tenorem, quod discretum virum et honestum magistrum Johannem cantorem ecclesie Budensis, amicum et familiarem nostrum karissimum, constituimus, fecimus et ordinavimus, presentem et recipientem, nostrum verum et legitimum procuratorem in causa, quam habemus contra Hench dictum Pefer et dominam consortem eius et Ebeger et dominam consortem eius de Peste, tam in agendo, quam in defendendo coram reverendo patre domino fratre Gentili Dei et apostolica gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, vel ipsius auditore, ad citationes faciendas, libellos offerendos et recipiendos, lites contestandas, exceptiones quascunque ante litis contestationem et post proponendas, iuramentum et de calumpnia et de veritate dicenda in nostram animam prestandum, terminos et dilationes petendas et recipiendas, testes et instrumenta producenda, sententias audiendas et appellationes faciendas, quotiens opus fuerit, ante sententiam et post, ac omnia singula facienda, que merita causarum exigunt et requirunt, dantes sibi plenam et liberam potestatem faciendi, que sibi, ut vero et legitimo procuratori nostro, circa presentem causam nostram videbuntur expedire; insuper unum vel plures procuratores super uno vel pluribus articulis in iudicio vel extra de predictis faciendi et constituendi. Promittentes, firmum et ratum habituri, quecumque per ipsum magistrum Johannem cantorem Budensem, nostrum verum et legitimum procuratorem, vel alius vel alii ab eo constituti, circa predicta vel aliquod predictorum duxerit faciendum. In cuius rei certitudinem presens instrumentum eidem concessimus, sigillo nostro auctentiquo communitum. Datum Bude, in vigilia beati Andree apostoli,[2] anno Domini millesimo CCC. octavo.

Die Mercurii, XVIII. predicti mensis Decembris, coram predicto domino auditore magister Angelus procurator supradictus presentavit se, absente altera parte, et dedit positiones suas pro articulis, necnon contra libellum dicti cantoris loco positionum easdem positiones exhibuit et dedit.

Eodem die, predicto tamen magistro Angelo procuratore absente, dictus cantor procurator, nomine quo supra, presentavit se coram domino Phylippo auditore, et contra libellum datum per dictum magistrum Angelum

1 Thomas.
2 29. Novembris.

procuratorem quosdam articulos in scriptis exhibuit, quorum tenor infra proxime denotatur. Necnon super causa libelli per eum dati quasdam positiones in scriptis exhibuit, quarum tenor inferius apparebit.

Tenor vero predictorum articulorum talis est:

(Articuli cantoris.)

Coram Vobis &c. In primis probare intendit dominus Johannes cantor procurator sepedictus, sententiam excommunicationis latam in Eburger et uxorem eius iuste et canonice fuisse per executores domini archiepiscopi Strigoniensis, videlicet per tres plebanos Budenses, eorum contumacia exigente, auctoritate prefati domini archiepiscopi.

Item quod ipsi plebani habuerunt ad predicta facienda mandatum speciale domini archiepiscopi Strigoniensis antedicti.

(Qualiter date fuerunt positiones pro articulis, et terminus ad respondendum positionibus cantoris.)

Die Jovis, XVIIII. supradicti mensis Decembris, constitutis in iudicio coram prefato domino Phylippo auditore magistro Angelo et cantore, predictis procuratoribus, quolibet pro parte sua, dictus magister Angelus iterato positiones datas alias per eum, tam super libello suo, quam super libello dicti cantoris, propositionibus et articulis, exhibuit et dedit; prefatus quoque cantor dixit etiam, quod ipsas suas positiones heri datas per eum propositionibus et articulis exhibebat, et petiit dictum Angelum ad respondendum cogi; et idem dominus auditor eisdem procuratoribus, ad probandum pro prima dilatione in dictis causis, et ipsi Angelo specialiter ad respondendum positionibus dicti cantoris, ad diem Lune proxime venturum terminum assignavit.

(Responsio positionibus.)

Die Lune, XXIII. supradicti mensis Decembris, comparuerunt coram supradicto domino Phylippo auditore procuratoribus supradictis *(sic)*, quolibet pro parte sua, et dictus Angelus procurator positionibus datis per dictum cantorem procuratorem respondit, prout in fine ipsarum cuiuslibet inferius continetur, licet vellet super aliquibus deliberare et plenius informari; cui magistro Angelo, ad respondendum ad plenum ad eas, dictus dominus auditor terminum prorogavit. Tenor vero dictarum positionum cum responsionibus talis est:

(Positiones cantoris pro Beghinis.)

Coram Vobis, honorabili viro domino Phylippo &c. Ponit, et, si negatur, probare intendit dominus Johannes cantor Budensis, procurator domini archiepiscopi Strigoniensis et dominarum Beghinarum Albrath et aliarum, procuratorio nomine, in causa, que est inter ipsos, ab una parte, et Eburger et uxorem eius, ex altera, prout in libello oblato plenius continetur.

In primis ponit, quod de mandato et commissione domini archiepiscopi Strigoniensis tres plebani Budenses ipsos Eburger et uxorem excommunicarunt.

— Non credit, nisi appareat.

Item quod hoc iuste et canonice fecerunt, tanquam executores domini archiepiscopi, monitione legitima precedente.

— Non credit.

Item quod, exigente ipsorum inobedientia et rebellione, excommunicarunt, tanquam impedientes executionem executorum super quadam domo et vinea, que Beghinis fuit adiudicata, immo verius declarata ipsarum esse per sententiam domini archiepiscopi.

— Dependet.

Item ponit, ipsas dominas Beghinas in possessione domus et vinee fuisse tempore erectionis.

— Negat Angelus procurator erectionem et possessionem habuisse dictas Beghinas.

Item quod legitime introducte fuerunt per deputatos.

(Reliqua desunt.)

XXXVIII.

1308. 10. Novembris. Keykus. (Kékes?)

Matthæus palatinus de genere Chak ad requisitionem cardinalis Gentilis Carolum regem Hungariæ recognoscit.

(Arch. Vatic. C. fasc. 40. n. 9.)

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo octavo, indictione VI., IIII. idus Novembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio. Reverendus in Christo pater et dominus dominus Gentilis tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, in regno

Ungarie aliisque partibus illi conterminis apostolice sedis legatus, innumerosa discrimina, quibus ipsum regnum multe olim iocunditatis fertilitate refertum, multaque solitum devotione clarescere, hostis antiquus, pacis emulus ac zizanie seminator, generali turbatione conquassat *(sic)*, particularia quoque dissidia, que in regno ipso iam intulit inveterata dissentio, pio ac paterno aspectu premeditans, pro magnifici principis domini Karoli Ungarie regis illustris, dicti regni et nobilium ac incolarum eius statu tranquillo et prospero cogitationes pacis assidue meditatur. Considerata igitur inter prefatum dominum regem aliosque ipsius regni nobiles, ex parte una, ac nobilem virum Matheum palatinum de genere Chak,[1] ex altera, gravi, ut dicebatur, dissentionis exorta materia, voluit prefatus dominus legatus eundem Matheum, qui dicebatur ipsius regni dissentionibus ac scandalis causam dare, habere presentem. Et quoniam ipsi Matheo, ut asserebat, Budam, ubi prefatus dominus legatus cum sua morabatur curia, tutus non patebat accessus, ipse dominus legatus sui status preminentiam et dignitatem officii non attendens, quinimo desiderio intimo, que sunt pacis et concordie, perficere concupiscens, humiliavit semetipsum, et ad infrascriptum locum, ubi dictus Matheus tute accedere poterat, cum eo locuturus accessit, labores viarumque inepcias ac pericula non evitans. In presentia itaque mei notarii et testium subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, eodem Matheo coram ipso domino legato presentialiter constituto, petiit ab eo idem dominus legatus, si vellet bonum et pacificum statum eorundem regis et regni, ac stare et parere super hiis eius ordinationibus et mandatis, quodque super eius responsionibus ad petita huiusmodi fieret publicum instrumentum. Qui primo, ut videbatur, hesitans, dixit, se velle habere consilium super responsionibus faciendis. Statimque secedens in partem, habitaque cum suis consiliariis et sociis ibidem presentibus deliberatione matura, sponte, voluntarie ac libere respondit, se velle stare ac parere super predictis plenarie dicti domini legati ordinationibus et mandatis, promittens in primis sanctissimi patris domini C.[2] predicti, divina providentia summi pontificis, ac ipsius domini legati obedire mandatis et ordinationi, quam ipse dominus legatus super statu eorundem domini Karoli regis et regni faciet, totaliter se summisit, repromittens illam inviolabiliter observare. Item recognovit prefatum dominum Karolum verum regem ac regni successorem Ungarie ac suum dominum natu-

1 Matthæus palatinus filius Petri palatini de genere Csák, secus Matthæus Csák de Trencsin dictus, fortissimus hostis et æmulus Caroli regis Hungariæ, qui in superiore parte regni Hungariæ, quasi regalem exercuit potestatem. Mortuus 18. Mait. a. 1321.

2 Clementis.

ralem, quodque sibi tenebatur et volebat, tanquam suo legitimo domino, fidelitatem et obedientiam debitas exhibere. Nec recognoscit alium, aut vult habere pro rege Ungarie, nisi eum. Item ad hoc, ut hoc prefatum regnum, quantum ex se erat, habeat tranquillitatem et pacem, ad ipsius domini legati requisitionem promisit pacem et concordiam facere iustam et equam cum magistro Dominico[1] aliisque baronibus, cum quibus ex aliquibus fomentis discordie noscitur dissidere. Item promisit, quod omnis pax et concordia, quam ipsum continget facere cum predictis vel aliis quibuscumque, fiet ac erit in promotionem ac statum domini regis eiusdem. Sed nec cum predictis vel aliis pacem vel concordiam faciet, que in derogationem vel preiudicium honoris aut status possit ipsius domini regis quomodolibet redundare. Alias pax et concordia facta taliter sit prorsus irrita et inanis, ac nullius habeat roboris firmitatem. Et de hiis omnibus et singulis, per ipsum Matheum plenarie firmiter ac fideliter adimplendis et inviolabiliter observandis, iunctas manus infra ipsius domini legati, more profitentium regulas, manus mittens, fidem exhibuit, quam etiam pacis osculo, eidem domino legato exhibito, confirmavit. Actum in loco fratrum Heremitarum, qui vocatur Keykus, Vesprimiensis diocesis. Presentibus venerabilibus in Christo patribus dominis Dei gratia Thoma archiepiscopo Strigoniensi[2] et Johanne episcopo Nitriensi[3] ac religiosis viris fratribus Paulo priore Predicatorum et Haymone ministro Minorum fratrum ordinum in provincia Ungarie, ac venerabilibus viris magistris Philippo de Sardinia ac Johanne de Aretia auditoribus et Johanne Anglico notario et capellano prefati domini legati, ac nobilibus viris Symone filio Michaelis, Nicolao filio Symonis de Casich, magistro Feliciano de genere Zack,[4] Stephano filio Pauli et Becha Rufo.

Et ego Johannes de Pontecuruo apostolica et imperiali auctoritate notarius predictis interfui, ipsaque mandato et autoritate prefati domini legati, necnon a predicto Matheo palatino rogatus, scripsi et publicavi, meoque solito signo signavi. Et ad maiorem predictorum roboris firmitatem ac futurorum memoriam, supradictus dominus legatus sigillo suo fecit presens instrumentum publicum communiri.

(Signum notarii.)

A tergo manu coaeva: Anno Domini MCCCVIII. et IIII. idus No-

1 Filius Omodei de genere Aba palatini, a. 1309. ad Cassoviam interfecti.
2 Thomas II. archiepiscopus Strigoniensis ab a. 1305—1321.
3 Frater Johannes III. episcopus Nitriensis 1302—1328.
4 Felicianus, filius Zach, de genere Zach, prius Matthæi Csák, post Caroli fidelis, idem qui a. 1330. armata manu irruit in Carolum et eius domum.

vembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio, dominus Gentilis presbyter cardinalis et sedis apostolice legatus in regno Ungarie requisivit magistrum Matheum palatinum, ut regem Ungarie in dominum suum verum recognosceret. Qui magister palatinus, prehabita matura consideratione debita, ad requisitionem dicti domini legati et ob reverentiam sedis apostolice, dictum dominum Karolum regem Ungarie in dominum ac regem recognovit, et fidelitatem promisit, una cum aliis baronibus, ut est moris.

XXXIX.

1308. 27. Novembris. Pestini.

Publicum instrumentum de electione Caroli in regem Hungariæ, præsente et interveniente cardinale Gentili.

(Archiv. Vatic. Arm. II. capsa VII. No. 3.)

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo octavo, indictione sexta, mense Novembris die vicesima septima, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio *(sic)*. Reverendus in Christo pater et dominus dominus Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, in regno Ungarie ac partibus illi conterminis apostolice sedis legatus, ex quo ad ipsius legationis partes accessit, quod fama prenoverat, ex rei evidentia et facti experimento percipiens, tempestatis videlicet fremitum, qua regnum ipsum multe fertilitatis olim, ut asseritur, iocunditate refertum, multaque solitum devotione clarescere, hostis antiquus, pacis emulus ac zizanie seminator, generali turbine conquassarat, particularibus quoque dissidiis fere in singulis eiusdem regni partibus suscitatis, ex quibus adeo invaluerat commotionis horror in illo, et locum sibi dissentio, que detrimenta solet vastitatis inducere, vendicarat, quod excellenti principe domino Carolo Ungarie rege illustre, ac nonnullis baronibus et nobilibus dicti regni ad invicem dissidentibus, ac inter eos odii ac rancoris igne succenso, detrahebatur subditorum adversione *(sic)* regalis magnificentie culmini, ab eis ipsius regis avertebatur affectus, ac mutius hinc inde comodis *(sic)* deperibat; cepit circa ipsius regni sedanda scandala indesinentis solertie studio vigilare, ac fervore officiosi exuberare favoris instantius pro ipsius domini regis, quem infra claustra pectoris in singularitate dilectionis habet ut filium, ac incolarum regni eiusdem statu prospero et tranquillo

cogitationes pacis assidue meditando. Post adventum igitur eiusdem domini legati Budam, per nuncios ipsius et litteris pro eiusdem regni negotiis, sue commissis legationis officio, promovendis feliciter, generali prelatorum ac baronum et nobilium aliarumque notabilium personarum, tam ecclesiasticarum quam secularium, concilio ad octavam festi beati Martini confessoris [1] nunc instantis solenniter convocato, circa ipsam octavam ad idem concilium prelatorum ac baronum plurimi ac multitudo nobilium et personarum ipsarum copiosa personaliter, aliqui vero eorundem baronum, quorum personalem adventum ad idem concilium longa distantia prepedivit, per procuratores ydoneos convenerunt. Sane Henrico magistro et bano Sclavonie, ac nonnullis baronibus aliis et nobilibus, quibus ad superius castrum Bude, ubi tunc legatus ipse cum sua curia morabatur, propter armatorum multitudinem, quam secum habebant, nequaquam patebat aditus ultra Danubii flumen, ex ipsius castri opposito constitutis; ipse dominus legatus insistens ceptis alacriter, suique status preminentia et dignitatem officii non attendens, quinimmo semetipsum humilians, una cum prefato rege aliisque prelatis et baronibus, citra flumen ipsum cum eo manentibus, spatiosam fluminis eiusdem planiciem, piscatoris more, aquarum intrepidi, cimba transiliit; ac in loco fratrum Predicatorum, iuxta flumen ipsum sito, cum ipso domino legato, prelatorum, baronum et nobilium ac dictarum personarum multitudo, cives etiam et advene copiosi, quos eximii spectaculi rumor ac vulgata conventionis dicti concilii celebritas excitarat, insperate pacis admiratione stupidi, et tot discordium animorum unitatis increduli, pacisque avidi convenerunt. Quibus in eiusdem domini legati, ac mei aliorumque notariorum et testium subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, presentia constitutis, dictoque domino rege, ac venerabilibus in Christo patribus dominis Dei gratia Thoma Strigoniensi ac Vincentio [2] Colocensi archiepiscopis et H. [3] Waciensi, Benedicto [4] Vesprimiensi, Johanne Nitriensi, Petro [5] Quinqueecclesiensi, Martino [6] Agriensi, et Augustino [7] Zagabriensi episcopis, et Nicolao [8] postulato Jauriensi, ad dexteram, et magnificis viris dominis Henrico prefato magistro et bano Sclavonie,

---

1 1308. 18 Novembris.
2 Vincentius archiepiscopus Colocensis 1305—1312.
3 Haab episcopus Vaciensis 1297—1312.
4 Benedictus II. episcopus Vesprimiensis 1291—1309.
5 Petrus episcopus Quinqueecclesiensis 1308—1311.
6 Martinus II. episcopus Agriensis 1307—1321.
7 Frater Augustinus Gazottus, ordinis s. Dominici, episcopus Zagrabiensis 1303—1322, post episcopus Lucerensis 1322—1323.
8 Nicolaus II. episcopus Jauriensis 1308—1318. prius (1303—1308) episc. Bosnensis.

magistro Nicolao filio Gregorii, nepote eius, Homodeo palatino de genere Haba,[1] magistro Dominico, magistro Kocos,[2] et Ladislao bano de Ratolt, Copos palatino[3] pro se ac Beka magistro tavarnicorum domine regine,[4] fratre suo, filiis Thome de genere Borsce, ac Petro filio Compoldi de genere Aba,[5] ad sinistram ipsius domini legati sedentibus, et nunciis seu ambassiatoribus et procuratoribus magnificorum virorum Ugrini magistri tavarnicorum regis[6] et Ladizlai woywode Transilvanensis et comitis de Zonuk[7] ac Mathei Trinze palatini[8] ibidem presentibus, ac pressa nobilium aliorum et vulgi stante corona, idem dominus legatus proposuit verbum Dei, assumpto illo evangelico themate: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo &c. seriose retexens agri semina, idest regni Ungarie, que in illo Dominus seminerat, ex quibus reges catholici tanta sanctitatis et vite claritate conspicui prodierunt, quod sanctorum ascribi cathalogo meruere, quodque coronam regni primus rex Ungarie, sanctus Stephanus, a Romano pontifice consecratam acceperit, prout Ungarorum hystorie, quas legatus ipse prenoverat, asseruit protestari. Alias etiam thema ipsum ad sue intentionis propositum, super statu eiusdem regni mirabiliter reducendo. Post que, sub specie tuende libertatis eiusdem regni, inter ipsos barones et nobiles murmur, quod ipsius domini legati attigit aures, per querelam patulam in publicum productam exoritur, videlicet quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod ecclesia Romana vel ipse dominus legatus eius nomine sepedicto regno de rege ullatenus provideret, sed placebat eis, quod illum, quem ipsi ex antiquo et approbato eiusdem regni more vocaverant et in regem assumpserant, prefatus dominus legatus, eiusdem ecclesie Romane nomine, in verum regem Ungarie confirmaret, et quod etiam perpetuis futuris temporibus veri summi pontifices et ipse Romana ecclesia haberet ius confirmandi et coronandi reges Ungarie, de vera regali progenie propagatos, quos ipsi unanimiter et concorditer de dicta progenie ducerent eligendos. Ipse vero dominus legatus ad confirmationem ceptorum per eum feliciter ferventer hanelans *(sic)*, ad eorundem prelatorum, baronum et nobilium suppli-

1 Omodeus palatinus de genere Aba 1290—1309. Eodem tempore plures fuerunt palatini vocati.
2 Magister Kokos, olim magister agazonum Venceslai regis a. 1303.
3 Kopasz palatinus de genere Borsa 1307—1313.
4 Beke, frater Kopasz palatini, magister tavernicorum reginalium. Post a. 1317 magister tav. egalium.
5 Petrus filius Compoldi, a. 1317—1318. magister tavernicorum regalium.
6 Ugrinus, filius Pous, de genere Csák, mag. tavernicorum regalium c. 1307—1309.
7 Ladislaus vaivoda Transylvanus et comes de Zolnok 1306—1313. potissimus olygarcha, qui totam orientalem partem regni Hungariæ sibi occupavit.
8 Matthæus de Trenchinio.

cationem, petitionem et expressum consensum, prefatum dominum Carolum de predictorum regum Ungarie ex domina serenissima domina Maria, Sicilie ac Ungarie regina illustri, nata clare memorie Stephani regis Ungarie,[1] vera propagine propagatum, cuiusque in eodem regno successio legitima per eandem ecclesiam extitit declarata, sibique de iure deberi regnum huiusmodi diffinitum, in eiusdem regni verum regem, ipsius ecclesie Romane nomine, cum solennitate debita confirmavit, et predicta ipsius ecclesie Romane nomine acceptavit; et subsequenter omnes unanimiter et concorditer post confirmationem huiusmodi, tam adherentes, quam adversantes hactenus eidem domino Carolo, receperunt et recognoverunt singulariter et divisim ipsum dominum Carolum verum regem ac regni Ungarie successorem, sibique servire ac obedire teneri, tanquam vassalli legitimi et fideles domino naturali. De quibus etiam, per eos firmiter adimplendis et inviolabiliter observandis, iunctas manus, prout solet a profitentibus regulas fieri, infra sepedicti domini legati mittentes manus, iuramentum et fidem super vere crucis lignum, ipsique ac dicto domino regi singulariter pacis osculum prestiterunt, statimque ipsum dominum Carolum regem catervatim elevatum substollentes manibus, plausu et vocibus extulerunt Regium letis ad sydera nomen, subsequenter Te Deum laudamus solenniter decantato. Actum, ut predicitur, in dicto loco Predicatorum, prope civitatem Pestensem, ultra ipsum Danubium, ex opposito dicti castri. Presentibus reverendo in Christo patre domino Thoma episcopo Veglensi, ac venerabilibus et religiosis viris fratribus Paulo priore Predicatorum et Haymone ministro Minorum fratrum, ordinum provincialibus, et Salomone vicario ... prioris provincialis fratrum Heremitarum in provincia Ungarie, cum eorundem ordinum fratrum multitudine, ac venerabilibus et discretis viris magistris Philippo de Sardinia Arborensis et Johanne de Aretio Auximanensis ecclesiarum canonicis, auditoribus, necnon magistris Guillelmo de Sanguineto, Johanne Anglico et Alberto de Parma capellanis prefati domini legati et notariis publicis ac inferius subscriptis, ad hoc specialiter vocatis et rogatis, ac alia diversarum copiosa multitudine nationum.

Et ego Johannes de Pontecuruo apostolica et imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, ipsaque mandato et auctoritate prefati domini legati, necnon a predictis prelatis, baronibus et nobilibus, una cum prefatis notariis rogatus, scripsi et publicavi, meoque signo consueto signavi, et ad maiorem predictorum roboris firmitatem ac memoriam futurorum,

[1] Maria filia Stephani V. regis Hungariæ (1270. 2. Maii—1272. 1. Aug.) Carolo II. regis Siciliæ matrimonio iuncta, quorum nepos Carolus Robertus rex Hung.

supradicti domini legatus, rex, prelati et barones fecerunt presens instrumentum publicum, predictorum notariorum subscriptionibus communitum, sigillis etiam propriis roborari.

(Signum notarii.)

Et ego Guilelmus de Sanguineto publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius predictis omnibus, una cum predictis testibus et notariis, presens interfui, ac de mandato prefati domini legati, necnon a predictis prelatis, baronibus et nobilibus rogatus, huic instrumento publico me subscripsi, et signum meum apposui consuetum.

(Signum notarii.)

In cedula affixa legitur:

Et ego Johannes Anglicus natus quondam Henrici le Petit, publicus apostolica auctoritate notarius &c.

Iste obiit.

Ego Albertinus de Tribuscasalibus civis Parmensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius &c.

Iste est cum domino de Pogeto.

In curia est quidam alius notarius, qui fuit presens et rogatus, licet non fuerit de predictis tribus subscriptis.

A tergo manu coaeva:

Collatum per B. de Spello et Marinum de Montrallo, cancellarie apostolice notarios. In primo volumine fol. 248.

Orig. in membrana, videtur par esse literarum originalium, in curia Gentilis retentum.

XL.

Circa 1308. Novembr.—1309. Septembr. Budæ.

Processus super executione facta per Franciscum abbatem monasterii s. Michaelis de Vegla et Petrum canonicum Veglensem, de canonicatu Paganutii eiusdem ecclesiæ.

(Bibl. Vat. Cod. 4013. fol. 9—11.)

Reverendo in Christo patri domino T.[1] Dei gratia episcopo Veglensi, vel eius locum tenenti, et discretis viris . . . archidiacono, primicerio et

1 Thomæ.

archipresbytero ac capitulo et omnibus aliis et singulis prelatis et officialibus ac canonicis ecclesie Veglensis, personatus seu dignitates vel officia quecunque habentibus in eadem ecclesia, quocunque nomine censeantur, et ubicunque constitutis, frater Franciscus abbas monasterii sancti Michaelis, ordinis sancti Benedicti, de Vegla, et Petrus Nicholai canonicus Veglensis, executores ad infrascripta specialiter deputati, salutem in Domino, et mandatis infrascriptis efficaciter obedire. Litteras reverendi patris et domini domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, cum veris sigillis plumbeis, serico et filo cannapis integro sigillatas, non vitiatas, non cancellatas, non abolitas, non abrasas, nec in aliqua sui parte suspectas, nobis per discretum virum Paganutium Palmerii de Monte Falcone presbyterum, nomine et pro parte sui presentatas, cum ea, qua decuit, reverentia recepimus. Quibus litteris receptis, visis et diligenter inspectis, eas in publico coram nobis et testibus infrascriptis legi fecimus per notarium infrascriptum. Quarum litterarum tenores tales sunt: Frater Gentilis &c. Item: Frater Gentilis &c. Qui quidem Paganutius post litterarum ipsarum presentationem nobis humiliter supplicavit, ut dictum mandatum domini legati ad nos directum executioni debite mandaremus. Nos igitur volentes mandatum supradictum, nobis in hac parte directum, exequi humiliter et devote, Vos, dominum episcopum, vel vicarium suum, archidiaconum, primicerium et archipresbyterum ac capitulum, et universos et singulos prelatos et canonicos, administratores, balivos et officiales quoslibet predicte ecclesie Veglensis, monemus communiter et divisim, Vobis nichilominus auctoritate predicti domini legati, qua fungimur in hac parte, in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus prefatum Paganutium vel procuratorem suum, eius nomine, in ecclesia vestra Veglensi predicta iuxta predictarum domini legati litterarum tenorem recipiatis, prout ad Vos et vestrum quemlibet communiter vel divisim pertinet, infra sex dies a publicatione vel denunciatione huius processus, Vobis facta, immediate sequentes, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et duos Vobis universis et singulis pro tertio et peremptorio termino assignamus, in canonicum et in fratrem cum plenitudine iuris canonici in eadem ecclesia Veglensi, ut moris est, recipiatis, eique stallum in choro, et locum in capitulo, sicut canonico eiusdem ecclesie, assignetis, ac in corporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende, ac iurium et pertinentiarum ipsorum, sibi per dictum dominum legatum collatorum,

---

1 Gentilis.

eundem Paganutium vel procuratorem suum, eius nomine, quantum ad Vos et singulos vestrum communiter vel divisim pertinet, sine difficultate qualibet, ponatis, inducatis, et defendatis inductum. Quem nos, quantum possumus, auctoritate predictarum litterarum domini legati in corporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende inducimus. Investientes predictum Paganutium, vel *talem* procuratorem suum, eius nomine, per nostrum birretum presentialiter de eisdem, amoto exinde quolibet detentore, quem nos ad cautelam etiam amovemus. Facientes eidem Paganutio vel procuratori suo, eius nomine, de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus ac iuribus universis, plene et integre responderi. Mandatum nostrum, immo potius dicti domini legati, in hac parte sic devote, sic solicite ad effectum ducere procurantes, quod de promptitudine devotionis vestre ac obedientie possitis merito commendari. Nos enim, si in premissis, vel ipsorum aliquo, duxeritis resistendum seu contradicendum, publice vel occulte, Vobis, domino episcopo, ingressum ecclesie interdicimus in hiis scriptis, in Vos, archidiaconum, primicerium et archipresbyterum, ac in omnes alios et singulos canonicos predicte ecclesie Veglensis, et in omnes alios et singulos contradictores et rebelles, et eidem Paganutio vel procuratori suo super dictis canonicatu et prebenda et eorum iuribus et pertinentiis se quomodolibet opponentes, publice vel occulte, ac etiam fautores, consilium vel iuvamen contra eundem Paganutium prestantes, cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis aut status existant, necnon et in dantes alteri, vel recipientes dictos canonicatum et prebendam, vel aliquid eorundem, quam dicto Paganutio, auctoritate predicta ex nunc, prout ex tunc, monitione premissa, in hiis scriptis excommunicationis; in capitulum vero et ecclesiam vestram Veglensem predictam interdicti sententias promulgamus. Et nichilominus, si quid contra premissa omnia vel aliquod premissorum a tempore provisionis huius attemptatum extiterit, aut in futurum contigerit attemptari, irritum decernimus et inane. Preterea &c. *ut infra*. Mandatum nostrum, immo verius dicti domini legati, super predictis et aliis exequendo, iuxta traditam a dicto domino legato nobis formam &c. *ut infra*. Presentes autem litteras, instrumentum publicum, vel processum, et litteras dicti domini legati apud dictum Paganutium vel procuratorem suum remanere volumus, et non per Vos, vel aliquem de vestro capitulo, sive per quemlibet alium extraneum detineri. Immo si aliquis vel aliqui illud vel illum seu illas per vim, vel contra ipsius Paganutii vel eius procuratoris voluntatem, detinere presumpserit seu presumpserint, sententiam excommunicationis, quam ex

nunc in hiis scriptis ferimus in ipsum vel in ipsos, ipso facto incurrat vel incurrant. Mandamus tamen dicto P. vel eius procuratori, fieri Vobis copiam de predictis, si eam petieritis et habere volueritis, vestris tamen sumptibus et expensis moderatis. Item quod, facta Vobis copia, omnia et singula instrumenta et litteras reddatis eidem, copia, si placuerit, habita et retenta. Et si contingat aliquem vestrum, vel quemcunque aliam personam, supradictas nostras sententias incurrere quoquo modo per manifestam resistentiam vel occultam, nolumus per alium, quam per nos, seu superiorem nostrum eas relaxari, vel quomodolibet amoveri. Et in summa hoc est nostre voluntatis studium, ut secundum mandatum domini legati supradictum, idem Paganutius canonicatum et prebendam predictos cum omni iuris plenitudine libere assequatur. Per processus autem &c. *ut infra*.

Preterea venerabilibus et discretis viris . . . quibus et cuilibet eorum in solidum, super executione predicti mandati apostolici et nostri, tenore presentium committimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena, quam ipsos et eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, nisi fecerint, quod mandamus, districte precipimus, quatenus ipsi vel eorum alter, qui requisitus fuerit, ad dictam ecclesiam Veglensem et vestram presentiam personaliter accedant, et supradictas nostras monitiones, precepta, sententias et processus, et omnia et singula supradicta et alia, que sibi expedire videbuntur, Vobis et cuilibet vestrum communiter vel divisim in prefata ecclesia Veglensi denuncient, legant, et publicare procurent, eundem Paganutium vel procuratorem suum, eius nomine, in prefata ecclesia Veglensi faciendo recipi in canonicum et in fratrem, et stallum in choro, et locum in capitulo cum plenitudine iuris canonici, auctoritate nostra, immo potius dicti domini legati, sibi vel eius procuratori pro ipso studeant assignare. Mandatum nostrum, immo verius dicti domini legati, super predictis et aliis, exequendo, iuxta traditam a dicto domino legato nobis formam. Ita tamen, quod ipsi vel eorum aliquis, aut quicunque alius, nichil in eiusdem Paganutii preiudicium innovare valeant, vel mutare in processibus per nos habitis et sententiis per nos latis. In ceteris autem, que dicto Paganutio super predictis nocere possent, eisdem subdelegatis et cuilibet alii, potestatem omnimodam denegamus.

Per processum autem huiusmodi nec volumus, nec intendimus nostris preiudicare collegis, quominus ipsi, vel eorum alter, servato tamen hoc nostro processu, per se vel per alium seu alios possint in huiusmodi negotio procedere, sicut eis vel eorum alteri placuerit, et videbitur expedire.

In quorum omnium testimonium presentes litteras, instrumentum publicum et processum per Matheum notarium publicum infrascriptum scribi et publicari mandavimus, et sigilli nostri appensione muniri. Actum et datum &c.

Et ego *talis*, *tali* auctoritate notarius publicus, presentationi dictarum litterarum, prolationi dictarum sententiarum, ac omnibus aliis predictis interfui, et ea omnia de mandato predictorum executorum a dicto Paganutio rogatus, scripsi et publicavi, meoque solito signo signavi.

(Alius processus gravior in eadem causa.)

Reverendo &c. et discretis viris, *ut supra proxime*. Salutem in Domino et mandatis infrascriptis efficacius obedire. Recepimus olim per litteras, reverenter per nos receptas, ut decuit, a sede apostolica in mandatis, ut Paganutium Palmerii de Monte Falcone concanonicum vestrum, cui canonicatum et prebendam, quos venerabilis pater dominus J.[1] episcopus Senegaliensis, dudum promotionis sue tempore ad Senegaliensem ecclesiam in Esina ecclesia, cuius tunc erat canonicus, obtinebat, per promotionem huiusmodi, post consecrationis munus sibi impensum de mandato domini nostri summi pontificis, apud prefatam sedem vacantes, de quibus nullus alius preter prefatum dominum nostrum summum pontificem disponere poterat, intuitu reverendi patris et domini domini G.[2] Dei gratia &c. cuius idem P.[3] clericus et familiaris est, eadem sedes gratiose concesserat, et cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica auctoritate contulerat, per nos vel alium seu alios in corporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende ipsius ecclesie . . . ac iurium et pertinentiorum eorundem induceremus et defenderemus inductum, amoto exinde quolibet detentore. Quodque faceremus eundem Angelum in canonicum vestrum et fratrem recipi et admitti, sibique stallum in choro, et locum in capitulo cum plenitudine iuris canonici assignari, prout in prefatis apostolicis litteris plenius continetur. Ad cuius executionem negotii cum omni reverentia procedentes, per litteras nostras et processum, quos oportunos vidimus, in premissis Vos monuimus et requisivimus communiter et divisim, dantes Vobis in virtute obedientie, et sub privationis ac suspensionis et excommunicationis penis nichilominus in mandatis, quod infra certum terminum, quem pro primo,

---

1 Johannes episcopus Sinigalliensis ab a. 1305. mort. circa a. 1308.
2 Gentilis.
3 Paganutius.

II. et III. peremptorio et monitione canonica assignavimus Vobis, prefatum P. vel procuratorem suum, eius nomine, ad prefatos canonicatum et prebendam, sibi per eundem dominum papam collatos, reciperetis in vestrum et eiusdem . . . ecclesie canonicum et in fratrem, eique vel dicto eius procuratori, pro eo, stallum in choro et locum in capitulo assignaretis, ipsumque vel dictum procuratorem suum, eius nomine, ad corporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende, ac iurium et pertinentiarum ipsorum sine difficultate qualibet recipere et admittere infra dictum terminum studeretis, prout in predictis nostris litteris et processu, quos per speciales nuncios nostros Vobis fecimus presentari, hec et alia seriosius continentur. Et licet tunc temporis mandatum nostrum huiusmodi, immo potius apostolicum, cum reverentia intendentes, procuratorem predicti P. pro dicto P. et eius nomine, ad omnia receperitis, que in predicto mandato apostolico continentur; postmodum tamen, sicut eiusdem Angeli habet expositio querula, canonicatum et prebendam predictos de facto, cum non possetis de iure, alii perperam conferentes, de fructibus et redditibus ipsorum privastis eundem P. et de predictis fructibus respondere ipsi et redditibus malitiose refugitis ac etiam recusatis, in contemptum prefati mandati apostolici, et dicti P. non modicam lesionem. Petito itaque a nobis suppliciter per eundem P., ut providere sibi super hoc, auctoritate nobis in hac parte commissa, de oportuno auxilio deberemus, nos premissa, si vera sunt, nec indigne, moleste ferentes, Vobis, domino episcopo, et pretitulatis aliis districtius precipiendo mandamus, quatenus infra quatuor dies, a receptione presentium in manu numerandos, quos Vobis pro primo, II. et III. peremptorio termino assignamus, predictum P. vel procuratorem suum in possessionem liberam canonicatus et prebende predictorum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, prout dictum est, reducentes, de fructibus et redditibus ipsorum medio tempore perceptis, et qui percipi potuerunt, faciatis eidem P. vel suo pro eo procuratore aut nuncio integre satisfieri, ac etiam responderi; atque manuteneatis et defendatis eundem P. de cetero in possessione pacifica dictorum canonicatus et prebende, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, tam in domibus, cameris, vineis, silvis, pratis, molendinis, aquis et aquarum cursibus, quam in quibuscunque bonis aliis consistentibus, que dictus quondam dominus Johannes ratione dictorum canonicatus et prebende cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tenebat, amoto exinde quolibet detentore. Alioquin, si secus inde feceritis, ex nunc, prout ex tunc, denunciamus et decernimus, ac etiam declaramus omnes et singulas penas et sententias Vos incurrisse, videlicet

Vos, dominum episcopum, suspensionis et Vos, omnes alios et singulos canonicos et quascunque dignitates et personatus ac administrationes, seu quecunque alia officia in ecclesia predicta habentes, excommunicationis, et alias, quas predictus processus noster continet, et ecclesiam ipsam vestram suppositam esse ecclesiastico interdicto. Volumus insuper et mandamus, ut de receptione presentium, de quarum presentatione relationi stabimus portitoris ipsarum, remittatis nobis, cum forma earum, diem receptionis huiusmodi, continentes vestras litteras responsales, ut si in contemptum earundem animo indurato Vos perseverare contigerit, ad processus alios per nos faciendos de novo, prout nobis videbitur, contra Vos, mediante iustitia, procedemus. In cuius rei testimonium et dicti P. cautelam, seu procuratoris eiusdem, presens scriptum publicum, quod apud nos registrari fecimus, per manum infrascripti notarii publici de mandato nostro exinde factum est, signo et subscriptione dicti notarii ac sigilli nostri appensione munitum. Actum et datum Bude, in *tali* loco, sub anno Domini &c. Pontificatus &c. Die &c. Indictione &c. presentibus discretis viris . . . testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis.

Et ego *talis* de *tali* loco, *talis* diocesis, publicus apostolica, imperiali et regia auctoritate notarius, omnibus predictis interfui, et de mandato supradicti, ad predicta per sedem apostolicam deputati, ea omnia manu propria scripsi, publicavi, et in publica forma redegi, ac meo solito signo signavi.

XLI.

1308. 4. Decembris. Budæ.

Cardinalis Gentilis promotiones ad abbatiam et alias dignitates in ordinibus Minorum et Prædicatorum sine dispensatione factas cassat, et prælatos et barones regni Hungariæ ad tractandum de statu pacifico regni convocat.

(Bibl. Vat. Cod. 3935. fol. 12.)

Die Mercurii, IIII. mensis Decembris, reverendus in Christo pater dominus frater Gentilis cardinalis et legatus predictus, apud Budam, in hospitio suo, post missam ibidem sollempniter celebratam, in presentia venerabilium patrum domini T.[1] Strigoniensis et . . .[2] Collocensis

1 Thomæ.
2 Vincentii.

archiepiscoporum, . . .[1] Nitriensis, . . .[2] Vesprimiensis, . . .[3] Veglensis et aliorum plurium episcoporum, ac multorum et plurium abbatum, monachorum, clericorum, et aliarum personarum religiosarum et ecclesiasticarum, publice dixit, quod quicunque fuisset professus in ordinibus Minorum et Predicatorum, sine speciali domini pape dispensatione, ad abbatiam seu aliam dignitatem promoveri non poterat, et promoti ipso facto cassi erant, et ipse in sua legatione tales, si qui aliquas dignitates tenerent, pro cassis nunciabat et declarabat.

Item eodem die et in ipso actu commisit et mandavit predictis dominis archiepiscopis Strigoniensi et Collocensi, quod per se vel alios citarent et requirent, ex parte ipsius domini legati, in eorum provinciis et diocesibus omnes episcopos, electos, abbates et alios prelatos ac barones alios, ut infra quindenam festi beati Georgii proxime venturi[4] apud Budam coram dicto domino legato ad concilium comparerent, et ad tractandum et providendum super statu pacifico regni Ungarie.

XLII.

1308. 4. Decembris—1309. 10. Januarii. Budæ.

Processus inter Petrum episcopum Quinqueecclesiensem et Nicolaum cantorem super sede episcopali eiusdem ecclesiæ coram cardinale Gentile peractus.

(Arch. Vatic. 1308—9. Processus Quinqueecclesiensis.)

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate millesimo trecentesimo octavo, indictione VI. tempore domini Clementis pape quinti, pontificatus sui anno IIII-to, die quarta mensis Decembris, causam seu causas vertentem seu vertentes inter providum virum magistrum Nicolaum cantorem Quinqueecclesiensis ecclesie, ex parte una, venerabiles patres dominos T.[5] Strigoniensem archiepiscopum et P.[6] asserentem se Quinqueecclesiensis ecclesie episcopum, ex altera, super excommunicationis sententia, lata in ipsum cantorem iniuste per dominum archiepiscopum memoratum vel eius vicarium, reverendus pater et dominus dominus

1 Johannis.
2 Benedicti.
3 Thomæ.
4 1309. 8. Maii.
5 Thomam.
6 Petrum.

frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, ad instantiam et narrationem discreti viri Thome Quinqueecclesiensis ecclesie canonici, procuratoris eiusdem cantoris, ut asseritur, venerabili viro magistro Bonunsegne de Perusio decretorum doctori, canonico Ravennatensi, camerario suo, audiendam et audiendas commisit, et inter dictas partes in supradicta causa seu causis et in subscripta seu subscriptis determinanda vel determinandis, usque ad difinitivam sententiam proferendam, quam sibi reservavit in posterum, per ipsum ferendam, ipsum magistrum Bonunsegnam auditorem specialiter deputavit, mandavitque sibi, quod eisdem partibus et cuilibet earundem super hiis faceret iustitie complementum; quam seu quas idem magister Bonunsegna reverenter recipiens, de mandato dicti domini legati mihi Johanni de Mevania, notario suo, mandavit, quod redigerem hec et alia agita et agitanda, et in publicam formam, si expediens fuerit, et in scriptis; et in dicta causa seu causis, idem dominus legatus, tanquam suum notarium, me predictum Johannem in notarium specialiter deputavit.

Actum Bude, in loco fratrum Predicatorum, in aula ipsius domini, inmediate post missam. Presentibus venerabilibus viris dominis Philippo canonico Arborensi, Vanne canonico Auximano, supradicti domini auditoribus, magistris Philippo de Cingulo, Angelo de Sancta Victoria, supradicti domini legati notariis et familiaribus suis, testibus. Anno, mense, die et hora predictis.

(Citatio facta de archiepiscopo et episcopo.)

Eodem anno et mense, die IIII. mensis predicti Decembris, venerabilis vir magister Bonunsegna auditor prefatus ad instantiam magistri Philippi de Cingulo petentis, et asserentis se procuratorem supradicti magistri Nicolai cantoris, commisit et mandavit Juche de Collepergulo dicti domini legati porterio et nuncio ipsius curie generali, in ipsius domini presentia constituto, ut vadat, citet et requirat venerabiles patres dominos T.[1] archiepiscopum Strigoniensem et Petrum archidiaconum Tollensem,[2] asserentem se episcopum Quinqueecclesiensem, si sua crederit interesse, ut cras ante tertiam per se vel eorum procuratores legitime constitutos compareant in iudicio coram eo, responsuri in causa petitionis eiusdem cantoris, coram dicto domino legato proposita contra eos, nomine dicti can-

1 Thomam.
2 Tolnensem.

toris, et ad procedendum in causa ipsa, ipsi domino auditori commissa, ulterius, prout eis videbitur expedire; alias contra eos et eorum quemlibet suadente iustitia procedetur, ipsorum absentia non obstante.

(Relatio facta de eis.)

Anno, die et mense, quibus supra, Jucha nuncius supradictus, volens exequi mandatum sibi superius factum, reverenter retulit prefato domino auditori et mihi Johanni de Mevania, in dicta causa notario specialiter deputato, se eos et quemlibet eorum ad hospitia eorundem, ubi erant soliti habitare, die dicta, secundum formam commissionis sibi superius facte per auditorem superius nominatum *(sic)*.[1] Acta sunt hec in hospitio dicti domini legati.

(Terminus datus ad docendum de mandatis.)

Anno, mense et loco, quibus supra, die quinta mensis Decembris, comparentibus et in iudicio constitutis coram prenominato domino auditore, sedente pro tribunali ad iura reddendum, magistris Philippo de Cingulo et Angelo de Sancta Victoria, asserentibus se procuratores seu substitutos partium predictarum, quolibet pro parte sua, eisdem procuratoribus et cuilibet ipsorum, ipsis volentibus et petentibus, ad faciendum fidem de mandatis ipsorum, ad cras ante vesperas idem dominus auditor terminum assignavit.

(Exhibitio procurationum et substitutionis magistri Philippi.)

Eodem anno, quo supra, die V. mensis Decembris, comparentibus et in iudicio constitutis coram dicto domino auditore, pro tribunali sedente in ipsius cammera ad iura reddendum, magistris Philippo de Cingulo et Angelo de Sancta Victoria, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, de quorum procurationibus inferius apparebit, iidem procuratores ad satisfaciendum termino, eis ad hanc diem et horam assignato, quilibet pro parte sua, instrumenta procurationum et substitutionis exhiberunt. Tenor autem dictorum instrumentorum per supradictos procuratores exhibitorum talis est:

(Procuratorium Thome.)

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo octavo, pontificatus domini Clementis pape quinti anno tertio, die sextodecimo mensis Octubris, sexte indictionis. Magister Nicolaus cantor Quin-

---

1 Omissio.

queecclesiensis, confisus de fide et industria discreti viri Thome canonici Quinqueecclesiensis, ipsum Thomam presentem, et mandatum hoc sponte suscipientem, fecit, constituit et ordinavit suum verum et legitimum procuratorem, actorem et nuncium specialem, vel quocunque alio nomine melius dici et censeri potest, in causa seu causis, quam vel quas habet et habiturus est coram reverendo patre et domino domino fratre Gentili Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, seu curie iudicibus et auditoribus suis, cum magistro Petro, qui gerit se pro episcopo Quinqueecclesiensi, et venerabili in Christo patre domino . . .[1] Dei gratia Strigoniensi archiepiscopo, et generaliter cum qualibet alia persona seu collegio vel universitate, tam in agendo, quam in defendendo. Dans et concedens dictus dominus cantor eidem procuratori suo plenam et liberam potestatem libellum dandi et recipiendi, litem contestandi, iuramentum calumpnie et cuiuslibet alterius generis in animam suam prestandi, testes, instrumenta, litteras et cautelas ac iura alia producendi, producta per partem alteram reprobandi et contradicendi, in causa concludendi, sententiam audiendi, appellandi, prosequendi, suspectos dandi, iudices eligendi et recusandi, de loco conveniendi, crimina et defectus opponendi, beneficium restitutionis in integrum ac absolutionis beneficium, principaliter et incidenter, tam simpliciter quam ad cautelam, petendi et recipiendi, unum vel plures loco sui substituendi et revocandi, quotiens viderit expedire, tam ante litem contestatam quam post; et generaliter omnia alia et singula faciendi, gerendi et exercendi, que facere posset et deberet verus et legitimus procurator et posset etiam, etiam si mandatum exigerent speciale, et que ipsemet cantor facere posset, si personaliter interesset. Promittens omni tempore se ratum, gratum et firmum habiturum, quicquid per dictum procuratorem et substituendum seu substituendos ab eo relevare ab omni onere satisdandi, promisit mihi notario infrascripto, stipulanti nomine omnium, quorum interest et intererit, de iudicio sisti et de iudicato solvendo in omnibus suis clausulis, sub ypotheca bonorum suorum. Actum in villa Chaten, Vesprimiensis diocesis, presentibus viris discretis domino Nicolao postulato Jauriensi, magistro Nicolao canonico Visprimiensi, Benedicto archidiacono Jauriensi, domino Bonunsegna camerario et Rogerio de Monteflorum comite palatino, domicello supradicti domini legati, ad predicta vocatis specialiter et rogatis. Et ego Angelus Theobaldi de Sancta Victoria publicus apostolica et imperiali auctoritate

[1] Thoma.

notarius omnibus hiis interfui, et rogatus scripsi et publicavi, meoque solito signo signavi.

(Substitutio magistri Philippi.)

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo octavo, tempore domini Clementis pape quinti, eius anno IIII. die secunda mensis Decembris, indictione VI. Discretus vir Thomas canonicus Quinqueecclesiensis, procurator providi et discreti viri magistri Nicolai cantoris ecclesie nominate, ut patet publico documento scripto manu magistri Angeli de Sancta Victoria, viso et lecto per me notarium infrascriptum, habens potestatem alium seu alios loco sui substituendi, ut in sua procuratione plenius continetur, presentibus me notario et testibus infrascriptis, ad omnia, que habet in mandatis, magistrum Phylippum de Cingulo notarium loco sui procuratorem substituit, transferens in eum totaliter vices suas. Actum Bude, in domibus Predicatorum, presentibus magistro Jacobo de Zagrabria, nobilibus viris Jacobo de Vercellis, Guidutio de Florentia, reverendi patris domini fratris Gentilis apostolice sedis legati domicellis, testibus, et pluribus aliis ad predicta vocatis specialiter et rogatis. Et ego Johannes Jacobi de Meuania apostolica et alme urbis prefecti auctoritate notarius predictis omnibus interfui, rogatus scribere scripsi et publicavi, et meum signum apposui consuetum.

(Procuratorium magistri Angeli pro archiepiscopo Strigoniensi.)

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo octavo, indictione VI. tempore domini Clementis pape quinti, pontificatus sui anno IIII. die sexta mensis Decembris. Venerabilis pater dominus T.[1] archiepiscopus Strigoniensis, audiens de bonitate et discretione discreti viri magistri Angeli de Sancta Victoria notarii, ipsum magistrum Angelum presentem, et mandatum hoc sponte suscipientem, fecit, constituit et ordinavit suum verum et legitimum procuratorem, actorem, factorem et nuncium specialem in causa seu causis, quam vel quas habet vel habiturus est cum provido viro magistro Nicolao cantore Quinqueecclesiensi, coram reverendo patre et domino domino fratre Gentile miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, curie iudicibus et auditoribus suis; et generaliter cum qualibet alia persona seu collegio vel universitate, tam in agendo, quam in defendendo. Dans et concedens eidem suo procuratori plenam et liberam potestatem agendi et

1 Thomas.

defendendi, libellum seu libellos et quascunque petitiones dandi et recipiendi, litem contestandi, iuramentum calumpnie et de veritate dicendi, et cuiuslibet alterius generis in animam suam prestandi, et adverse parti, si opus fuerit, deferendi, terminum et terminos ac dilationes petendi, exceptiones cuiuscunque generis proponendi, testes et instrumenta producendi, alterius partis iurare videndi, suspectos dandi, iudices et notarium eligendi et recusandi, sententiam audiendi, apellandi et appellationes prosequendi, beneficium restitutionis in integrum et absolutionis, totiens quotiens fuerit opus, implorandi, principaliter et incidenter, tam simpliciter quam ad cautelam, crimina et defectus opponendi, alium vel alios procuratores loco sui constituendi seu substituendi ac etiam revocandi semel vel pluries, quotiens ei videbitur expedire, ac ipsam causam seu causas postmodum reassumendi, prout ei utilius visum fuerit; et generaliter ad omnia alia et singula faciendi, tam in iudicio quam extra, que ipsemet facere et exercere posset, si personaliter presens esset, ita quod liberam et generalem administrationem habeat, tam ipse quam substitutus vel substituti ab eo, in hiis omnibus et singulis, que ad personam ipsius domini qualitercunque pertinere noscuntur; necnon promittens se ratum, gratum et firmum habiturum, quicquid per dictum procuratorem vel substituendum ab eo in premissis et extra premissa factum, procuratum sive gestum fuerit. Et volens dictum procuratorem suum et substitutum ab eo vel substitutos relevare ab omni onere satisdandi, promisit mihi notario infrascripto, stipulanti et recipienti nomine et vice omnium, quorum interest vel interesse poterit, iudicio sisti, et iudicatum solvi in omnibus suis clausulis oportunis, sub ypotheca bonorum suorum et dicti archiepiscopatus. Actum Bude, in ecclesia loci Predicatorum fratruum. Presentibus venerabile patre domino Vincentio Dei gratia Clocensi[1] archiepiscopo, domino Caspari de Montefia Cumano canonico, fratre Francisco monacho, cappellanis supradicti domini legati et familiaribus suis, magistro Damiano preposito de Sau, testibus, et pluribus aliis ad predicta vocatis specialiter et rogatis. Et ego Johannes Jacobi de Meuania apostolica et imperiali auctoritate notarius omnibus supradictis presens fui, rogatus scripsi et publicavi, meoque signo consueto signavi.

(Procuratorium magistri Angeli pro domino Petro archidiacono.)

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo octavo, indictione sexta, tempore domini Clementis pape quinti, pontificatus sui

1 Colocensi.

anno IIII. die sexta mensis Decembris, venerabilis pater dominus Petrus Quinqueecclesiensis episcopus, confisus de sagacitate et experientia discreti viri magistri Angeli de Sancta Victoria, eundem magistrum Angelum presentem, et mandatum hoc sponte suscipientem, fecit, constituit et ordinavit suum verum et legitimum procuratorem et nuncium specialem in causa seu causis, quam habet et habiturus est cum magistro Nicolao Quinqueecclesiensi cantore, et generaliter alia persona, collegio seu universitate, coram reverendo patre et domino domino fratre Gentile miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, seu curie iudicibus et auditoribus suis, datis vel dandis, tam in agendo, quam in defendendo. Dans et concedens eidem suo procuratori plenam et liberam potestatem agendi et defendendi, libellum seu libellos et quascunque petitiones dandi et recipiendi, litem contestandi, iuramentum calumpnie et de veritate dicenda et cuiuslibet alterius generis in animam suam prestandi, et, si opus fuerit, adverse parti deferendi, terminum et terminos ac dilationes petendi, exceptiones cuiuscunque generis proponendi, testes et instrumenta producendi, alterius partis iurare videndi, suspectos dandi, iudices et notarium eligendi et recusandi, sententiam audiendi, appellandi, appellationes prosequendi, beneficium restitutionis in integrum et absolutionis, totiens quotiens opus fuerit, implorandi, principaliter et incidenter, tam simpliciter quam ad cautelam, crimina et defectus opponendi, alium vel alios procuratores loco sui constituendi seu substituendi, suspectos dandi et recusandi, ac etiam ipsos procuratores substitutos revocandi semel et pluries, quotiens ei videbitur expedire, ac ipsam causam seu causas postmodum reassumendi, prout ei utilius visum fuerit; et generaliter ad omnia alia et singula faciendi, tam in iudicio quam extra, que ipsemet facere et exercere posset, si personaliter interesset; ita quod liberam administrationem habeat tam ipse, quam substitutus vel substituti ab eo, in hiis omnibus et singulis, que ad personam ipsius domini qualitercunque pertinere noscuntur. Necnon promittens se ratum et firmum habiturum, quicquid per dictum procuratorem et substituendum ab eo in premissis et extra premissa factum, procuratum sive gestum fuerit. Et volens dictum procuratorem suum et substitutum vel substitutos ab eo relevare ab omni onere satisdandi, promisit mihi notario infrascripto stipulanti et recipienti, nomine omnium et vice, quorum interest, de iudicio sisti et de iudicato solvendo in omnibus suis clausulis oportunis, sub ypotheca omnium suorum bonorum et dicti episcopatus. Actum Bude, in hospitio ipsius domini episcopi, ubi tunc habitabat, presentibus providis et discretis viris Gregorio

archidiacono de Marzia, Demetrio decano Quinqueecclesiensi et Damiano preposito de Sau, testibus ad predicta vocatis specialiter et rogatis. Et ego Johannes Jacobi de Meuania apostolica et alme urbis prefecti auctoritate notarius hiis omnibus interfui, et rogatus scripsi et publicavi, meoque consueto signo signavi.

(Terminus datus ad dicendum contra mandata hinc inde exhibita.)

Exhibitis quoque procuratoriis et substitutionis instrumento in dicta causa per procuratores superius nominatos, et in iudicio coram domino auditore prefato pro satisfactione termini eis assignati, ut supradictum est, scilicet de faciendo fidem de procuratoriorum instrumentis in publicam formam confectis, eisdem procuratoribus et cuilibet eorundem ad dicendum et dandum in scriptis, quicquid dicere et dare voluerint hinc inde, tam contra personam procuratoris, quam contra formas mandatorum exhibitorum hinc inde, ad diem Lune proxime venientem idem dominus auditor terminum perhentorie assignavit, et hinc inde mandatorum copiam recipiant, si ei videbitur expedire.

Eodem anno, die Lune, VIIII. mensis Decembris, comparentibus et in iudicio constitutis magistris Philippo de Cingulo procuratore substituto magistri Nicolai cantoris predicti, ex parte una, agente, et Angelo de Sancta Victoria procuratore predictorum dominorum patruum, ex altera, defendente, coram prenominato domino auditore, sedente in eius hospitio ad iura reddendum, iidem procuratores, quilibet pro parte sua, ad interrogationem dicti domini auditoris, procuratoria seu instrumenta publica exhibita in causa predicta approbant et affirmant, et contra ea et personas ipsorum nichil opponere volentes, ideo ipsa procuratoria seu publica instrumenta producta per eosdem procuratores in memorata causa in iudicio coram dicto domino auditore, de voluntate ipsorum procuratorum et consensu, approbavit idem dominus auditor predicta. Post hec dictis procuratoribus adhuc existentibus in iudicio coram dicto domino auditore, ibidem sedente pro tribunali ad iura reddendum, idem magister Philippus procurator substitutus, procuratorio nomine quo supra, eidem domino auditori libellum inferius denotatum [presentavit.] Quo quidem libello ipsi magistro Angelo procuratorio nomine dominorum suorum tradito et per ipsum obtento ac recepto, idem dominus auditor dicto magistro Angelo procuratori ad deliberandum, respondendum et excipiendum ipsi libello exhibito sibi, trium dierum terminum perhentorie assignavit, et alias utrique ipsorum ad procedendum in causa ulterius, prout iustum fuerit. Tenor

autem dicti libelli exhibiti per dictum magistrum Philippum et per dictum magistrum manu sua suscepti in proximo denotatur:

(Libellus cantoris.)

Coram Vobis, reverendo patre et domino domino fratre Gentile, Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, et venerabili viro domino Bonunsegna camerario vestro, auditore per Vos in hac parte concesso, ego Philippus de Cingulo procurator substitutus discreti viri magistri Nicolai cantoris Quinqueecclesiensis, procuratorio nomine ipsius, propono et ago contra magistrum Petrum archidiaconum Tollensem, qui se gerit pro episcopo Quinqueecclesiensi, si sua crediderit interesse, et contra venerabilem patrem dominum T.[1] archiepiscopum Strigoniensem et legitimam personam intervenientem pro ipsis, et quolibet eorundem, quod ipse dominus archiepiscopus predictum dominum meum magistrum Nicolaum cantorem contra Deum et iustitiam et canonica instituta excommunicavit, si excommunicatio dici potest, et eum excommunicatum publice nunciavit, et de facto vitavit et vitat, ac facit ab aliis evitari, in ipsius cantoris iniuriam non modicam et iacturam. Quare peto, nomine quo supra, dicto magistro Nicolao cantori et mihi, nomine ipsius, ex vestro officio provideri, et dictam sententiam, si sententia dici potest, tanquam latam a non suo iudice, nullam pronunciari, et ipsum cantorem non esse nec fuisse ligatum, vel si aliqua forsan appareret, peto eam, procuratorio nomine quo supra, tanquam iniustam, revocari, et eum seu ipsos mihi ad expensas et interesse condempnari. Predicta peto, procuratorio nomine quo supra, fieri omni via, iure et modo, quibus melius potest. Salvo iure addendi, mutandi, minuendi, corrigendi et declarandi, peto etiam ante omnia, procuratorio nomine magistri Nicolai cantoris, absolutionis beneficium ad cautelam mihi impendi.

(Exceptiones exhibite contra libellum porrectum pro parte cantoris.)

Eodem anno, die Jovis, XII. mensis Decembris, comparentibus et in iudicio constitutis coram dicto domino camerario auditore, sedente in eius camera pro tribunali ad iura reddendum, magistris Philippo et Angelo, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, idem magister Angelus procurator, procuratorio nomine quo supra, ad satisfaciendum termino, sibi ad hanc diem assignato, contra libellum exhibitum pro

1 Thomam.

parte dicti cantoris, exceptiones exhibuit infrascriptas; dictus dominus auditor dicto magistro Philippo procuratori substituto dicti cantoris ad replicandum ad diem Sabbati ante vesperas terminum perhentorie assignavit, et medio tempore ad accipiendam copiam dictarum exceptionum supra exhibitarum, si sibi videbitur expedire. Tenor autem dictarum exceptionum talis est:

Coram Vobis, venerabili viro domino Bonunsegna de Perusio, canonico Ravennatensi, camerario reverendi patris domini Gentilis tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, et ad infrascripta per dictum dominum legatum auditore specialiter deputato, protestatur et dicit in hiis scriptis Angelus Theobaldi de Sancta Victoria procurator venerabilis in Christo patris domini Petri Dei gratia episcopi Quinqueecclesiensis contra magistrum Nicolaum, qui se dicit cantorem Quinqueecclesiensis ecclesie, et libellum pro sua [parte] porrectum, contra dictum dominum episcopum coram Vobis: Quod salva sit actio iniuriarum de dicto domino episcopo contra dictum magistrum Nicolaum ex eo, quod ipse et procurator suus in dicto libello prefatum dominum episcopum non episcopum, sed archidiaconum Tollensem nominant et appellant. Item protestatur, quod ex predicta nominatione et appellatione nullum dicto domino episcopo possit preiudicium generari, cum sit verus et legitimus episcopus.

Item excipiendo dicit et proponit contra prefatum magistrum Nicolaum et magistrum Philippum de Cingulo procuratorem substitutum a Thomassio procuratore dicti magistri Nicolai, quod cum in libello, per eum contra venerabilem in Christo patrem dominum T.[1] archiepiscopum Strigoniensem et dictum episcopum et dictum Angelum procuratorem ipsorum coram Vobis porrecto, inter alia contineatur, quod petit eum seu ipsos ad expensas et interesse condempnari, ad quem de predictis dictam dictionem eum referri intendunt, et predicta disiunctio admoveatur, ut plene possit dictus Angelus procurator certificari, ad quid habeat respondere.

Item ante omnia et primo loco dictus Angelus procurator dicit et excipiendo proponit contra prefatos Nicolaum et magistrum Philippum procuratorem substitutum, quod absolutio excommunicationis, ad cautelam per eos petita, facienda non est, cum in dicto libello contineatur, dictam sententiam esse a non suo iudice latam, et in tali casu non est huius-

1 Thomam.

modi absolutio concedenda. Item alia de causa excipiendo dicit, absolutionem prefatam concedendam non esse, quia videlicet Angelus procurator predictus offert se ad probandum, si expedit, dictam sententiam a suo iudice promulgatam, modico spatio temporis, assignato sibi ad predicta probanda. Protestans tamen, quod ex hac oblatione se abstringere non intendit ad ea, que de iure probare non cogitur, et quorum sibi probatio non incumbit.

Eodem anno quo supra, die Sabbati, XIIII. mensis predicti Decembris, comparentibus et in iudicio constitutis coram domino auditore prefato, in loco solito pro tribunali sedente ad iura reddendum, magistris Philippo et Angelo, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, idem magister Philippus contra exceptiones, per dictum magistrum Angelum exhibitas contra libellum superius annotatum, replicationes exhibuit infrascriptas. Quibus procuratoribus et cuilibet eorundem dictus auditor, ad audiendum voluntatem suam super dictis exceptionibus proferendam, ad diem Lune proxime futurum ante vesperas terminum perhentorie assignavit, et interim ad allegandum et dicendum, quicquid dicere et allegare voluerint super predictis. Tenor vero dictarum replicationum per dictum magistrum Philippum exhibitarum talis est:

(Replicationes magistri Philippi.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Bonunsegna, canonico Ravennatensi, reverendi patris domini fratris Gentilis tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, legum doctore, camerario suo, et in hac parte auditore per eum specialiter deputato, contra exceptiones frivolas, datas per magistrum Angelum de Sancta Victoria procuratorem venerabilis patris domini T.[1] Dei gratia archiepiscopi Strigoniensis, et dominum Petrum archidiaconum Tollensem, dicentem se episcopum Quinqueecclesiensem, si sua crediderit interesse, Philippus de Cingulo procurator substitutus venerabilis viri magistri Nicolai cantoris Quinqueecclesiensis replicationes exhibet infrascriptas: Et primo replicando dicit contra exceptionem primam, qua dicit super libello, dato per dictum Philippum procuratorem, non esse respondendum nec procedendum, cum sit incertus et disiunctivus &c. Quod salva reverentia excipientis, libellus ille clarus est et certus, et non disiunctivus, cum dicta dictio, eum, intelligatur clare de

[1] Thomæ.

archiepiscopo, si predictus dominus P.[1] non crederet sua interesse; quod si credat sua interesse, illa dictio, ipsos, ad dominum archiepiscopum et dominum P. referatur. Et sic dicta exceptio nulla est, sed tanquam frivola, repellenda.

Contra secundam vero et ultimam exceptionem, datam per dictum magistrum Angelum procuratorem, replicando dicit et proponit dictus Philippus, nomine quo supra, quod, ea non obstante, danda est absolutio ad cautelam, cum in secundo casu, et similiter, ubi proponitur sententia excommunicationis esse nulla, si ex adverso negetur, danda sit absolutio ad cautelam, et cum sit iuris notorium, archiepiscopum non esse iudicem dicti cantoris, et pars adversa dicat esse suum iudicem, et ab eo, tanquam a suo iudice, dictam sententiam excommunicationis latam esse; et hoc se offerat probaturum, per quod apparet dubium esse, utrum dicta sententia teneat vel non teneat, in quo casu dari debet de iure, si petatur absolutio ad cautelam. Propter quod dicit dictus Philippus, procuratorio nomine quo supra, non obstante contradictionis obstaculo, predictum absolutionis beneficium ad cautelam concedendum esse de iure, et ipsum petenti iuxta formam ecclesie impendendum; cum predicta sententia excommunicationis, si sententia dici potest, per actoris et rei confessionem appareat. Quo vero absolutionis beneficio impenso, utrum tenuerit vel non tenuerit dicta sententia, et an per competentem vel incompetentem iudicem lata fuerit, in processu iudicii cognoscetur. Si vero de predictis dubitetur, petit idem Philippus procurator ex pena perdentis alicui sapienti illud committi. Predicta dicit ad presens dictus Philippus, procuratorio nomine quo supra, salvis sibi aliis, verbo et in scriptis suo loco et tempore proponendis.

Die Lune, XVI. mensis Decembris predicti, comparentibus et in iudicio constitutis coram prenominato domino auditore, sedente in eius cammera ad iura reddendum, magistro Philippo de Cingulo procuratore substituto magistri Nicolai cantoris, ex parte una, agente, et magistro Angelo de Sancta Victoria procuratore venerabilium patruum dominorum . . . archiepiscopi Strigoniensis et . . . episcopi Quinqueecclesiensis, ex altera, defendente ex altera, idem magister Philippus procurator substitutus, procuratorio nomine quo supra, cum instantia petiit, quanta potuit, se ab excommunicationis sententia lata contra dictum dominum suum, secundum quod in dicto libello suo, porrecto per eum in iudicio coram dicto domino auditore, continetur, in personam dicti sui domini absolvi ad cau-

[1] Petrus.

telam, ac restitui ecclesiasticis sacramentis. Dictus magister Angelus procurator, procuratorio nomine quo supra, dicit et protestatur, quod idem cantor, nec ipse magister Philippus procurator substitutus pro eo et eius nomine, absolvi a predictis non debent, cum sententia excommunicationis predicta, de qua nunc agitur, lata fuerit in dictum cantorem legitime a vero suo iudice, et hec offert se probaturum per testes ydoneos infra modici temporis spatium sibi assignatum; dictus vero magister Philippus procurator substitutus, procuratorio nomine dicti domini sui et pro eo, ad mandatum dicti domini auditoris iuravit ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, stare, parere et obedire mandatis dicti domini legati sueque curie et illius, qui dictum cantorem excommunicavit, si apparuerit eum iuste fuisse excommunicatum. Post hec idem dominus auditor, presente dicto magistro Angelo et eius advocato, absolutionis sententiam pro dicto cantore protulit, ut inferius denotatur:

In nomine Domini amen. Causam seu causas, que vertitur seu vertuntur vel verti sperantur inter providum virum magistrum Nicolaum cantorem Quinqueecclesiensis ecclesie, ex parte una, et venerabiles patres dominos T.[1] archiepiscopum Strigoniensem et P.[2] asserentem se episcopum Quinqueecclesiensem, ex altera, super excommunicationis sententia lata contra dictum magistrum Nicolaum cantorem, ut dicitur, per archiepiscopum supradictum, reverendus pater et dominus dominus frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, audiendam et audiendas commisit inter partes predictas et fine debito terminandas. Comparentibus itaque in iudicio coram nobis magistris Philippo de Cingulo et Angelo de Sancta Victoria, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, et exhibito libello in dicta causa in iudicio coram nobis per partem dicti magistri Nicolai contra predictos dominos archiepiscopum et episcopum, cuius libelli tenor talis est, &c.: Coram Vobis &c. Dato per nos termino competenti, procurator predictorum dominorum T. et P.[3] ad respondendum et excipiendum contra ipsum libellum, post hec idem magister Philippus procurator dicti magistri N.[4] procuratorio nomine ipsius et pro eo, cum instantia, quanta potuit, dictum dominum suum ab excommunicationis sententia lata contra [eum] petiit absolvi sententialiter ad cautelam. Nos volentes ad huiusmodi absolutionem

1 Thomam.
2 Petrum.
3 Thomæ et Petri.
4 Nicolai.

iuxta formam sue petitionis procedere, previa ratione, et super hiis plenius informari, eisdem procuratoribus, cuilibet eorum pro parte sua, ad allegandum, dicendum et opponendum, quicquid dicere, allegare et opponere volentibus, terminum assignavimus competentem, in quo dictis procuratoribus comparentibus in iudicio coram nobis, quolibet pro parte sua, et per eos et quemlibet eorundem et per ipsorum advocatos dictum et allegatum ac oppositum extiterit, quicquid dicere, allegare et opponere ipsi voluerunt. Idem magister Philippus procurator substitutus instanter, procurario nomine quo supra, ab excommunicationis sententia lata in dictum dominum suum petiit se sententialiter pro eo absolvi ad cautelam; visis demum commissione nobis, ad instantiam dicti magistri Nicolai cantoris facta, libello seu petitione pro parte dicti magistri N. oblatis, necnon exceptionibus et replicationibus hinc inde in iudicio coram nobis exhibitis et non admissis, auditis ac intellectis allegationibus utriusque partis, quas dicte partes super hiis dicere et allegare voluerunt horetenus et in scriptis, ipsisque cum diligentia recensitis, et nobiscum super hiis omnibus et cum peritis viris deliberatione prehabita diligenti, Christi nomine invocato, dictum magistrum Philippum procuratorem substitutum, in personam dicti magistri N. domini sui et eius nomine et pro eo, recepto ab eo prius corporali iuramento de parendo mandatis dicti domini legati sueque curie ac illius, qui dictum N. excommunicavit, si apparuerit eum iuste fuisse excommunicatum, secundum formam ecclesie, et tenorem sue petitionis, pro tribunali sedentes, in hiis scriptis sententialiter absolvimus ad cautelam, ipsumque restituimus ecclesiasticis sacramentis; alia vero, que in dicta petitione sua continentur, tempore disputationis ferende sententie reservamus. In cuius rei testimonium presentem absolutionis sententiam per Johannem de Meuania eiusdem domini legati notarium scribi et publicari mandavimus, et nostri sigilli appensione muniri. Lata, lecta et pronunciata fuit dicta absolutionis sententia per eundem dominum auditorem apud Budam in camera sua, presentibus procuratoribus supradictis et venerabilibus viris dominis Philippo canonico Arborensi, Vanne canonico Auximano, eiusdem domini legati auditoribus, Petrutio Hermanni de Fulgineo et Philipputio de Cingulo, eiusdem domini familiaribus, testibus. Sub anno Domini millesimo CCC. octavo, indictione sexta, die predicta, tempore domini Clementis pape quinti, pontificatus sui anno IIII-to.

Post hec, adhuc dicto domino auditore ibidem pro tribunali sedente ad iura reddendum, ipsis procuratoribus presentibus, dictus dominus auditor dicto magistro Angelo [mandavit, quod] ad cras ante vesperas coram eo

debeat comparere, ad contestandam litem super libello supra porrecto, et alias ad proponendum omne id, per quod non debeat contestari rationabiliter super dicto libello.

Eodem anno, die Lune, XVII. mensis predicti Decembris, constitutus in presentia domini auditoris predicti, stantis in aula dicti domini legati, magister Philippus procurator substitutus predictus, accusavit contumaciam adverse partis non comparentis, et in ipsius contumaciam petiit litem super supradicto libello contestari, et reputari eam merito contumacem.

Eodem anno, die predicta, hora vesperarum, comparentibus et in iudicio constitutis magistris Philippo de Cingulo et Angelo de Sancta Victoria, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, idem magister Angelus procurator predictorum dominorum contra dictum magistrum Nicolaum cantorem et procuratorem ipsius seu substitutum coram prenominato domino auditore, sedente in eius camera pro tribunali ad iura reddendum, exceptiones exhibuit infrascriptas, quarum tenor talis est:

Protestans ante omnia, quod predicte exceptiones admittantur, et quod detur sibi terminus competens ad probandum ipsas, et petiit sibi dari baiulum seu nuncium iuratum, per quem possit citari testes, per quos intendit probare dictas exceptiones, dictus magister Philippus procurator substitutus predictus dicit et protestatur cum instantia, quanta potest, quod dicte exceptiones non admittantur, cum non sint admittende sed repellende, eo quod litis contestationem non impediunt, propter quas non debeat contestari, et petiit ipsum magistrum Angelum cogi ad iurandum de calumpnia super dicto libello et veritate dicenda. Dictus vero dominus auditor eidem magistro Angelo procuratori sic respondit, quod exceptiones predictas per eum exhibitas ante litis contestationem non admittit, et mandavit dicto magistro Angelo procuratori, quod cras ante tertiam et perhemtorie coram dicto domino auditore debeat comparere, contestaturus litem super primo libello, per dictum magistrum Philippum procuratorem substitutum in iudicio exhibito coram eo, alioquin a dicto termino in antea litem mandavit et haberi voluit pro contestata. A quo quidem termino dictus magister Angelus se sentiens gravari et fore gravatum, viva voce appellavit, et repetiit protestationem predictam. Tenor autem dictarum exceptionum talis est:

(Exceptiones excommunicationis exhibite per Angelum procuratorem dictorum dominorum.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Bonunsegna de Perusio, decretorum doctore, canonico Ravennatensi, venerabilis patris et domini domini fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presby-

teri cardinalis, apostolice sedis legati, camerario et in hac parte auditore specialiter deputato, excipiendo dicit et proponit Angelus Teobaldi de Sancta Victoria procurator venerabilium patruum dominorum T.[1] archiepiscopi Strigoniensis et P.[2] episcopi Quinqueecclesiensis contra magistrum Nicolaum, qui se dicit cantorem Quinqueecclesiensis ecclesie, et magistrum Philippum de Cingulo procuratorem substitutum a Thomassio procuratore dicti magistri Nicolai, et libellum porrectum per dictum magistrum Philippum procuratorem contra venerabilem in Christo patrem dominum . . . archiepiscopum Strigoniensem et venerabilem patrem dominum Petrum Quinqueecclesiensem episcopum et Angelum procuratorem prefatum, infrascripta, videlicet quod predicti domini archiepiscopus et episcopus et Angelus procurator ad dictum libellum respondere non sunt de iure cogendi, cum dictus magister Nicolaus sit excommunicatus maiori excommunicatione per constitutionem a bone memorie domino Nicolao olim in Ungarie regno apostolice sedis legato editam contra occupatores et detentores ecclesiarum et ecclesiasticorum bonorum, eo quod dictus magister Nicolaus contra dictam constitutionem ecclesiam Quinqueecclesiensem, castrum et alia bona plura ipsius violenter occupavit et detinet occupata. Sicque nec ipse, tanquam excommunicatus maiori excommunicatione, nec prefatus magister Philippus, tanquam substitutus a procuratore, excommunicati, habent personam in iudicio standi.

Eodem anno, quo supra, die Veneris, XX. mensis Decembris, hora causarum anta tertiam, comparentibus et in iudicio constitutis coram prenominato domino auditore, pro tribunali sedente in aula supradicti domini legati ad iura reddendum, magistris Angelo de Sancta Victoria et Philippo de Cingulo, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, dictus magister Angelus, procuratorio nomine quo supra, volens libellum reconventionis in presentia dicti iudicis exhibere parti eius adverse, dictus magister Philippus eum recipere recusavit, dicens non recipere libellum predictum nomine domini sui predicti, nisi prius constet dictum suum dominum citatum fore ab homine vel a iure. Cui magistro Philippo procuratori dictus dominus auditor, ad recipiendum dictum libellum a dicto magistro Angelo exhibendum, hodie, die dicta, in vesperis, terminum perhemtorie assignavit. Et post, ipsis procuratoribus presentibus et stantibus in iudicio coram dicto domino auditore, idem magister Philippus procu-

1 Thomæ.
2 Petri.

rator, procuratorio nomine quo supra, petiit et cum instantia protestatur, quod exceptiones per dictum Angelum supra exhibite contra libellum per dictum Philippum exhibitum pronuncientur, utrum sint admittende vel ne; et quod compellatur idem magister Angelus procurator ad litem contestandum super libello supra exhibito, cum sit lapsus terminus sibi datus ad litem huiusmodi contestandum. Dictus dominus auditor ad instantiam dicti magistri Philippi petentis, visis libello per dictum magistrum Philippum exhibito, exceptionibus contra eum propositis et replicationibus ad ipsas exhibitis coram eo, auditis etiam allegationibus hinc inde dictis verbotenus et in scriptis, et secum super predictis deliberatione prehabita diligenti, Christi nomine invocato, exceptiones predictas per dictum magistrum Angelum exhibitas contra dictum libellum exhibitum per dictum magistrum Philippum in iudicio coram eo, pro tribunali sedendo in aula supradicti domini legati, interloquendo, pronunciavit esse nullatenus admittendas: statuit terminum dicto magistro Angelo octo dierum et perhemtorie, ad probandum exceptiones predictas, et mandavit sibi ad instantiam dicti magistri Philippi petentis, quod antequam ab ipsius presentia recederet, deberet litem super dicto libello contestari, alias habebit eam super ipso libello pro contestata, a qua quidem interlocutione et mandato dictus magister Angelus sentiens se gravari et gravatum esse, viva voce appellat. Post hec, immediate ante recessum dicti domini auditoris, ad mandatum dicti domini auditoris, idem magister Philippus in contumaciam partis ipsius adverse animo contestandi litem super dicto libello, dixit narrata vera esse, que in dicto libello continentur, et petita sibi fieri debere et super hiis prestitit calumpnie corporaliter iuramentum de veritate dicenda et utenda in tota causa, cum clausulis ad iuramentum huiusmodi oportunis.

Eodem die, hora vesperarum, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore, sedente pro tribunali in camera sua, magistris Angelo et Philippo, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, dictus magister Angelus contra dictum magistrum Philippum libellum exhibuit ipsi domino auditori; quem libellum dominus auditor predictus recipere recusavit, dicens, quod ipsum libellum non intendit recipere, nisi prius litem contestaret cum dicto magistro Philippo super libello supra exhibito per ipsum magistrum Philippum, et mandavit eidem magistro Angelo sub pena excommunicationis, quod antequam de ipsius domini auditoris presentia recedat, super dicto libello per dictum magistrum Philippum primo porrectum cum eo litem debeat contestari, alioquin excommunicationem ipsam eundem incurrere voluit ipso facto. A quo quidem mandato dictus

magister Angelus sentiens se gravatum fore, viva voce appellavit, et protestatur instantissime, quod suus libellus recipiatur, et detur terminus ad respondendum eidem, ut ordo postulat rationis.

Eodem anno et mense, quibus supra, die Martis, XXIIII. eiusdem mensis, in vesperis, constitutis in iudicio coram dicto domino auditore, sedente pro tribunali in eius hospitio, magistris Philippo de Cingulo et Angelo de Sancta Victoria, predictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, presentibus advocatis seu consiliariis eorundem in causa huiusmodi, et presente dicto domino Petro episcopo dicte ecclesie Quinqueecclesiensis, protestante, quod per aliquam comparitionem, quam ipse coram ipso domino auditore in iudicio faceret vel faciet occasione dicte cause, non intendit propterea dictum suum procuratorem in aliquo revocare, set eum potius confirmare; et dum ageretur per predictos procuratores in dicta causa, utrum exceptiones exhibite contra dictum libellum in iudicio coram dicto domino auditore essent admittende vel ne, et super hiis diceretur et allegaretur pro et contra, dictus magister Philippus procurator substitutus dicens esse se quibusdam negotiis domini legati impeditus, et ipsa negotia hoc sero executioni mandare debere, propter mandatum sibi per dictum dominum factum, expresse ad ea, que aguntur et agerentur in dicta causa dicto sero, et fierent in huiusmodi causa, ad maiorem cautelam, et ex certa scientia, apud acta, loco sui dictus magister Philippus Pellolum de Spello presentem procuratorem substituit, dans et concedens ipsi Pellolo potestatem tantummodo dicto sero faciendi, que ipsemet facere posset et dicendi. Post hec, cum idem dominus auditor intenderet circa exceptiones predictas voluntatem suam dicere, prout sibi melius videretur, dictus Pellolus procurator substitutus dicti magistri Phylippi, procuratorio nomine quo supra, immediate antequam aliquam interlocutionem tulisset dictus dominus auditor, idem Pellolus protestatus fuit cum instantia, quanta potuit, quod interlocutoria ferenda dicto die seu sero per dictum dominum auditorem non preiudicet sibi in aliquo iure suo acquisito et acquirendo, ac processui facto et faciendo tali die et sero, cum ipsa dies non sit assignata pro termino ad aliquem actum partibus, nec fuerint ad predicta procuratores supradictarum partium vocati; nec est alteri parti talis interlocutoria concedenda, propter predictas causas propositas et proponendas suo loco et tempore pro parte dicti cantoris, proferenda super exceptionibus supradictis. Dictus dominus auditor, sedens pro tribunali, auditis et intellectis allegationibus utriusque partis, ac visis et lectis exceptionibus et replicationibus hinc inde in iudicio coram eo pro-

ductis, presentibus dictis procuratoribus, petente dicto magistro Angelo procuratore, habito consilio prius cum iuris peritis, et secum habita deliberatione sollempni, Christi nomine invocato, interloquendo pronunciavit exceptionem excommunicationis in scriptis propositam in iudicio coram eo per dictum magistrum Angelum contra magistrum Nicolaum et eius libellum, exhibitum per dictum magistrum Philippum in iudicio nomine dicti cantoris, esse admittendam, ipsam seu ipsas admittit, non obstantibus replicationibus pro parte dicti cantoris exhibitis; et statuit terminum octo dierum dicto magistro Angelo presenti et petenti, ad probandum dictam exceptionem et perhemtorie; et commisit et mandavit ad petitionem dicti procuratoris Juche de Pergula porterio et nuncio iurato supradicti domini legati, in eius domini auditoris presentia constituto, quod citet et requirat omnes testes, quos sibi dictus magister Angelus procurator nominabit et producere intendit in negotio supradicto contra dictum cantorem, et quod citet procuratorem ipsius cantoris, quod die qualibet compareat coram eo non feriata, visurus dictorum testium iuramenta. Dictus Pellolus procurator substitutus, procuratorio nomine quo supra, ante iuramenta dictorum testium protestatus fuit omnes suas exceptiones, tam contra dicta quam contra personas eorum, sibi competentes et competituras.

(Litis contestatio et iuramentum calumpnie.)

In nomine Domini. Anno Domini millesimo trecentesimo nono, indictione VII. pontificatus domini Clementis pape quinti anno quarto, die Jovis, secunda mensis Januarii. Comparentibus et in iudicio constitutis coram venerabili viro domino Bonunsegna de Perusio decretorum doctore, canonico Ravennatensi, reverendi patris et domini domini legati superius nominati camerario, et in hac parte per ipsum dominum legatum auditore specialiter deputato, magistris Philippo de Cingulo procuratore substituto a Thoma canonico Quinqueecclesiensi, procuratore magistri Nicolai cantoris dicte Quinqueecclesie, ex parte una, agente, et Angelo de Sancta Victoria procuratore venerabilium patruum dominorum T.[1] archiepiscopi Strigoniensis et P.[2] Quinqueecclesiensis ecclesie episcopi se dicentis, dictus magister Philippus procurator substitutus, procuratorio nomine quo supra, animo contestandi litem cum dicto magistro Angelo procuratore predictorum dominorum, dixit narrata in ipso libello supra exhibito per

1 Thomæ.
2 Petri.

dictum magistrum Philippum contra predictos dominos et eorum procuratorem, prout narrantur, sibi fieri debere; dictusque magister Angelus procurator, procuratorio nomine quo supra, animo contestandi litem cum dicto magistro Philippo, negans narrata, prout narrantur, dixit petita sibi fieri non debere. Sic de voluntate ipsorum procuratorum litis contestatio facta est super dicto libello inter eos legitime, et uterque ipsorum corporale sollempniter prestitit iuramentum calumpnie de veritate dicenda et utenda in tota causa, cum omnibus capitulis calumpnie iuramenti. Et post immediate, facta contestatione litis et prestito calumpnie iuramento, dictus magister Angelus procurator, procuratorio nomine quo supra, in causa exceptionis excommunicationis per eum proposite contra dictum cantorem in iudicio coram dicto domino auditore articulos exhibuit inferius adnotatos, et testium nomina infrascriptorum super probatione dictorum articulorum, petens ipsi domino auditori, et protestans cum instantia, quanta potest, quod mandetur ipsis testibus, quod iurent super dictis articulis dicere veritatem, et petiit eidem auditori, quod detur sibi nuncius iuratus ad citandum omnes illos testes, quos dare intendit super dictis articulis probandis, protestando, quod sibi terminus probandi dictam exceptionem excommunicationis non currat, cum per eum non stet, dum habeat dictus procurator nuncium citandi eos. Cui magistro Philippo ad faciendum et dandum omnia interrogatoria, que dare voluerit super ipsis articulis in scriptis, ad cras ante tertiam terminum perhemtorie assignavit, et medio tempore, si voluerit, copiam accipiat eorundem. Dictus magister Philippus, sentiens a predictis gravatum fore, protestatur et dicit, quod cum dicta exceptio excommunicationis exhibita fuerit, ut dicitur, coram dicto domino auditore, cuius occasione testes producuntur, non debent dicti testes admitti ad testimonium perhibendum, cum ipso ignorante nec vocato, exhibita dicta fuisset exceptio, nec habuit copiam eiusdem. Protestatur etiam ante iuramenta dictorum testium, omnes suas exceptiones periurii, falsitatis, inimicitie, parentele, familiaritatis et omnes alias exceptiones sibi competentes et competituras. Quibus testibus dictus dominus auditor ad instantiam dicti magistri Angeli procuratoris petentis, singulariter nominatis, mandavit, quod iurent ad sancta Dei evangelia, tam pro una parte, quam pro alia, super infrascriptis articulis, quorum articulorum et testium productorum iuramenti [tenor] talis est :

Coram Vobis, venerabili viro domino Bonunsegna de Perusio, decretorum doctore, canonico Ravennatensi, reverendi patris et domini domini fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus pre-

-sbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, camerario et in hac parte auditore specialiter deputato, intendit probare Angelus de Sancta Victoria procurator venerabilis in Christo patruum dominorum T.[1] archiepiscopi Strigoniensis, et P.[2] Dei gratia episcopi Quinqueecclesiensis, in causa exceptionis excommunicationis per eum proposite contra Nicolaum, qui dicit se cantorem Quinqueecclesiensem, et libellos ex parte sua propositos infrascripta:

In primis videlicet, quod bone memorie dominus Nicolaus apostolice sedis legatus in regno Ungarie, tempore dicte legationis, constitutionem publice edidit et publicari fecit, in qua maioris excommunicationis sententia in omnes et singulos occupatores seu violentos detentores ecclesiarum vel bonorum ecclesiasticorum sue legationis promulgatur.

Item quod dictus Nicolaus post duos menses a tempore dicte publicationis occupavit per violentiam ecclesiam Quinqueecclesiensem.

Item quod dicto tempore occupavit per violentiam castrum Quinqueecclesiensis ecclesie.

Item quod occupavit per violentiam alia bona dicte ecclesie, illis exceptis, que in comitatibus [Tolnensi et de Barana].

Item quod post dictam occupationem tenuit occupata per violentiam dictam ecclesiam, castrum et bona predicta.

Item quod dictus Nicolaus adhuc tenet occupata dictam ecclesiam, castrum et dicta bona.

Item quod predicta sunt et fuerunt nota et notoria in partibus Quinqueecclesiensibus.

Item quod de predictis est publica vox et fama in regno Ungarie. Protestans dictus Angelus, quod non astringit se ad probandum omnia predicta et singula, nisi ea tantum, que sufficiant ad victoriam sue cause.

Testes producti coram dicto domino auditore in iudicio in sala domini legati predicti, ubi predicta acta sunt, hii videlicet: Frater Johannes prior loci Albensis Regalis ordinis Heremitarum beati Augustini, frater Anctonius prior de Insula magna ordinis Heremitarum beati Augustini, Thomas Petri de Quinqueecclesiis. Qui de mandato dicti domini auditoris, ad instantiam et petitionem dicti magistri Angeli procuratoris, ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, [iuraverunt] dicere puram et meram veritatem super articulis supra exhibitis per dictum procura-

1 Thomæ.
2 Petri.

torem contra dictum magistrum Nicolaum, tam pro una parte, quam pro alia, remoto hodio, amore, prece, pretio vel timore, presente dicto magistro Philippo procuratore partis adverse et iterum protestante, exceptiones suas omnes, tam contra dicta, quam contra personas eorum, sibi salvas fore iuraverunt.

(Commissio citandi testes ad probandum exceptionem excommunicationis.)

Eodem anno, die Lune, VI. mensis Januarii, ad instantiam magistri Angeli de Sancta Victoria procuratoris predicti petentis, prenominatus dominus auditor commisit et mandavit Juche de Pergula supradicti domini legati porterio et nuncio iurato eius curie, in ipsius domini auditoris presentia constituto, ut vadat, citet et requirat omnes illos, quos dictus magister Angelus sibi duxerit nominandos, ut cras ante tertiam coram eo debeant comparere personaliter et perhemtorie, perhibituris testimonium veritatis super quibusdam articulis, exhibitis in causa predicta per dictum magistrum Angelum procuratorem.

(Relatio.)

Die Martis, VII. mensis predicti Januarii, ante tertiam, Jucha nuncius predictus retulit dicto domino auditori et mihi notario supradicto, ad instantiam dicti Angeli procuratoris, in presentia dicti domini auditoris constituti, citasse Gregorium archidiaconum Quinqueecclesiensis ecclesie et fratrem Anctonium prepositum de Jasso, personaliter inventos, secundum formam commissionis superius sibi facte. Post hec immediate, ad petitionem dicti magistri Angeli procuratoris, idem dominus auditor mandavit dicto Juche presenti, quod citet et requirat prenominatum magistrum Philippum procuratorem, quod in continenti compareat in iudicio coram eo, visurus predictorum testium iuramenta, alioquin ad iuramenta dictorum testium, ut iustum fuerit, procedetur, ipsius absentia non obstante. Qui Jucha, volens exequi mandatum sibi superius factum, reverenter retulit dicto domino auditori et mihi notario, se citasse predictum magistrum Philippum, personaliter inventum, secundum formam supradicte commissionis sibi facte.

Comparentibus die predicta ante tertiam, et in iudicio constitutis coram predicto domino auditore, pro tribunali sedente in aula supradicta ad iura reddendum, magistris Angelo de Sancta Victoria et Philippo de Cingulo, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, idem magister Angelus, ad probationem articulorum suorum exhibitorum per eum in iudicio, Gregorium archidiaconum Quinqueecclesiensis ecclesie et fratrem

Anctonium prepositum de Jasso personaliter produxit in testes, petens cum instantia, quod eisdem mandetur, quod iurent, et super dictis articulis perhibeant testimonium veritatis. Dictus magister Philippus dicit, semper protestatione premissa, et protestatur, quod dicti testes non sunt recipiendi, cum sit lapsus terminus ad probandum exceptionem excommunicationis predicte. Quibus testibus per dictum Angelum productis, ad instantiam dicti Angeli procuratoris, mandavit dictus dominus auditor sub virtute obedientie, quod iurent dicere veritatem super dictis articulis, per ipsum Angelum porrectis in huiusmodi causa, tam pro una parte, quam pro altera. Qui testes et quilibet ipsorum de mandato dicti domini auditoris iuraverunt, super dictis articulis dicere puram et meram veritatem, corporaliter tacto libro, remoto hodio, amore, timore, prece, pretio vel precibus, cum omnibus capitulis ad iuramentum huiusmodi prestandum. Hoc autem facto, idem magister Angelus coram dicto domino auditore, adhuc pro tribunali sedente, presente magistro Philippo procuratore substituto predicto, positiones quasdam exhibuit infrascriptas. Cui magistro Philippo procuratori dictus dominus auditor hodie ante vesperas et perhemtorie ad respondendum dictis positionibus terminum assignavit, et medio tempore sibi accipiat copiam, si voluerit, earundem. Quem terminum dictus magister Philippus non acceptat, pro eo, quod dicte positiones non sunt exhibite infra terminum, datum ad probandum dictam exceptionem excommunicationis, qui fuit terminus perhemtorius, prout manifeste apparet. Tenor autem dictarum positionum per dictum Angelum exhibitarum talis est:

(Positiones magistri Angeli procuratoris.)

Coram Vobis, domino Bonusegna de Perusio, decretorum doctore, canonico Ravennatensi, reverendi patris et domini domini legati camerarii et auditoris in hac parte specialiter deputati, ponit et, si negatur, probare intendit Angelus de Sancta Victoria procurator venerabilis in Christo patris domini P.[1] Dei gratia episcopi Quinqueecclesiensis, in causa exceptionis excommunicationis per eum proposite contra Nicolaum, qui dicit se cantorem Quinqueecclesiensem, et libellos ex parte sua propositos, infrascripta:

In primis videlicet, quod bone memorie dominus Nicolaus apostolice sedis legatus in regno Ungarie, tempore dicte legationis, constitutionem publice edidit et publicari fecit, in qua maioris excommunicationis sententia

1 Petri.

in omnes et singulos occupatores seu violentos detentores ecclesiarum vel bonorum ecclesiasticorum sue legationis promulgatur.

Item quod dictus Nicolaus post duos menses a tempore dicte publicationis occupavit per violentiam ecclesiam Quinqueecclesiensem.

Item quod dicto tempore occupavit per violentiam castrum Quinqueecclesiensis ecclesie.

Item quod occupavit per violentiam alia bona dicte ecclesie, illis exceptis, que in comitatibus Tolnensi et de Barana.

Item quod post dictam occupationem tenuit occupata per violentiam dictam ecclesiam, castrum et bona predicta.

Item quod dictus Nicolaus adhuc tenet occupatam dictam ecclesiam et dictum [castrum] et dicta bona.

Item quod prędicta fuerunt et sunt nota et notoria in partibus Quinqueecclesiensibus.

Item quod de predictis est publica vox et fama in regno Ungarie.

Protestans dictus Angelus, quod non astringit se ad probandum omnia predicta et singula, nisi ea tantum, que sufficiant ad victoriam sue cause.

Eodem die, hora et loco, existentibus procuratoribus memoratis, magistris Angelo et Philippo, quolibet pro parte sua, coram dicto domino auditore, adhuc pro tribunali sedente ad iura reddendum, eidem magistro Angelo procuratori dictus dominus auditor terminum a iure concessum prefixit, quod omnes testes, quos super exceptione excommunicationis exhibita per eum contra dictum cantorem dare vellet, produceret, salvo iure alterius partis, si quod habet. Tunc idem magister Angelus procurator, procuratorio nomine quo supra, produxit in testes recipiendos super articulis exhibitis per eum contra dictum cantorem, videlicet Gregorium archidiaconum Quinqueecclesiensis ecclesie et fratrem Anctonium prepositum de Jossa,[1] ordinis Premostratensium, quibus testibus dictus dominus auditor ad instantiam et petitionem dicti magistri Angeli procuratoris mandavit, quod super articulis predictis iurare deberent, et dicerent veritatem; dictus magister Philippus procurator substitutus predictus dixit et protestatus fuit, quod testes predicti non sunt cogendi ad iurandum, nec debent recipi pro eo, quod terminus datus ad probandum articulos super exceptione excommunicationis lapsus est, et quia dicti testes sunt familiares et domestici eiusdem domini Petri episcopi.

1 Jászó.

Protestatur etiam ante iuramenta dictorum testium, omnes suas exceptiones sibi competentes et competituras. Qui quidem testes et quilibet ipsorum de mandato eiusdem domini auditoris iuraverunt, corporaliter tacto libro, dicere puram et meram veritatem, tam pro una parte, quam pro alia, super articulis supradictis, presentibus ipsis procuratoribus. Preterea idem dominus auditor mihi Johanni notario predicto licentiam omnimodam contulit, recipiendi eosdem in ipsius domini auditoris absentia.

Eodem die, hora vesperarum, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore, sedente pro tribunali in camera sua ad iura reddendum, magistris Philippo de Cingulo ex una parte et Angelo de Sancta Victoria ex altera, idem magister Philippus, procuratorio nomine quo supra, contra positiones supra exhibitas per dictum magistrum Angelum exceptiones exhibuit infrascriptas. Dictus vero magister Angelus procurator, procuratorio nomine quo supra, instanter petiit, per dictum magistrum Philippum positionibus predictis responderi, et cogi debere ad respondendum eisdem. Dictus magister Philippus dixit et respondit, quod dictis positionibus, nec alicui earundem, respondere non tenetur nec debet, propter causas in suis predictis exceptionibus insertas et expressas, sed eas insistit, non recedendo ab eis, petens super hiis, stare consilio sapientis expensis suis. Dictus dominus auditor ad instantiam dicti magistri Angeli petentis mandavit eidem magistro Philippo, in eius presentia constituto, quod antequam ab ipsius presentia recederet, deberet singulis positionibus respondere, supra per dictum magistrum Angelum exhibitis, alias dixit idem dominus auditor, quod eas habebit pro confessatis. A quo quidem mandato dictus magister Philippus sentiens se gravatum, viva voce appellavit. Tenor autem dictarum exceptionum per dictum magistrum Philippum exhibitarum talis est:

(Exceptiones magistri Philippi contra positiones Angeli.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Bonunsegna de Perusio, auditore domini legati in hac parte specialiter deputato, dico et excipiendo propono ego Philippus de Cingulo procurator domini Nicolai cantoris Quinqueecclesiensis, contra positiones datas per magistrum Angelum de Sancta Victoria procuratorem dominorum archiepiscopi Strigoniensis et Petri Tolnensis archidiaconi, quod ad ipsas positiones respondere cogi non debeo, quia de solito ordine iudiciorum est, quod ubi fuerint probationes super aliquo, si super eodem deberent fieri, positiones primo fiant, et postea negate probentur, unde si primo probare per testes asumpsit de positionibus, nichil dicens eis, super eodem renunciasse videtur, unde postea

ponens super eodem non est audiendus, cum gravari elegerit, qui potuit relevari.

Preterea cum positiones loco probationis succedant, et tempus probationis dicatur effluxum, vel saltem de hoc in vestro auditorio dubitetur, quamdiu dubitatio pendeat huiusmodi, non est positionibus respondendum.

Set quia terminus datus ad probandum exceptionem excommunicationis dicto magistro Angelo procuratori lapsus sit, et dictam exceptionem non probarunt, petit dictus Philippus, nomine quo supra, pronunciari per Vos, dictam exceptionem non esse probatam, et dictum Angelum procuratorem cogi ad respondendum ultimo meo libello, et super alio primo ulterius, ut iuris est, procedi.

(Mandatum factum magistro Philippo, quod responderet positionibus Angeli.)

Anno quo supra, die Mercurii, VIII. mensis Januarii, VII. indictionis, existentibus coram prenominato domino auditore, sedente pro tribunali mane hora causarum in aula dicti domini legati, magistris Angelo et Philippo, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, idem dominus auditor ad instantiam dicti magistri procuratoris petentis, petiit a dicto magistro Philippo, et dixit, quod responderet singulis positionibus supra exhibitis per dictum Angelum super exceptione excommunicationis predicte, et quod ante responsionem suam faciendam prestaret corporale iuramentum. Cui domino auditori dictus magister Philippus sic respondit, quod non intendit dictis positionibus, nec earum alicui, respondere, nisi eatenus, quatenus sibi expresse mandaret respondere; et dixit, quod in fine ipsis respondere non tenetur, prout constat in exceptionibus per eum supra exhibitis contra predictas positiones. Idem dominus auditor eundem magistrum Philippum interrogavit, quod responderet dictis positionibus singulariter sibi lectis, et quid crederet, et cum nollet ipsis, nec ipsarum alicui respondere; interrogatus iterato, ut supra, singulis positionibus lectis ei, idem dominus auditor eidem magistro Philippo mandavit, quod responderet singulis positionibus sibi lectis, ut supra, quem de qualibet quesivit, et cum nollet respondere, spreto mandato dicti domini auditoris, recessit.

(Interrogatio super eodem et terminus datus utrique parti ad audiendum voluntatem iudicis.)

Anno et mense, quibus supra, die Veneris, X. mensis Januarii, comparentibus et in iudicio constitutis coram dicto domino auditore, sedente, ut supra, pro tribunali ad iura reddendum, magistris Angelo et Philippo,

supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, post multa dicta et allegata hinc inde, quia petebatur per dictum Angelum, procuratorio nomine quo supra, pronunciari, dictam exceptionem excommunicationis confessatam esse propter contumaciam dicti Philippi procuratoris alterius partis, qui interrogatus et iussus singularibus per dictum dominum auditorem super positionibus exhibitis per dictum Angelum super exceptione predicta, respondere contempsit, et super hoc dictum Philippum dicto nomine condepnari in expensis eidem Angelo; ex adverso dictus Philippus contrarium asserens, dictus dominus auditor assignavit eisdem procuratoribus terminum hoc sero in vesperis ad comparendum coram eo, audituri, quicquid pronunciare intendit, tam super dicto contemptu dicti Philippi procuratoris, quam publicatione testium receptorum super exceptione prefata et aliis, prout expedire viderit.

FRAGMENTA FASSIONUM TESTIUM.[1]

Factum questionis domini episcopi Quinqueecclesiensis ita sequitur.

Vacante dicta ecclesia per mortem Manfredi prepositi scilicet . . . dicte ecclesie Quinqueecclesiensis, capitulum ipsius ecclesie, vocatis . . . absentibus ad octavas nativitatis beate virginis . . . de electione facienda et . . . non possent concordare . . . compromittere in dominum archiepiscopum Strigoniensem, et sic assumpserunt . . . XIIII. canonicos suos, inter quos fuit Nicholaus . . . eos ad dominum archiepiscopum, dans eis potestatem compromittendi . . . eidem ecclesie provideret. Apparent littere testimoniales capituli ipsius sig[illate.] Post hec dicti XIIII. canonici euntes ad archiepiscopum meum, nomine et vice totius capituli, quod per quemcunque . . . sibi placeret, eidem ecclesie provideret, ut in mandato . . . et promiserunt atque iuraverunt habere ratum et fir[mum, quicquid] per dominum archiepiscopum circa provisionem ipsius ecclesie . . . [int]erim instanter, quod placeret sibi sine mora ipsam ecclesiam . . . alias possent multa pericula occurrere. Et de predictis co . . . aliis superioribus apparent littere testimoniales dictorum c[anonicorum], sigillate singulis sigillis eorum. Hiis peractis, dictus [archiepiscopus?] tractavit cum duobus episcopis, scilicet Vacciensi et Nitriensi, p[resentibus] omnibus dictis canonicis, de persona providenda, et de [omnium] predictorum consilio providit dicte ecclesie

1 Reperiuntur in bibl. Vatic. in duobus fragmentis valde vitiatis codicis No. 3935. inter folia 18 et 19.

de domino Petro . . . utilitatem dicte ecclesie, necnon in dicto domino Petro concu . . . in episcopo requiruntur. Dans eidem electo et confirm . . . intrandi corporalem possessionem dicti episcopatus, sua auctoritate con . . . quod dicto domino Petro, tanquam prelato dicte ecclesie, obe . . . Provisionem, et omnia et singula supradicta dicti canonici acceptaverunt benigne, de quibus omnibus apparent [testimo]niales dicti domini archiepiscopi. De quibus litteris domini . . . etiam de originalibus litteris compromissi facti per dominum . . . canonicos, necnon de originalibus litteris compromissi . . . canonicos in prefatum dominum archiepiscopum fac[ta] . . . plena fides.

Georgius canonicus et archidiaconus Quinqueecclesiensis testis iuratus &c. dixit, quod olim, tempore date dictarum litterarum, dominus A. tanquam canonicus Quinqueecclesiensis, ibidem existens, receptis dictis litteris, ipsas litteras ostendit dicto testi et aliis eius sociis et canonicis Quinqueecclesiensibus, et dicebat eis: Ecce quod factus sum . . . Quinque . . . Tunc idem testis dictas litteras legit et sigillum etiam et litteras sigilli, et quia in litteris sigilli, ubi dicit: Sigillum Haab [1] &cet. quia erat ascultum per geminum G. silicet *(sic)*: Siggillum . . . scultura, et dixit, quia postea in pluribus aliis dicti episcopi litteris vidit idem sigillum et proprie impressio ipsius sigilli, dixit tamen, quod si modo illo caret vel ipsum admiserit, ingnorat.

XLIII.

1308. 5. Decembris. Budæ.

Cardinalis Gentilis de receptione procurationis archiepiscopo et capitulo Colocensi impositæ et solutæ testatur.

(Bibl. Vat. Cod. 4013. fol. 8—9.)

Nos frater Gentilis &c. Notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nos recepimus per manus Francisci Lapi Rocchetti de societate Spinorum de Florentia, mercatoris nostri, a venerabili in Christo patre domino V.[2] Dei gratia archiepiscopo Colocensi infra terminum constitutum, dante et solvente pro parte et nomine suo et capituli ac cleri

1 Episcopus Vaciensis tunc temporis.
2 Vincentio.

exempti et non exempti civitatis et diocesis Colocensis, ratione procurationum nostrarum primi anni legationis nostre, de quantitate eis imposita, centum et quinquaginta unam marcas boni finiti et puri argenti, de quibus quidem centum quinquaginta una marchis prefatis archiepiscopo, capitulo et clero quietationem plenariam facimus per presentes. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Datum Bude, Vesprimiensis diocesis, nonis Decembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

XLIV.

1308. 10. Decembris—1310. 2. Julii. Budæ, Tyrnaviæ, Posonii.

Causa electionis Benedicti episcopi Transsilvanensis coram cardinale Gentile et eius auditoribus peracta.

(Arch. Vat. Papi Avignonesi. Vol. I. fol. 11—22.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIII. indictione VI. tempore domini Clementis pape quinti, die X. mensis Decembris. In presentia venerabilium patrum dominorum fratris Thome Veglensis et Benedicti Vexprimiensis episcoporum, ac venerabilium virorum dominorum Bonisengne de Perusio camerarii et Jacobi de Sancto Genesio canonici Auximani, capellanorum infrascripti domini legati, testium et aliorum plurium. Veniens coram reverendo patre et domino domino fratre Gentile Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinale, apostolice sedis legato, in capella sive sala ipsius, in castro Budensi, mane, statim celebrata missa, in publico, magister Petrus Parisiensis canonicus, ac . . ., tanquam syndicus et procurator capituli ecclesie sancti Michaelis archangeli de Alba Jule de Transilvana terra, et syndicario ac procuratorio nomine ipsius capituli, eidem domino legato quandam petitionem infrascripti tenoris dedit et exhibuit, petens instanter se et dictum capitulum ad petita et contenta in dicta petitione admitti. Qui dominus legatus petitionem predictam tradidit et dedit dominis Phylippo de Sardinia canonico Arborensi et Johanni de Aretio canonico Auximano, auditoribus suis, examinandam et videndam de iure, et quod invenirent, eidem domino legato referre deberent.

Tenor autem dicte petitionis talis est:

(Petitio capituli Transilvani de restitutione electionis.)

Supplicat Sanctitati Vestre capitulum ecclesie beati Michaelis archangeli de Alba Jule in terra Transilvana, quod cum anno Domini millesimo trecentesimo septimo, secunda feria proxima ante festum beati Andree apostoli, per mortem venerabilis patris domini Petri episcopi[1] pastorali solatio sit destituta, sicut ordo iuris dictat, absentes canonici ad electionem celebrandam fuerunt invitati; ipsis convenientibus, Ladyzlaus voyvoda Transilvanus seniores capituli in medio monasterii captivari fecit et incarceravit, et alii ad loca religiosorum pre timore se ipsos absconderunt; et post aliquos dies predictos captivos conditionaliter remisit, et qui fugam receperant, potentialiter reduxit. Qui quidem Ladyzlaus voyvoda canonicis de postulatione filii sui secundo die Ephyphaniarum Domini,[2] anno eiusdem MCCCVIII. capitulum celebrari imperavit; et ipse Ladyzlaus woyavoda in medio capituli sedens, quartam[3] postulationis legi faciebat, sine aliquo scrutinio facto, nec vota singulorum requisivit, sigilla canonicorum et archidiaconorum et sigillum comunitatis ipsius capituli apponi fecit. Hiis igitur de causis ego Petrus dictus Parisiensis, canonicus ecclesie supradicte, legitimus procurator per ipsum capitulum constitutus, humili devotione fores vestre pietatis impulso, quatenus gratiam electionis predicto capitulo restituatis, aut unum scrutatorem mittatis, qui Sanctitati Vestre videbitur expediens, vota singulorum sepedicti capituli scrutetur et requirat; et alium scrutatorem ipsum capitulum ex se constituat, et sic ambo, scita veritate electionis, conspectui Sanctitatis Vestre electus se presentet, cum ad presens dictum capitulum libere possit eligere. Omnis motus violentus fortior est in principio et debilior in fine.

Item sciendum, quod Ladyzlaus voyvoda in mensam episcopalem falcem suam immisit ab eo tempore, quo Petrus episcopus viam universe carnis est ingressus, et domum episcopalem seculari potestati assignavit, exinde venerabile capitulum multa incommoda asportavit.

Die Veneris, XX. supradicti mensis Decembris, presentibus domino Benedicto archidiacono in predicta ecclesia Transilvana, ac domino Bonisegna de Perusio camerario supradicti domini legati, supradictus magister Petrus Parisiensis canonicus ecclesie Transilvane, syndicario et procuratorio nomine eiusdem capituli et quo supra, comparuit coram supradictis do-

---

1 Petrus IV. episcopus Transsilvanensis ab a. 1284. mort. 27. Novembris a. 1307.
2 7. Januarii.
3 Cartam.

minis Phylippo et Vanne auditoribus, petens cum instantia, sibi, nomine quo supra, fieri; et dum coram ipsis auditoribus pro parte dicti capituli allegatum esset, et per eosdem dominos auditores responsum, iidem domini auditores eidem procuratori et syndico dixerunt, quod dictum negotium cum diligentia discuterent, et quod iuris invenirent, prefato domino legato referrent, et tunc ipse magister Petrus, si ab eodem domino legato petierit, responsum poterit optinere.

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIIII. indictione VII. pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto, die XXV. mensis Augusti, coram reverendo in Christo patre et domino domino fratre Gentile Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, statim celebrata missa in eius capella, venerunt providi viri magistri Nicolaus ac Petrus Parisiensis, canonici Transilvanenses, et quoddam decretum electionis facte de fratre Benedicto,[1] ordinis Predicatorum, priore de insula Budensi, de episcopatu Transilvanensi, sigillatum XVI. pendentibus sigillis, scilicet capituli et quorundam canonicorum et aliorum tenentium beneficia in eadem ecclesia, necnon et duas litteras fratris Pauli prioris provincialis ordinis Predicatorum in regno Ungarie, ipsius sigillo sigillatas, unam videlicet de licentia, quam predicto fratri Benedicto concedebat recipiendi episcopatum, aliam, que dirigebatur prefato domino legato pro eodem fratre Benedicto, interponendo preces suas, et quasdam alias litteras sigillatas sigillo eiusdem fratris Benedicti, in quibus constabat, quod ipse electioni predicte suum prebebat assensum, quarum litterarum et decreti tenores inferius per ordinem describuntur; representaverunt etiam eidem domino legato personam prefati fratris Benedicti electi, et petierunt cum instantia, ut ipsum electum confirmaret. Et tunc idem dominus legatus, volens in predictis ordinem iuris servare, receptis dictis decreto et litteris, ea tradidit venerabilibus viris dominis Phylippo de Sardinia canonico Arborensi et Vanni de Aretio canonico Auximano, capellanis et auditoribus suis, mandans eis, ut de meritis electionis ac electi predicti diligenter inquirerent, et super eodem negotio facerent et procederent secundum ordinem iuris.

Acta fuerunt predicta Bude, in capella eiusdem domini legati, presentibus venerabilibus in Christo patribus dominis P.[2] Quinqueecclesiensi et fratre Elia Corbaviensi episcopis,[3] dominis Jacobo de Sancto Genesio came-

1 Fr. Benedictus, ord. s. Dominici, episcopus Transsilvanensis 1309—1319.
2 Petri.
3 Non reperitur inter episcopos Corbavienses.

rario, Gasparro de Montefia et Albertino de Parma, capellanis eiusdem domini legati, ac fratre Rodulpho de Buda, ordinis Predicatorum, et aliis pluribus testibus.

Tenor autem supradicti decreti producti et exhibiti, ut superius continetur, talis est:

(Decretum electionis.)

Venerabili in Christo patri et domino, domino Gentili miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, capitulum ecclesie Transilvane summum debite ac devote obedientie bonum cum orationum suffragiis devotarum.

Notum facimus Sanctitati Vestre, quod post miserabilem fluctuationem, in qua ecclesia Transilvana, tanquam navicula Petri, a tempore mortis felicis memorie quondam Petri episcopi, prelati nostri, solatio pastorali destituta, nobiscum miserabiliter laboravit, nosque iusto metu et notorio, qui poterat cadere in constantes, impediti, de substitutione prelati hactenus invigilare nequientes, nec ad electionem valentes procedere faciendam; tandem altissimi conditoris omnium providentia operante, ipsoque impedimento cessante, anno Domini millesimo CCC. nono, die ad hec prefixo, videlicet in vigilia beati Jacobi apostoli,[1] vocatis ad electionem faciendam hiis, qui propter more periculum vocari potuerunt et valuerunt, seu debuerunt interesse, in ecclesia nostra kathedrali ad capitulum sine mora congregati, invocata Spiritus Sancti gratia, per eum, qui spirat cordibus fidelium, que summo patri sunt placita, Paraclitique sobria ebrietate inspirati et calefacti, uno corde, unaque voce, nemine discrepante, religiosum virum et Deo amabilem, sufficientisque scientie, moribus et vita approbatum, in lege Dei doctum, etate perfectum, fratrem Benedictum ordinis fratrum Predicatorum, priorem de insula Budensi, in nostrum elegimus episcopum et pastorem, ipsaque electione clero et populo sollempniter publicata, decretum exinde fieri fecimus et scribi, ipsumque sigillo communitatis et singulorum communiri, volentibus et consentientibus omnibus et subscribentibus singulis ex nobis in hunc modum:

Ego Saulus archidiaconus de Turda,[2] vicarius ecclesie Transilvane, sede vacante, volui, consensi ac subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Johannes Syculus canonicus ecclesie Transilvane volui, consensi, subscripsi, et sigillum meum apposui.

[1] 24 Julii.
[2] Torda.

Ego Thomas cantor ecclesie Transilvane volui, consensi, scripsi manu propria, et sigillum meum apposui.

Ego Vincentius custos ecclesie Transilvane volui, consensi, propria manu scripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Nicolaus canonicus ecclesie Transilvane volui, consensi, subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Elyas decanus ecclesie Transilvane volui, consensi, propria manu subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Nicolaus archidiaconus de Thylegd,[1] canonicus ecclesie Transilvane, volui, consensi, ac subscripsi propria manu, et sigillum meum apposui.

Ego Johannes archidiaconus de Klus,[2] canonicus ecclesie Transilvane, consensi, ac propria manu subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego magister Benedictus archidiaconus de Ozd, canonicus ecclesie Transilvane, volui, consensi, ac propria manu subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Gregorius archidiaconus de Zonuc,[3] canonicus ecclesie Transilvane, volui et consensi ac subscripsi propria manu, et sigillum meum apposui.

Ego Nicolaus archidiaconus de Kyzd, canonicus ecclesie Transilvane, volui, consensi, ac propria manu subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Dominicus archidiaconus de Doboca, canonicus ecclesie Transilvane, volui, consensi ac propria manu subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Nicolaus canonicus ecclesie Transilvane volui, consensi, ac propria manu subscripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Johannes plebanus de Alpoldia inferiori, canonicus ecclesie Transilvane, volui, consensi, ac propria manu scripsi, et sigillum meum apposui.

Ego Santus archidiaconus de Karazna, canonicus ecclesie Transilvane, volui, consensi ac propria manu subscripsi, ac sigillum meum apposui.

Unde electionem ipsam per inspirationem celebratam, per consensum omnium et singulorum subscriptam et sigillatam, ad Vestre Beatitudinis examen duximus transmittendam, supplicantes Sanctitati Vestre, ne ipsa ecclesia Transilvana, iam a multo tempore sponsi solatio destituta,

1 Telegd.
2 Kolos.
3 Szolnok.

cum grege sibi credito, vastibus diripientium diutius atteratur. Datum in vigilia beati Jacobi apostoli, die et anno Domini supradictis.[1]

Tenor litterarum licentie supradicte talis est:

(Licentia.)

In Christo sibi karissimo fratri Benedicto ordinis Predicatorum priori de Insula, frater Paulus, fratrum eiusdem ordinis in Ungaria prior provincialis et servus indignus, salutem in largitore salutis. Gloria in altissimis Deo, cuius providentia, que in sui dispositione non fallitur, lucernam diu sub modio latitantem in candelabro matris ecclesie collocavit, dum personam vestram ad presulatus apicem et honorem eligi procuravit. Super quo precordia nostra non immerito gratulantur et gaudent, et gratias referunt omnium conditori. Ego igitur diligenti considerationis indagine prospiciens personam vestram, multis gratiarum carissmatibus predotatam, intuens etiam et advertens, quod per industriam, Vobis ab Omnipotente donatam, ecclesia vestro committenda regimini feliciter gubernetur, Vobis auctoritate ordinis, qua fungor, episcopatum recipiendi confero licentiam, plenam in Domino fiduciam gerens, quod quanto gradum conscendetis altiorem, tanto perfectioris vite regula sive tramite subditos precedetis. Datum apud Eng, in octavis Laurentii.[2]

Tenor litterarum provincialis ad dominum legatum talis est:

(Littere rogationis ad dominum legatum super eodem.)

Venerabili in Christo patri ac domino speciali, domino Gentili divina miseratione tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, frater Paulus fratrum ordinis Predicatorum in Ungaria prior provincialis et servus indignus, summe venerationis affectum et orationes in omnium redemptore. Intellexi fratrem Benedictum, nostri ordinis priorem de Insula, per capitulum ecclesie Transilvane concorditer electum et canonice in episcopum eiusdem ecclesie Transilvane. Cum igitur vita religiosa, litterarum peritia, conversationis honestas et in agendis provida circumspectio personam dicti fratris reddant commendabilem evidenter, prout vestra providentia per experientiam advertere potuit, dum vestris aliquo tempore pareret obsequiis et mandatis, supplico Sanctitati Vestre humiliter et obnixe, quatenus eidem fratri Benedicto pro reverentia ordinis, quem semper affectu

1 1309. 24. Julii.
2 1309. 17. Augusti.

precipuo confovistis, et pro reformatione status ecclesie supradicte, cuius ipse conditiones novit plenius ab antiquo, munus confirmationis de gratie vestre plenitudine liberaliter impendatis. Ego autem, licet ex habundanti et pro cautela, licentiam sibi contuli episcopatum recipiendi, salva tamen semper et presupposita auctoritatis vestre preminentia et beneplacito voluntatis. Datum apud Eng, in octavis Laurentii.[1]

Tenor consensus electi talis est:

(Consensus electi.)

Ego frater Benedictus, prior ordinis fratrum Predicatorum de Insula Budensi, presentium per tenorem significo, quibus expedit, universis, quod in octavis beati Laurentii martyris presentata electione de me facta ad ecclesiam beati Michaelis Transilvanam, et decreto electionis exhibito per Nicolaum et Petrum, canonicos eiusdem ecclesie, in ecclesia beati Nicolai ordinis fratrum Predicatorum, presentibus domino Paulo preposito ecclesie beati Petri de Veteri Buda et custode ecclesie eiusdem, ac aliis sociis suis canonicis de eadem, fratre Andrea lectore et socio suo ordinis fratrum Minorum, magistro hospitalis de Aquis Calidis, priore ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini, Petro cantore Vesprimiensi, et aliis probis viris, deliberatione et licentia a priore provinciali superiore ordinis per Ungariam habita, vocationi divine parere cupiens, volens plus prodesse quam preesse, sub testimonio venerabilis patris domini P.[2] episcopi Quinqueecclesiensis, vardiani ordinis fratrum Minorum de Buda, Lat[islai?] prepositi Quinqueecclesiensis, Damiani prepositi de Sou, de Egrus, et de Plys abbatum et aliorum virorum religiosorum, assensum prebui electioni de me facte. Datum Bude, in festo sancti Augustini, anno Domini millesimo CCC. nono.[3]

Die Sabbati, penultimo predicti mensis Augusti, comparentibus in iudicio coram supradictis dominis Phylippo et Vanne auditoribus, magistris Nicolao et Petro Parisiensi, canonicis Transilvanis supradictis, ac venerabili et religioso viro domino fratre Benedicto, priore de Insula, electo supradicto, iidem vero canonici instanter petierunt predictum electum confirmari; et dum iidem domini auditores ab eisdem canonicis de eorum syndicatu et mandato legitimo peterent, si quid a dicto capitulo haberent, dixerunt se aliquid non habere mandatum, nisi quod ipsi, tanquam canonici et de

1 1309. 17. Augusti.
2 Petri.
3 1309. 28. Augusti.

capitulo ac de electoribus nomine suo et aliorum predicta petebant, tamen si iidem domini auditores eis competens terminum concederent, offerebant et obtulerunt se velle de legitimo mandato dicti capituli docere. Et post hec idem electus surgens petiit instanter, in quantum de iure posset et sibi licitum esset, electionem de se factam, tanquam iustam et canonice celebratam, admitti, ac ipsum confirmari.

Interrogatus per dictos dominos auditores idem dominus electus, per quantum tempus dicta ecclesia Transilvana caruerat pastore, et episcopus ipsius decesserat; respondit idem dominus electus et dixit, quod episcopus dicte ecclesie decesserat in anno Domini millesimo CCCVII. in vigilia vigilie beati Andree. Ad que iidem magistri Petrus et Nicolaus canonici respondentes, dicta dicti domini electi confirmarunt et ea ratificarunt, et affirmaverunt esse vera, dicentes, quod prius electio celebrari non potuit per canonicos dicte ecclesie, metu legitimo impediti. Interrogatus etiam idem dominus electus per dictos dominos auditores, quomodo et quare dicta electio celebrata non fuit infra tres menses, secundum iura, cum aliter si fiat, de iure electio non valeat; respondit idem dominus electus et dixit, quia maiores prepositi et archidiaconi, ac multi ex canonicis dicte ecclesie carcerati fuerunt et detenti personaliter per potentiam laicalem, et sic propter metum non potuerunt citius ad electionem procedere, quem metum continue dixit eos habuisse usque ad tempus electionis predicte de se facte. Quibus sic peractis, iidem domini auditores eidem domino electo mandaverunt ac terminum statuerunt eidem, quod die Lune proxime tunc futura compareat coram eis, et petitionem ipsius in scriptis exhibere procuret; cum dominus Johannes prepositus Albensis, canonicus Transilvanus, asserat, se velle contra ipsum dominum electum et electionem ipsius opponere; quem dominum Johannem iidem domini auditores per Zuccham cursorem domini legati ad dictam diem Lune statim citari fecerunt. Referente eodem die dictis auditoribus et mihi notario dicto cursore, se citationem predictam fecisse.

(Petitio electi.)

Die Lune, primo mensis Septembris, comparentibus coram supradictis dominis auditoribus domino fratre Benedicto electo predicto, ac domino Johanne preposito Albensi predicto, idem dominus electus petitionem suam in scriptis exhibuit, in hec verba:

Cum ecclesia beati Michaelis Transilvana diutius fluctuaverit pastoris presidio desolata, nec capitulum propter metum continuum electionem usque modo potuerit celebrare, et nunc tranquillitate reddita, me in pa-

storem elegerint ecclesie viduate, peto et instanter peto electionem ad predictam ecclesiam de persona mea factam confirmari.

Qua quidem petitione exhibita et lecta, prefatus dominus Johannes prepositus, interrogatus per dictos dominos auditores, si aliquid contra predicta dicere aut opponere volebat, dixit, quod ipse suo loco et tempore, et cum fierent illa, que de iure fieri debent circa electionem predictam, diceret et opponeret, que sibi viderentur, protestans, quod sibi salvum esset ius tunc dicendi et opponendi, que sibi de iure viderentur. Post que predicti domini auditores, volentes in predictis iuris ordinem observare, et quia idem dominus et electus instructores non habebat, statuerunt terminum peremptorie XL. dierum ex tunc proxime futurorum eidem domino electo, ad faciendum venire et adducendum duos bonos ac ydoneos de predicto capitulo instructores, qui negotium predicte electionis bene sciant, et de illis, qui predicte electioni interfuerint, sine prefato magistro Nicolao canonico, qui tunc in curia predicti domini legati morabatur. Mandaverunt etiam prefati domini auditores, super dicta electione in predicta ecclesia Transilvana edictum fieri ac poni, iuxta iuris ordinem, quod infra . . . [1] post dictum edictum compareant coram domino legato vel ipsis dominis auditoribus, quicunque se dicte electioni opponere voluerint, ad opponendum et dicendum contra electionem et personam dicti domini electi, quicquid voluerint.

Die Martis, secundo supradicti mensis Septembris, vocatis et constitutis in iudicio coram supradictis dominis auditoribus supradictis domino electo ac magistris Petro et Nicolao, canonicis Transilvanis, prefati domini auditores, quia iidem electus ac canonici dixerunt alias in iudicio, capitulum et canonicos supradictos fuisse hactenus tali terrore ac tanto et sic continuo impedimento detentos, quod prius ad electionem celebrandam iuxta formam iuris procedere non potuerint, et quia capitulum predictum procurationem domini legati infra prefixum sibi terminum solvere non curarunt, propter quod videtur et constat, secundum formam litterarum dicti domini legati, singulares personas dicti capituli excommunicationis, ac ipsum capitulum et ecclesiam Transilvanam interdicti sententias incurrisse, nisi aliud contrarium et defensionis ostendatur, statuerunt eisdem domino electo ac ipsis magistris Nicolao et Petro, tanquam nunciis ac canonicis dicti capituli, terminum peremptorie XL. dierum proxime nunc futurorum ad docendum et probandum impedimentum legitimum, propter quod citius

1 Omissio.

eligere non potuerint, necnon super predictis excommunicationis et interdicti sententiis omnem ipsorum defensionem faciendam, et alias super dicto negotio electionis ad probandum de ipsorum iure, quicquid probare voluerint.

Post predicta vero supradictus dominus legatus per suas litteras commisit et mandavit priori Predicatorum ac priori Heremitarum fratrum de Transilvania, et ipsorum cuilibet in solidum, ut edictum ponerent in eadem ecclesia, ac capitulum et canonicos citarent ad comparendum et procedendum super dicto electionis negotio, prout in eiusdem domini legati litteris, que inferius denotantur, plenius continetur. Tenor autem supradictarum domini legati litterarum, edicti ac citationis, de quibus supra proxime fit mentio, talis est:

(Littere edicti ac citationis.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis religiosis viris . . . Predicatorum ac Heremitarum sancti Augustini ordinum, locorum de Alba Jule prioribus, salutem in Domino. Olim ecclesia Transilvana per mortem bone memorie P.[1] episcopi sui solatio destituta pastoris, quia canonici et capitulum eiusdem ecclesie asserunt se metu legitimo et tali terrore impeditos fuisse, propter quod dicta ecclesia diu viduata remansit, nec ipsi potuerunt ad electionem celebrandam procedere, nuper autem iidem canonici et capitulum, quia dicunt dictum impedimentum cessasse, ad electionem pastoris eiusdem ecclesie procedentes, dilectum in Christo filium religiosum virum fratrem Benedictum, ordinis Predicatorum, priorem de insula Budensi, in eiusdem ecclesie Transilvane pastorem et episcopum elegerunt, ac electionem ipsam de eodem fratre Benedicto factam coram clero et populo, ut dicitur, sollempniter publicarunt, ac demum prefato fratri Benedicto electione huiusmodi presentata, ipse, petita prius ac obtempta a suo superiori licentia, nolens divine voluntati resistere, eidem electioni consensit, prout predicta per decretum eiusdem ac litteras licentie et consensus predictorum vidimus contineri. Ipso autem electo pro confirmationis ac consecrationis beneficio ad nostram presentiam accedente, nos tam ipsius electi, quam dicte electionis ac negotii huiusmodi merita in nostra curia iuxta iuris ordinem facimus indagari, ac volentes, in eodem negotio ulterius iuxta canonica instituta procedere, deliberavimus, in eadem

1 Petri.

ecclesia Transilvana, in qua fuit dicta electio celebrata, edictum ponere generale. Quocirca Discretioni Vestre presentium tenore committimus, et in virtute sancte obedientie precipiendo mandamus, quatenus infra duos dies post harum receptionem, vos ambo aut alter vestrum, per vos vel alium seu alios, clero et populo civitatis ac loci eiusdem ecclesie Transilvane, ad hec specialiter convocatis, publice ac intelligibiliter in conspectu ipsorum ex parte nostra generale proponatis edictum, ut quicunque voluerit seu sua crediderit interesse, qui electioni et electo predictis se quoquo modo opponere voluerit, infra triginta dierum spatium, post huiusmodi edicti publicationem immediate sequentium, quem terminum sibi pro primo, secundo et tertio peremptorie assignamus, per se vel procuratorem ydoneum in nostra curia debeat comparere, dicturus et super predictis oppositurus, quicquid voluerit, coram nobis contra predicta, quoniam parati sumus eidem super ipso negotio facere iustitie complementum. Alioquin in eodem negotio, et ad confirmandam vel infringendam electionem predictam et alias, prout nobis videbitur et iustum fuerit, procedemus. Preterea quia capitulum et canonici eiusdem ecclesie Transilvane infra tempus a iure statutum, et postquam terrores ac metus, quibus dicunt se impeditos fuisse, cessarunt, prout constat per petitionem ipsorum hactenus exhibitam coram, per quam fatebantur tunc dicti terrores et impedimenta cessasse, et ideo petierunt, se per nos ad electionem celebrandam restitui, ad electionem ipsam tunc minime processerunt, necnon ipsis excommunicatis et denunciatis publice pro eo, quod procurationem nostram infra tempora eis statuta seu postea solvere nobis minime procurarunt, secundum assertionem venerabilis in Christo patris domini . . .[1] Dei gratia archiepiscopi Collocensis, cui super taxatione, impositione ac exactione procurationis nostre, in singulis capitulis et ecclesiis Collocensis provincie facienda, certam dedimus potestatem, quodque iidem capitulum et canonici nonnullos de eodem capitulo notorie excommunicatos, et maxime T. [2] cantorem eiusdem ecclesie excommunicatum diversis sententiis, prout idem capitulum id nobis per suas litteras intimavit, quem etiam cantorem propter hoc ad ipsius capituli instantiam mandavimus ad nostram presentiam evocari, ad electionem processerunt predictam.

Item quia cum decreto electionis predicte instructores legitimos secundum iura ad nostram presentiam non miserunt, ne iidem capitulum et canonici circa

1 Vincentii.
2 Thomam.

defensiones, si qua eis competunt in predictis vel aliquo predictorum, possint aliquod incurrere detrimentum, volumus, quod statim post dictum predictum per nos positum, predictos, capitulum et canonicos ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra viginti dierum spatium post citationem vestram huiusmodi coram nobis legitime comparere procurent, ad defendendum se super predictis, iura sua prosequendum, et alias in ipso negotio, quousque debitum finem acceperit, procedendum. Alioquin in eodem negotio, prout iustum fuerit, procedemus, eorum absentia non obstante. Diem vero edicti, citationis huiusmodi ac formam, et quicquid inde feceritis, nobis per instrumentum publicum vel patentes litteras vestras harum seriem continentes fideliter intimare curetis.

Datum Bude, die secundo mensis Septembris, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quarto.

Die Lune, XV. supradicti mensis Septembris, supradicti domini auditores, scilicet Phylippus et Vannes, commiserunt Jucche cursori et nuncio supradicti domini legati, quod iret, et citaret dominum fratrem Benedictum priorem de Insula, electum Transilvanum, secundum formam et tenorem infrascripte cedule et citationis, que talis est:

(Citatio electi.)

Mandant citari et citant domini Phylippus de Sardinia et Johannes de Aretio, capellani et auditores reverendi in Christo patris et domini domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, in causa electionis ecclesie Transilvane, que coram eis de speciali commissione ipsius domini legati pendet et vertitur, fratrem Benedictum electum ecclesie prelibate, quod cum magister Nicolaus archidiaconus et canonicus in predicta ecclesia coram eis in scriptis recitando legerit inter alia verba infrascripta: Nos frater Benedictus electus ecclesie Transilvane appellamus ad [sedem] Romanam a processibus vestris, quos in dicte electionis causa facitis &c. Nec ipse frater Benedictus esset presens in recitatione seu lectione predicta, nec assereret dictus Nicolaus, se predicta dicti electi nomine legere, fueritque per dictos auditores requisitus, ut traderet eis cedulam, de cuius scriptis recitabat predicta, vel ipsius copiam, et ipse tam ipsam cedulam quam eius copiam eisdem tunc tradere denegaverit, dicens se alias, se eandem cedulam vel ipsius copiam exhibiturum eisdem, et nondum exhibuerit, compareat peremptorie idem electus cras, die XVI. Septembris, in tertiis coram eis ad recognoscendum, si suo mandato dicta appellatio fuerit interposita, et si

eius mandato fuerit interposita ad dandum eis copiam ipsius, cum intendant super ea deliberare et, deliberatione habita, respondere, et apostolos tradere, secundum formam iuris. Alioquin dicti auditores procedent in dicte electionis negotio, prout dictaverit ordo iuris, eius absentia non obstante.

Qua quidem die, XV. Septembris, dictus cursor iens et rediens, retulit prefatis dominis auditoribus et mihi Phylippo de Cingulo, notario supradicti domini legati, se eadem die in loco fratrum Predicatorum de Buda personaliter citasse predictum fratrem Benedictum electum, secundum formam supradicte citationis et cedule, et copiam ipsius citationis sibi dimisisse et assignasse.

(Reputatio contumacie.)

Die Martis, XVI. predicti mensis Septembris, prefati domini auditores, pro tribunali sedentes, prefatum fratrem Benedictum electum usque ad horam tertiam et postea expectantes, quia ipse nec alius pro eodem comparere curavit, ideo ipsum, elapsa hora debita, contumacem reputarunt; et commiserunt ac mandaverunt supradicto Jucche cursori domini legati, ut iret ac citaret magistrum Nicolaum archidiaconum et canonicum Transilvanum, secundum formam et tenorem infrascripte cedule et citationis, cuius tenor talis est:

(Alia citatio de magistro Nicolao canonico Transilvano.)

Mandant citari et citant domini Phylippus de Sardinia et Vannes de Aretio, capellani et auditores reverendi in Christo patris et domini domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, in causa electionis ecclesie Transilvane, que coram eis de speciali commissione ipsius domini legati pendet et vertitur, Nicolaum archidiaconum et canonicum in ecclesia Transilvana, quod cum ipse nuper coram eis quandam cedulam legerit, in qua, secundum quod recitabat ex ipsa, continebatur, quod frater Benedictus electus &c. appellabat a processibus factis per eos in dicta causa, nec electus et electores predicti predicte recitationi adessent, ne ipse Nicolaus assereret, se predictam appellationem facere nomine vel mandato predictorum electi et electorum, fueritque per dictos auditores tunc requisitus, ut traderet eis cedulam ipsam vel eius copiam, et ipse tam ipsam cedulam quam eius copiam eisdem tunc tradere denegaverit, dicente se alias, se eandem cedulam vel ipsius copiam exhibiturum eisdem, et nondum exhibuerit, compareat peremptorie idem Nicolaus cras, die XVII. mensis Septembris, in vesperis coram eis, ad docendum de mandato, si quid ad predicta facienda habebat,

et ad dandum eis copiam ipsius appellationis, cum intendant super ea deliberare, ac eidem, deliberatione habita, respondere, et apostolos tradere, secundum formam iuris. Alioquin dicti auditores procedent in dicte electionis negotio, prout dictaverit ordo iuris, eius absentia non obstante.

Qua quidem die Martis, XVI. Septembris, dictus cursor accedens personaliter, una mecum Phylippo de Cingulo notario supradicto, ad locum fratrum Predicatorum de Peste, ubi idem Nicolaus cum sua familia et equis hospitabatur tunc, petentes ab eius familiaribus, ubi idem Nicolaus esset; quia dicebant ipsum ad castrum Budense accessisse, et reversurum fore eodem die, dictus cursor, in presentia plurium fratrum de dicto loco et dictorum familiarium Nicolai, ante cameram suam subtus claustrum primum dicti loci, ante et prope portam inferioris claustri ex parte interiori, lecta et exposita in presentia predictorum dicta citatione et cedula, publice citavit dictum Nicolaum, secundum formam supradicte citationis, cuius copiam eisdem familiaribus dimisit, qui dixerunt, se illam debere eidem Nicolao presentare ac notificare predicta. Die Mercurii, XVII. predicti mensis Septembris, in vesperis, predicti domini auditores expectantes supradictum Nicolaum usque ad horam debitam, quia ipse, nec alius pro eo, comparuit, ideo prefati domini auditores, pro tribunali sedentes, exigente iustitia, ipsum Nicolaum contumacem reputarunt.

Eodem [die] Mercurii, XVII. mensis Septembris, supradicti domini auditores, accedentes ex parte domini legati ad locum fratrum Predicatorum de Peste, invento ibidem supradicto fratre Benedicto electo, mandaverunt eidem ex parte ipsius domini legati sub pena excommunicationis, quam, si secus faceret, ipso facto incurreret, quod ad civitatem vel diocesim Transilvanam non accederet, sine ipsius domini legati speciali licentia et mandato. Qui electus eisdem dominis auditoribus respondit, quod licet ipse paratus esset illuc accedere, tamen mandatis prefati domini legati in hac parte obedire paratus erat in omnibus et per omnia. Actum in capitulo dicti loci, presentibus Beraldutio de Firmo et Jacobo de Vercellis, domicellis eiusdem domini legati, et aliis pluribus fratribus, testibus.

(Comparitio magistri Benedicti pro capitulo.)

Eodem anno, die VII. mensis Octobris, in Tirna, ubi tunc predictus dominus legatus cum sua curia morabatur, veniens in iudicio coram supradicto domino Phylippo auditore apud locum fratrum Minorum de Tirna magister Benedictus, dicens se procuratorem capituli Transilvani, nomine dicti capituli, ac presente fratre Benedicto electo Transilvano, pre-

sentavit se, offerens se, in quantum tenebatur et debebat de iure, causam supradictam electionis prosequi et iuvare, et ea facere ac probare, que de iure facienda et probanda essent, reservato sibi iure probandi in relatione edicti, et salvis sibi omnibus suis iuribus.

(Productio iurium procurationis domini electi.)

Eodem anno, die Sabbati, XI. supradicti mensis Octobris, apud supradictum locum fratrum Minorum de Tirna, hora causarum in vesperis, comparuit magister Benedictus procurator, et procuratorio nomine capituli Transilvani coram supradictis dominis Phylippo et Vanne auditoribus, et presentavit se ad satisfaciendum termino superiori domino electo et aliis capituli predicti canonicis, scilicet XL. dierum, presente etiam dicto domino electo, et hec ratificante ac approbante, et ad faciendum fidem primitus de suo mandato, quasdam litteras dicti capituli, sigillo sigillatas a tergo de cera comuni, produxit, necnon ad probandum, capitulum non esse excommunicatum sive interdictum, defectu solutionis procurationis domini legati, produxit quandam parvam litteram patentem, tribus sigillis sigillatam a tergo, scilicet sigillo magistri Salui archidiaconi de Torda, vicarii ecclesie Transilvane, sede vacante, et ipsius magistri Benedicti archidiaconi de Ozd et Thome cantoris Transilvaniensis, collectorum procurationis dicti domini legati. Item ad probandum continuum impedimentum, propter quod dicunt se impeditos fuisse in electione, produxit duas patentes litteras, quarum prima sigillata erat sex sigillis pendentibus, et alia sigillata erat sigillo prioris fratrum Heremitarum sancti Augustini de castro sancti Stephani de Alba Jule, pendenti, in cera communi. Quarum litterarum omnium tenor infra proxime et seriatim denotatur. Producens ea de consensu, iussu et voluntate predicti domini electi, ad probationem iurium ipsorum et defensionem eorum et dicti capituli, salvis sibi aliis iuribus et probationibus, verbo et in scriptis suo loco et tempore dicendis et producendis.

(Procuratio domini Benedicti.)

Nos capitulum ecclesie Transilvane presentium per tenorem significamus, quibus expedit, universis, quod nos discretos viros magistrum Benedictum archidiaconum de Ozd, magistrum Johannem archidiaconum de Clus et dominum Nicolaum archidiaconum de Tylegd, canonicos nostros, in curia venerabilis patris fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ad petendum confirmationem et consecrationem religiosi viri fratris Benedicti de

ordine Predicatorum, prioris de insula Budensi, per nos in episcopum Transilvanum electi, in omnibus causis seu negotiis, que coram ipso domino legato, vel coram quocunque iudice ab eo delegato, contra nos vel contra ipsum electum nostrum a quocunque moverentur, vel per quempiam ipsa electio impugnaretur, vel contra quemlibet eorum insolidum, et quod occupatio alicuius alios non possit impedire, ad defendendum, petendum, interrogandum, respondendum, contradicendum, replicandum, ponendum, excipiendum, et contra quemlibet appellandum, subeundum iuramentum calumpnie, de veritate dicenda, iurandumque in animas nostras, et ad prestandum cuiuslibet generis sacramentum et iuramentum, testes instrumentaque producendum, et omnia alia faciendum, que factum ipsius electionis electi et nostrum tangunt vel tangere viderentur, et ad omnia alia faciendum, que veri, legitimi, sufficientes, generalesque procuratores et syndici faciunt vel facere consueverunt, dantes eisdem generalem et specialem liberamque administrationem seu procurationem, nomine nostro faciendi et exercendi universa et singula supradicta, et omnia ea, que ipsi negotio electionis viderint vel videntur expedire, omnia sub ypotheca rerum nostrarum assumpmentes, et alium procuratorem vel procuratores substituendi vel constituendi, quotiescunque expedit vel expedierit, in omnibus premissis et singulis premissorum, ut procurator ab eis constitutus vel substitutus omnia ea faciendi et exercendi habeat potestatem, que superius sunt expressa, ratum et firmum habituri, quicquid per eos actum vel gestum fuerit seu ordinatum. Datum sexta feria proxima post festum exaltationis sancte crucis,[1] anno Domini MCCC. nono.

(Littera super solutione procurationis domini legati.)

Nos magistri Salvus archidiaconus de Torda, vicarius ecclesie Transilvane, sede vacante, Benedictus archidiaconus de Ozd et Thomas cantor ecclesie Transilvane, damus pro memoria, quod capitulum ecclesie Transilvane, prout per nos, consideratis facultatibus suis, in duodecim marcis fini argenti ponderis Budensis taxatum fuit, feria quinta proxima ante octavas sancti Martini,[2] ipsas duodecim marcas nobis persolvit ex integro, super quibus ipsum capitulum reddimus expeditum. Datum Albe, in termino et die prenotato, anno Domini millesimo CCC. octavo.

1 19. Septembris.
2 14. Novembris.

(Prima littera ad probationem impedimenti.)

Venerabili in Christo patri et domino domino Gentili miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, Bertoldus decanus de Kyzd, Ulricus decanus de districtu de Sancto Ladislao, Gerardus decanus de maiori Kukullu, Symon decanus de Selk, Henricus decanus de Spreng, Bertoldus decanus de Sebus et Corardus decanus de Warasio, diocesis Transilvane, obedientiam filialem cum humilitate debita ac devota. Innotescat Sanctitati Vestre, quod quilibet nostrum, et singuli ex nobis iurati, significamus Beatitudini Vestre, quod capitulum ecclesie maioris seu cathedralis Transilvane ab eo tempore, quo bone memorie Petrus quondam episcopus Transilvanus, vocante Domino, de hac luce migravit, semper usque ad octavas beati Johannis Baptiste proxime preteriti[1] per laicalem potentiam et metum continuum et gravissimum impeditum fuit, ita quod electionem futuri episcopi nunquam potuit celebrare. Cessavit autem plene ipse metus sabbato proximo ante festum Jacobi apostoli,[2] quando videlicet nobilis et potens baro Ladislaus wayvoda et comes de Zounuk per Elyam decanum ipsius maioris et cathedralis ecclesie Transilvane ipsi capitulo nunciavit, ut ipsum capitulum, occasione postulationis filii sui, nec aliqua alia amplius impediret, quin libere et secure procederent ad electionem futuri episcopi Transilvani. Quare supplicamus Sanctitati Vestre, ut electum ipsius ecclesie Transilvane dignemini confirmare et consecrare, quatenus nos, tanquam oves disperse et errantes, per ipsum ad ovile Domini valeamus congregari. Datum Albe, feria tertia proxima post festum exaltationis sancte crucis,[3] anno Domini millesimo CCC. nono.

(Secunda littera ad probandum impedimentum.)

Venerabili in Christo patri et domino domino Gentili miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, frater Stephanus prior ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini de claustro sancti Stephani de Alba Jule, totusque conventus loci eiusdem, obedientiam filialem cum humilitate debita ac devota. Innotescat Sanctitati Vestre, quod quilibet nostrum, et singuli ex nobis iurati, significamus Beatitudini Vestre, quod capitulum ecclesie maioris seu cathedralis Transilvanie ab eo tempore, quo bone memorie Petrus quondam

1 1. Julii.
2 19. Julii.
3 16. Septembris.

episcopus Transilvanus, vocante Domino, de hac luce migravit, semper usque ad octavas sancti Johannis Baptiste proximo preteritas per laicalem potentiam et metum continuum et gravissimum impeditum fuit, ita quod electionem futuri episcopi nunquam potuit celebrare. Cessavit autem plene ipse metus sabbato proximo ante festum Jacobi apostoli, quando videlicet nobilis et potens baro Ladislaus voyvada Transilvanus et comes de Zounuk per Elyam decanum ipsius maioris et cathedralis ecclesie Transilvane ipsi capitulo nunciavit, ut ipsum capitulum, nec occasione postulationis filii sui, nec aliqua alia amplius impediret, quin libere et secure procederent ad electionem futuri episcopi Transilvani. Quare supplicamus Sanctitati Vestre, ut electum ipsius ecclesie Transilvane dignemini confirmare et consecrare. Datum tertia feria proxima post festum exaltationis sancte crucis,[1] anno Domini millesimo CCC. nono.

(Renunciatio prepositi Albensis.)

Die penultimo mensis Octobris, veniens coram supradictis dominis Phylippo et Vanne auditoribus, apud Posonium, magister Paulus lector Budensis et canonicus Albensis Regalis, dicens se nuncium et procuratorem venerabilis viri domini Johannis prepositi Albensis et canonici Transilvanensis, in iudicio, presente magistro Benedicto syndico et procuratore predicto, nomine et vice predicti domini Johannis prepositi dixit, quod electioni ac electo supradicto Transilvano contradicere seu opponere non intendebat, sed in ipsos consentiebat, ac renunciabat expresse omnibus oppositionibus et contradictionibus, que possent contra ipsum et dictam electionem facere seu dicere vel etiam allegare, offerens se, si fuerit necesse, de consensu et renunciationibus dicti domini Johannis prepositi per ipsius litteras docere, si petitum fuerit.

Die Martis, IIII. mensis Novembris, coram reverendo patre domino fratre Gentile Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato supradicto, magister Benedictus canonicus Transilvanus, syndicus et procurator supradictus, procuratorio nomine supradicti capituli Transilvani, et presente ac consentiente supradicto fratre Benedicto electo Transilvano, presentavit se, et quasdam litteras sigillatas a tergo duobus sigillis, patentes, confectas super publicatione edicti predicte cause electionis, produxit et exhibuit, dicens eas heri sero sibi delatas et assignatas fuisse, et non antea. Insuper quasdam alias litteras sigillatas sigillo capituli

[1] 16. Septembris.

Transilvani, per quas constabat, dictum capitulum eundem magistrum Benedictum syndicum et procuratorem ipsorum constituisse et ordinasse de novo, produxit et exhibuit, quarum tenores infra proxime denotabuntur. Dixit etiam, procuratorio nomine quo supra, quod productioni litterarum et iurium, per eum alias facte in dicta causa, et ipsis litteris ac iuribus insistebat ac uti volebat, et ea iterum, si necesse esset, producebat, et pro productis habere volebat, offerens se paratum ea facere in dicta causa, que de iure essent facienda. Quibus quidem sic peractis, prefatus dominus legatus mandavit supradicto domino Phylippo de Sardinia auditori suo, ibidem presenti, quod illa producta reciperet, et una cum domino Vanne auditore suo sic prius diligenter examinaret, et ea, que iuris essent, sibi fideliter referrent super dicta causa.

(Relatio edicti.)

Reverentissimo in Christo patri et domino domino Gentili Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, frater Petrus vicarius ordinis fratrum Predicatorum et frater Stephanus prior ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini de Alba Jule, reverentiam debitam cum orationum suffragiis devotarum. Sanctitatis Vestre litteras quinta feria festum beati Michaelis de autumpno immediate sequenti[1] recepimus hunc tenorem continentes:

(Sequuntur literæ Gentilis sedis apostolicæ legati, ad priores fratrum Prædicatorum et Heremitarum in Alba Julia sonantes, datæ Budæ, die secundo mensis Septembris, pontificatus domini Clementis papæ quinti anno quarto. Vide supra pag. 163.)

Quarum tenore inspecto, iussionibus vestris obtemperare cupientes, ut tenemur, mandati vestri formam die dominica sequenti[2] post presentationem factam de eisdem executi sumus diligenter, nec apparuit contradictor vel volens se opponere electioni prelibate seu electo; citationem vero de capitulo iniunctam die publicationis edicti peremptorie ad viginti dies fecimus in ecclesia cathedrali. Datum dominica proxima ante octavas beati Michaelis archangeli,[3] anno Domini millesimo CCC. nono.

(Littera ultime procurationis magistri Benedicti.)

Nos capitulum ecclesie beati Michaelis archangeli Transilvanie presentium per tenorem significamus, quibus expedit, universis, quod magistrum Benedictum archidiaconum de Ozd, canonicum nostrum, in curia venera-

1 2. Octobris.
2 5. Octobris.
3 5. Octobris.

bilis patris fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ad respondendum ad citationem per litteras edicti ipsius domini legati factam et ad alios articulos contentos, si opus fuerit, in eadem, nostrum constituimus, facimus et ordinamus verum et sufficientem procuratorem seu nuncium specialem, ad defendendum, petendum, interrogandum, respondendum, contradicendum, replicandum, ponendum, excipiendum, et contra quemlibet appellandum, subeundum iuramentum calumpnie de veritate dicenda, iurandumque in animas nostras, et ad prestandum cuiuslibet generis sacramentum et iuramentum, testes instrumentaque producendum, et omnia alia faciendum, que verus et legitimus procurator et syndicus facere consuevit, dantes eidem specialem liberamque administrationem seu procurationem, nomine nostro faciendi et exercendi universa et singula supradicta et omnia, que in negotio, ratione predicte citationis, orirentur et viderentur expedire, et alium procuratorem seu procuratores substituendi vel constituendi, quotiens expedit vel expedierit, ut procurator ab eo constitutus vel substitutus omnia ea faciendi et exercendi habeat potestatem, que in propria persona esset facturus, ratum et firmum habituri, quicquid per eum actum vel gestum fuerit seu ordinatum. Datum in octavis beati Michaelis archangeli,[1] anno Domini millesimo CCC. nono.

Die Lune, VIII. mensis Decembris, veniens in iudicio coram supradictis dominis Phylippo et Vanne auditoribus magister Benedictus syndicus et procurator predictus, syndicario et procuratorio nomine quo supra, dixit et petiit causam ac negotium supradicte electionis expediri de iure, ac electum supradictum confirmari, cum de iure confirmandus esset pro eo, quia facto edicto, in termino ipsius edicti, seu postea, nullus contrarius seu opponens comparuit; dixit etiam verbo, quod non obstabant ea, que dicebantur, quod capitulum habuerit alias potestatem et potentiam eligendi, propter confessionem magistri Petri Parisiensis canonici Transilvani, dum peteret capitulum restitui ad eligendum, et quod dicti magistri Petri confessio, si appereret, non preiudicabat, cum ipse non fuerit syndicus vel procurator dicti capituli ad talia conficendum, et negabat ac negavit ipsum procuratorem fuisse, quod si appareret; petiit dicti procuratorii copiam, et dixit etiam ipsam confessionem non esse veram, sed ipsum falsum confessum fuisse, et contrarium apparebat, ac publicum et notorium erat; dixit etiam non obstare illa, que dicuntur, quod excommunicatos admiserint

[1] 6. Octobris.

ad electionem, cum nullum excommunicatum ipsi admiserunt; et negavit Thomam cantorem Transilvanum fuisse tempore dicte electionis aliqua excommunicationis sententia ligatum, nec propter confessionem seu litteras dicti capituli idem cantor excommunicatus esset, nisi aliter de sententia excommunicationis appareret, quam expresse negavit, et si appareret, petiit sibi copiam de eadem exhiberi, cum non esset vera vel recta. Insuper dixit, omnes de dicto capitulo, qui potuerunt comode interesse et vocari, vocatos fuisse, et omnes communiter et concorditer ipsum fratrem Benedictum elegisse, et si aliqui, qui extra provinciam illam essent, tantum de tempore habuerunt, quod si voluissent opponere vel aliquid dicere contra, bene potuissent, sed quia omnes concordes erant et fuerant de ipso electo, nullus contra eum et dictam electionem voluit comparere, nec aliquid dicere seu opponere; propter quas causas et alias de iure dicta electio et electus confirmandi erant, et ideo illos confirmari petiit, in quantum de iure sibi licebat et permittebatur, allegando per leges et decretales super predictis per se et alios.

(Examinatio et depositio magistri Benedicti syndici et procuratoris capituli.)

Die Martis, XVI. Decembris, constitutus coram supradictis dominis Phylippo et Vanne, auditoribus domini legati, magister Benedictus canonicus ac syndicus et procurator capituli Transilvani in iudicio, et iuratus ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, dicere puram et meram veritatem de hiis, super quibus interrogaretur; ac interrogatus per ipsos dominos auditores, si fuerunt tractatus aliqui habiti in electione facta de fratre Benedicto electo predicto, et quales tractatus: — respondit et dixit idem magister Benedictus syndicus et procurator predictus, quod dum quedam animalia et bona ablata essent quibusdam hominibus capituli ac ecclesie Transilvane per Thomam cantorem dicte ecclesie, capitulum predicte ecclesie, volens attendere ad recuperationem dictorum animalium et bonorum, ordinavit ... decanum eiusdem ecclesie, ad eundum ad dominum Latislaum wayvodam, nomine dicti capituli, pro recuperatione predictorum animalium et bonorum; et dum ipse ... decanus perveniens ad ipsum dominum Latislaum wayvodam, et peteret ac procuraret ab eo recuperationem predictorum, idem dominus wayvoda mandavit illa restitui, ac postea dixit ipsi decano, quod ipse nolebat plus capitulum predictum et ecclesiam Transilvanam impedire, nec impeditos tenere de electione, nec volebat ulterius stare in talibus rumoribus et clamoribus, et volebat, quod ab inde in antea capitulum procederet ad electionem episcopi, sicut vellent; tamen sibi mul-

tum placeret, si ipsi de capitulo eligerent fratrem Petrum de ordine Augustinorum, vel fratrem Benedictum priorem de Insula ordinis Predicatorum, sed plus placeret sibi de dicto fratre Benedicto; et quod, si ipsorum alterum eligerent, ipse wayvoda omnia castra et bona ecclesie restitueret, quoniam ipsos cognoscebat et bonos reputabat; sed talem possent eligere, qui si non esset suus amicus, illa non restitueret; sed procedant ulterius libere, sicut placet eis, rogando de altero illorum et de illo fratre Benedicto, quia sibi multum placeret, concedens eidem decano litteras suas de credentia ad capitulum super relatione predicta. Et dum idem decanus ad dictum capitulum rediens, in dicto capitulo predicta omnia seriatim retulit et dixit, ac predictas litteras wayvode de credentia legit ibidem; qua relatione facta, ceperunt dicti capituli canonici inter se tractare de persona eligenda, et aliqui ex eis dixerunt inter eos utile esse aliquem nobilem litteratum et potentem, pro defensione et recuperatione bonorum ecclesie, eligere, et aliqui dixerunt inter dictos canonicos, quod utilis esset aliquis religiosus, et in illo tali tractatu fuit nominatus predictus frater Benedictus per aliquos ex eis, dicentes, quod utile esset eum eligere, tum propter bonitatem persone ipsius, tum etiam quia placebat dicto domino wayvode, et rogatum erat capitulum pro eodem. Nichil tamen tunc in dicto tractatu deliberaverunt eum eligere, sed diem tunc statuerunt ad eligendum, ante cuius diei adventum pluries et pluries, quandoque maior pars capituli, quandoque minor, tractatus separatim habuerunt de persona eligenda, in quibus tractatibus sepius nominatus fuit dictus frater Benedictus. Dixit tamen idem procurator et syndicus in dictis tractatibus, in quibus ipse interfuerat, quod si religiosum volebant eligere, scire debebant secundum iura, quod religiosorum electio debebat esse et fieri in plena concordia. Die vero ordinata ad electionem celebrandam, predicti capituli canonici in capitulo convenerunt, et tunc ipse magister Benedictus procurator et syndicus, tanquam archidiaconus et canonicus dicti capituli, surrexit et dixit: Domini et fratres mei, sumus in electione pastoris, cogitetis et videatis, quid est faciendum et de persona sufficienti, quia ad hoc sumus. Et dixit: Persona fratris Benedicti, de qua aliquotiens tractatus habuistis, esset bona et sufficiens. Et dicto sermone predicto, sedit. Post hec dicti canonici aliquandiu scilentium habuerunt, et post hec Johannes nobilis canonicus dicte ecclesie, et omnes alii cum eo, et omnes pariter clamaverunt et dixerunt: Fratrem Benedictum, fratrem Benedictum, — et statim ceperunt dicere laudes Deo.

Item interrogatus, si dictus dominus wayvoda rogatus fuit pro dicto fratre Benedicto, vel ipse wayvoda minas intulit pro dicto fratre Bene-

dicto, vel ipse frater Benedictus rogavit vel promisit aliquid alicui, ut eligeretur: — dixit se nescire.

Item interrogatus, quid movit ipsum magistrum Benedictum et alios canonicos ad eligendum dictum fratrem Benedictum: — dixit, quod consideratione religionis ac consideratione notitie, quam de ipso habebant, quia alias fuerat ibidem prior fratrum, et amicus ac consiliarius bone memorie Petri olim episcopi Transilvani, ac consideratione verborum domini wayvode, quia dixerat, quod si ipsum eligerent, omnia castra et bona restitueret dicte ecclesie Transilvane.

Item interrogatus, quot absentes fuerunt in electione predicta: — dixit, quod quinque, qui citati non fuerunt, quia nimis erant a remotis. Interrogatus, qui fuerunt predicti, et ubi tunc erant: — dixit, quod dominus Johannes prepositus Albensis ac dominus Gaspar, qui, ut credit, erant in Buda, et Nicolaus condam Gabrielis, qui est beneficiatus in ecclesia Waradiensi, et, ut credit, erat ibi vel in terris patrimonialibus suis, que sunt circa Zatthemar, et Petrus Lorandi prepositus Agriensis, qui erat Agrie, ut credit, et quidam iuvenis, filius Phylippi, quem credit tunc esse circa Tirnam circa patrem suum.

Item interrogatus, si ipse et alii de dicto capitulo tempore dicte electionis sciebant Thomam cantorem dicte ecclesie Transilvane esse aliqua maioris excommunicationis sententia innodatum: — dixit, quod sibi non constitit, nec constat, nisi quod, quando capitulum Transilvanie scripsit litteras domino legato contra ipsum cantorem, ipse magister Benedictus, tunc presens, audivit dici ab illis de dicto capitulo, qui tunc ibidem erant, absente dicto cantore et complicibus suis, quod omnia, que ipsi dicto domino legato de dicto cantore scribebant, erant vera et vera fuerant, ipse tamen aliter veritatem ingnorabat, et dixit, quod ipse tunc presens fuit, quando dicte littere scripte fuerunt.

Item interrogatus, si consuetum fuerat aliis temporibus, cum ipsa ecclesia vellet ad electionem procedere, citari et vocare supradictos absentes vel alios sic a longe remotos, ut supradictum est de predictis absentibus: — dixit, quod nesciebat, nec recordabatur de aliis electionibus, quia diu fuerat ipsa ecclesia sine alia vacatione, nec indiguit electione.

(Ultimus actus et renunciatio ulterioris productionis.)

Die Mercurii, XVII. supradicti mensis Decembris, veniens in iudicio coram supradictis dominis auditoribus supradictus magister Benedictus syndicus et procurator predictus, nomine quo supra, instanter, nomine dicti

capituli, petiit ab ipsis dominis auditoribus, ut dictum negotium electionis, prout de iure esset, expedirent, et relationem domino legato facerent, et quod ipsum humiliter rogarent de iuridica expeditione, cum mora esset periculosa dicte ecclesie et eius bonis; et tunc iidem domini auditores petierunt ab eodem magistro Benedicto syndico et procuratore, si aliquid aliud ultra, que produxerat et exhibuerat in iudicio super dicta causa, producere volebat seu nolebat, vel etiam allegare: — dixit, quod credebat illa, que produxerat, satis esse, nec alia habebat, nec alia producere intendebat, nomine capituli renuncians omnibus aliis productionibus et probationibus, nisi aliqua sibi de novo emergerent, que protestatus fuit sibi salva fore, petens velocem et iuridicam dicti negotii expeditionem.

(Confirmatio dicti electi.)

Anno Domini millesimo CCCX. indictione VIII. die Jovis, secunda mensis Julii, dominus legatus supradictum dominum fratrem electum publice confirmavit, et prefecit in episcopum Transilvanie, Posonii in sala publica, presentibus venerabilibus patribus domino H. episcopo Wratislaviensi,[1] Nicolao electo Jauriensi, domino Locthulfo scolastico Glogoviensi, domino Gumtero canonico, Meynardo et magistro Henrico de Jastotal, canonicis Wratislaviensibus, dominis Phylippo et Vanne, auditoribus domini legati, et aliis multis, scilicet domino S. preposito Posinense, fratre Johanne priore ordinis Predicatorum de Strigonio et aliis &c.

XLV.

1308. 11. Decembris. Budæ.

Cardinalis Gentilis Johannem electum abbatem monasterii montis Pannoniæ, non obstante defectu oculi sui, confirmat.

(Archiv. archiabbatiæ s. Martini montis Pannoniæ. C. 45. H.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus. Dilectis in Christo filiis, universis vassallis monasterii sancti Martini de sacro monte Pannonie, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Jauriensis diocesis, salutem in Domino. Dum iuxta commisse nobis legationis debitum attenta

[1] Henricus II. de Wirbna episcopus Wratislaviensis 1302–1319.

meditatione pensamus, quantis et quot sit onusta dispendiis, quot etiam et quanta pericula secum trahit ecclesiarum et monasteriorum diuturna vacatio, opem et operam, quantum ex alto nobis permittitur, adhibemus, ut huiusmodi ecclesiis et monasteriis, et precipue ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentibus, constitutis infra legationis nostre terminos, que vacationis exponuntur incommodo, de celeris et salubris provisionis remedio succurratur, ne provisione illorum diutius protelata, sustineant in spiritualibus et temporalibus detrimentum. Sane monasterio sancti Martini de sacro monte Pannonie, ad eandem ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, per obitum bone memorie fratris Jacobi[1] electi in abbatem ipsius monasterii regimine destituto, dilecti filii, decanus et conventus eiusdem monasterii, die ad eligendum prefixa convenientes in unum, spiritus Dei gratia invocata, dilectum in Christo filium fratrem Johannem,[2] tunc monachum et procuratorem eiusdem monasterii, per inspirationem divinam, ut prima facie apparebat, in suum et ipsius monasterii abbatem concorditer elegerunt; ipseque nobis huiusmodi electionis decretum, infra tempus a iure statutum, personaliter presentare curavit, petens humiliter, ut electionem ipsam confirmare canonice dignaremur. Nos vero, qui sumus omnibus nostre gubernationi commissis in iustitia debitores, electionem ipsam per auditores et sapientes nostros examinari fecimus diligenter, et demum, quia invenimus in ipsa electione, que nullam de formis in sacros canonibus traditam continebat, fuisse peccatum, ac electionem eandem, de persona indigna propter alterius aliqualem oculi maculam celebratam, licet alias per examinationem persone sue inventus fuerit bone conversationis et vite, exigente iustitia, duximus cassam et irritam nunciandam, decanum et conventum eosdem eligendi hac vice potestate privantes, provisionem ipsius monasterii dispositioni ac provisioni nostri specialiter reservando, et decernentes ex tunc ad nos provisionem ipsius monasterii pertinere, ac irritum et inane, si secus super hoc per quoscunque scienter vel ignoranter aptemptatum *(sic)* fuerat hactenus, vel in posterum contingeret attemptari. Postmodum autem ad celerem ipsius monasterii provisionem, ne vacationis prolixe sortiretur incommoda, sollicitis studiis intendentes, ut personam aptam huiusmodi regimini divina nobis clementia prepararet, tandem quia ob personarum religiosarum defectum, quibus Ungarie regnum propter ipsius fluctuantem statum et iam inveterata dissidia penuriam pa-

---

1 Jacobus abbas montis Pannoniæ 1306—1308.
2 Johannes II. abbas montis Pannoniæ 1308—1309.

titur, post inquisitionis solertis adhibite studium secundum cor nostrum, ad ipsum regimen persona sufficiens non occurrit, convertimus in dictum fratrem Johannem nostre considerationis intuitum, pensantes, quod idem monasterium de ipso maxime ordinari plurima suadebant, defectus videlicet huiusmodi aptarum regiminis personarum, evidens loci utilitas minime negligenda, vota fratrum, quibus concors et comune fuerat in ipsius assumptione propositum, origo stirpis Ungarice, cuius gratia melius dicti iura monasterii ob confinium baronum notitiam manutenere poterit et tueri, periculum etiam, quod in talibus ex more dispendio formidatur, necnon suorum competentia meritorum, que in sue candore munditie, litterarum scientia, competenti morum elegantia, viteque honestate, observantia regulari, et aliis virtutum donis fidedignorum testimoniis comprobatur, necnon ad memoratum monasterium et bonum statum illius, quod a longi decursu temporis grassanter ipsum in suum excepit gremium, sibique devotum habuit filium, cuiusque procurationem in temporalibus gessisse comprobatur laudabiliter, gerit fervidam caritatem. Consideratione itaque predictorum clementer inducti, et attendentes, quod monasterium ipsum, cuius ad nos hac vice provisio libere, ut premittitur, pertinere dinoscebatur, ex vacatione diutina in spiritualibus et temporalibus irreparabile poterat incurrere detrimentum, ac propterea de ipsius provisione celeri sollicite cogitantes, in dictum fratrem Johannem, fidedignorum testimoniis multipliciter commendatum, direximus oculos nostre mentis, et fiximus nostre considerationis obtutum, ac cum ipsam ad cautelam, ut non obstante predicta macula, que, ut facie prima perpenditur, notabilem deformitatem non indicat, sed iuxta medicorum assertionem, tanquam exorta in pupille superficie noviter, lucis privationem totaliter non induxit, quodque periti cura medici poterit prioris luminis beneficio restaurari, ad regimen prefati monasterii assumi valeat, auctoritate, qua fungimur, gratiose et misericorditer dispensantes, ipsum fratrem Johannem, tunc dicti monasterii monachum, ex predictorum auditorum et sapientum consilio, auctoritate predicta, ipsum monasterio in abbatem prefecimus et pastorem, curam et administrationem illius eidem spiritualiter et temporaliter committendo. Sibique postmodum fecimus per venerabilem in Christo patrem . . .[1] episcopum Quinqueecclesiensem munus benedictionis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus suos, monasterium ipsum per sue circumspectionis industriam et prudentiam circumspectam laudabiliter et prospere dirigetur,

1 Petrum.

ac salubria suscipiet incrementa. Quocirca Universitati Vestre auctoritate prefata presentium tenore mandamus, quatenus eundem abbatem devote recipientes et honeste tractantes, et habentes ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipere, ylariter et efficaciter adimplere, sibique consueta exhibere servitia, ac de iuribus et redditibus ei a Vobis debitis plenarie respondere curetis. Alioquin sententiam sive penam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Bude, III. idus Decembris, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quarto.

Orig. in membrana; vestigia sigilli pendentis.

XLVI.

1308. 13. Decembris. Budæ.

Cardinalis Gentilis fratribus ordinis sancti Pauli per Hungariam constitutis regulam sancti Augustini concedit.

(Bibl. comitum Festetich in Keszthely. Inventarium privilegiorum domorum ordinis Heremitarum s. Pauli, fol. 65—66.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus. Dilectis in Christo filiis . . .[1] priori provinciali, fratribus sancte Crucis de Heremo per Hungariam constitutis, tam presentibus quam futuris, in perpetuum. Qui secularia desideria abnegantes, ad celestia promerenda festinant, se sponte subdendo regularibus disciplinis, sunt non immerito in suis piis votis efficaciter promovendi, ut inceptum cursum eo facilius valeant feliciter consummare, quo sibi viam propositam perspexerint certiorem; et precipue qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere cupientes, pro crucifixi gloria, seculi vanitate reiecta, sub regulari habitu spontanee virtutum Domino famulantur. Sane petitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod condam provincialis et alii priores ac fratres diversorum locorum vestrorum, olim ad felicis recordationis Urbani pape quarti[2] presentiam accedentes, sibi humiliter supplicarunt, ut eis regulam beati Augustini, ad quam de cultu heremitico se transferre cupiebant, concedere dignaretur. Quorum precibus misericorditer

1 Laurentio.
2 Urbanus papa IV. ab a. 1261. 29. Augusti—1264. 2. Octobris.

annuens, bone memorie Paulo Wesprimiensi episcopo[1] suis dedit litteris in mandatis, ut eis dummodo, de quibus sustentari possent, facultates haberent, regulam ipsam auctoritate apostolica concederet, si ei expediens videretur. Et quia per inquisitionem ipsius episcopi compertum extitit, quod tunc temporis non erat eis competentia facultatum, que sufficeret ad observantiam regule memorate, concessioni huiusmodi regule supersedens, eadem auctoritate indulsit eisdem, ut in predictis locis et domibus, quibus tunc erant, tanquam licita collegia, in cultu heremitico liceret ipsis de cetero Domino famulari. Cum itaque in tantum vestre, sicut asseritis, largitione divina excreverint facultates, quod de ipsis potestis iuxta exigentiam ipsius regule congrue sustentari, Vobisque non liceat, auctoritate propria novum ordinem instituere, aut etiam recipere aliquam de regulis approbatis, nobis supplicastis humiliter, ut eandem sancti Augustini regulam, per quam in salutis semitam valeatis dirigi, ab eo, qui via, veritas est, et vita, Vobis concedere dignaremur. Nos itaque vestrum pium et fixum propositum attendentes, dignumque arbitrantes, et congruum, ut loca religione conspicua, apta observantie regulari, in quibus fervet charitas, refloret honestas, et virtutum plantaria per bonorum operum studia et preclara merita sanctitatis iugiter revirescunt, approbate religionis insigniis efferantur, vestris piis precibus annuentes, dictam sancti Augustini regulam Vobis, auctoritate qua fungimur, duximus concedendam, statuentes, ut eadem a Vobis et successoribus vestris perpetuo futuris temporibus inviolabiliter observetur.

Tenorem autem antedicte regule presentibus inseri fecimus, qui talis :

Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus; deinde proximus, quia ista duo precepta sunt principaliter nobis data, hec igitur sunt, que, ut observetis, precipimus in monasterio constitutis. Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, et sit Vobis anima una et cor unum in Domino. Nec dicatis aliquid proprium, sed sint &c. Ubi autem quicunque Vestrum viderit, aliquid deesse, doleat de preterito, caveat de futuro; orans, ut sibi debitum dimittatur, et in temptationem non inducatur. Amen.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum. Datum Bude, idibus

[1] Paulus II. episcopus Vesprimiensis ab a. 1257—1275.

Decembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto, incarnationis dominice anno CCCVIII.[1]

XLVII.

1308. 19. Decembris. Budæ.

Cardinalis Gentilis negotium electionis de Gregorio episcopo Bosniensi factæ Philippo auditori suo discutiendam committit.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 12.)

Die Jovis, XVIIII. Decembris, coram domino legato post missam, ipso pro tribunali sedente, propositum fuit negotium electionis fratris...[2] electi Bossonensis coram eodem domino legato, et presentatum fuit sibi decretum sigillatum multis sigillis; et petunt confirmari, et post confirmationem munus consecrationis sibi impendi; et dominus illa tradidit domino Phylippo auditori.

XLVIII.

1308. 21. Decembris. Budæ.

Petrus episcopus Quinqueecclesiensis quendam diaconum de mandato cardinalis Gentilis ad sacerdotium promovet.

(Bibl. Vatic Cod. 4013. fol. 11.)

Noverint universi, presentes litteras inspecturi, quod nos Petrus miseratione divina episcopus Quinqueecclesiensis, die Sabati quatuor temporum, vicesimo primo scilicet mensis Decembris, sexte indictionis, in anno Domini

[1] Harum literarum card. Gentilis mentio fit in quodam codice sæc. XV., in bibliotheca Musæi Nationalis Hung. asservato (Quart. lat. 1284. fol. 35.), statuta et regulas ordinis s. Pauli continente, eo modo: »Hunc libellum, in quo quisque nostrum quid agere vel qualiter habere se debeat, scribentes, declaramus, quod cum anno nativitatis dominice millesimo trecentesimo octavo, idibus Decembris, venerabilis pater et dominus frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus de latere, Bude existens, inter cetera concessit nobis, in capitulo nostro generali proxime celebrato congregandis, constitutiones, ordinationes et statuta condendi facultatem...« Erronee hic dicitur Gentilis literas, constitutiones condendi facultatem concedentes, a. 1308. idibus Decembris dedisse; vide illas infra sub n. LV. (pag. 256), de 15. Jan. a. 1309.

[2] Gregorius ordinis s. Augustini ab a. 1308. Resignatio eius accepta 23. Jan. a. 1314.

MCCCVIII. in ecclesia beate Marie de castro Budensi, in missarum sollempniis, de mandato et speciali commissione reverendi patris et domini nostri domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ordines cum sollempnitate debita celebrantes, Sancti Spiritus gratia invocata, *talem* diaconum, filium *talis* de *tali* loco, *talis* diocesis, representatum per *talem* archiepiscopum vel episcopum vel archidiaconum vel alium dignitatem habentem, vel alias ad titulum *talis* ecclesie, post diligentem examinationem de eo per nos factam, ydoneum et capacem inventum, ad sacerdotium digne promovimus iuxta formam ecclesie consuetam. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras eidem, *tali*, fieri fecimus, et nostri sigilli appensione muniri. Datum Bude, XII. kalendas Januarii, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

XLIX.

1308. — s. d.

Cardinalis Gentilis Georgium comitem Dalmatiæ in familiarium suorum consortium recipit.

(Bibl. Vat. Cod. 4013. fol. 5.)

Frater Gentilis &c. Nobili viro Georgio comiti civitatum Dalmatie, salutem in Domino. Fame decore, virtutum studiis et generis nobilitate prepollens, illam in conspectu nostro specialis dilectionis et benivolentie gratiam meruisti, quod personam tuam paterne caritatis brachiis amplectamur, attollamus honoribus, et gratiosis affectibus prosequamur. Ut igitur sinceritatis affectum, quem ad Te gerimus, evidenter agnoscas, ut quo magis a nobis honorari Te senseris, eo ferventius clara circa nos devotione prefulgeas, Te in domicellum et familiarem nostrum domesticum et commensalem gratanter et benigne recipimus, et familiaritatis nostre consortio ac domicellorum et familiarium nostrorum domesticorum et commensalium numero aggregamus. Volentes, ut ipsorum domicellorum et familiarium domesticorum et commensalium privilegii participii *(sic)* et nomine gaudeas, et oportuni favoris nostri patrocinio potiaris. In cuius rei &c.

1 Gentilis.

L.

1308. — s. d.

Cardinalis Gentilis visitatoribus maioris ecclesiæ et capellæ episcopalis Veglensis indulgentiam concedit.

(Bibl. Vat. Cod. 4013. fol. 5.)

Frater Gentilis &c. Universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri, nichilominus tamen desiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis videlicet ac remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut maior ecclesia Veglensis, in honore sacratissime virginis Marie, matris Salvatoris omnium, et sancti Quirini martyris consecrata, necnon capella episcopalis palatii Veglensis, que sancte Anastasie insignitur vocabulo, congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam et capellam easdem in principalibus ipsius virginis, et in sanctorum Quirini et Anastasie festivitatibus, ac usque ad octo dies festivitates ipsas immediate sequentes, devote ac reverenter visitaverint, annuatim quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis, misericorditer in Domino relaxamus. In cuius rei &c. Datum &c.

LI.

1308. — s. d.

Cardinalis Gentilis Thomæ episcopo Veglensi concedit potestatem absolvendi excommunicatos suæ diœcesis.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. fol. 5—6.)

Frater Gentilis &c. Venerabili in Christo patri fratri T.[1] Dei gratia episcopo Veglensi, salutem in Domino sempiternam. Ille sunt preces favorabiliter admittende, que animarum salutem et tranquilitatem conscientie sapere dinoscuntur. Attendentes igitur vestre persone merita, quibus Romane ecclesie et nobis multipliciter gratus fuistis, ac super hoc, quantum cum Deo possumus, personam vestram honorare volentes, absolvendi in forma ecclesie consueta omnes presbyteros, clericos seculares, et religiosas alias personas, cuiuscunque conditionis aut status existant, necnon quinquaginta laicos vestre civitatis et diocesis a sententiis excommunicationum seu canonum, quas incurrerunt pro violenta manuum iniectione in clericos seu presbyteros seculares ac religiosas alias personas usque ad sanguinis effusionem et citra, absque membri mutilatione, dummodo prelati non sint; necnon a transgressionibus statutorum, constitutionum seu inhibitionum suorum ordinariorum, ac aliorum superiorum suorum, clandestina matrimonia celebrando, sententias sine scriptis ferendo, tallias, collectas et decimas, ac alia onera eis imposita seu impositas in terminis non solvendo, laicis de bonis ecclesiasticis contribuendo, concubinas detinendo, arma portando, habitum dimittendo, loca vetita intrando, ac alias generaliter contrafaciendo, post competentem satisfactionem iniuriam passis ac aliis, si quibus per predicta ad satisfactionem tenentur, ad arbitrium vestrum, si non satisfecerunt, exhibitam; et imponendi eis penitentiam salutarem, et alia, que de iure videritis iniungenda, necnon dispensandi cum presbyteris et clericis, quos sic duxeritis absolvendos super irregularitate, quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, sed per simplicitatem et iuris ignorantiam, vel facti immemores, ordines recipiendo, et in ipsis et aliis ordinibus ministrando, contraxerunt; ipsis prius ad tempus, prout expedire videritis, a suorum ordinum executione suspensis, si eius ignorantia crassa

---

1 Thomæ.

non fuerit vel suppina; demum a clericis concubinariis, sufficienti ab eis cautione recepta, quod in propriis, vel in alienis domibus concubinas de cetero non tenebunt, cum future vite meritum culpam preterite redimet, suffragantibus eis meritis, alioque canonico non obstante, Circumspectioni Vestre, auctoritate domini pape, cuius penitentiarie curam gerimus, Vobis hac vice plenam tenore presentium concedimus facultatem. Presentibus, postquam predictam civitatem et diocesim vestram intraveritis, post annum minime valituris. In cuius rei testimonium &c.

LII.

1308. — s. d.

Cardinalis Gentilis omnibus ad fabricam monasterii s. Lucie, castri Besche, Veglensis diœcesis, manus adiutrices porrigentibus indulgentiam concedit.

(Bibl. Vatic. Cod. 4013. fol. 6.)

Frater Gentilis &c. Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes; quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum igitur dilectus in Christo filius . . . plebanus plebis castri Besche, Veglensis diocesis, sicut ipse nobis significare curavit, monasterium s. Lucie de pertinentia dicti castri, ordinis sancti Benedicti, nimia vetustate consumptum, reparatione multipliciter indigere noscatur, ad quod subsidium fidelium esse dinoscitur plurimum oportunum, Universitatem Vestram rogamus, monenus et hortamur in Domino, in remissionem Vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis, Vobis a Deo collatis, pias ei ad hec elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus inceptum valeat consumari; et Vos per hec et alia bona, que Domino inspirante feceritis, possitis ad eterne felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, meritis confidentes, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad hec ei manus porrexerint adiutrices, auctoritate apostolica,

nobis in hac parte commissa, quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Presentibus post quadriennium minime valituris. Quas per questionarios mitti districtius inhibemus; eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Datum &c.

LIII.

1309. 8. Januarii. Budæ.

Cardinalis Gentilis Christiano priori Prædicatorum de Bysterce, Petro lectori Minorum de Varasio et Reynoldo plebano de Stolzenberg mandat, ut nonnullos plebanos de partibus Transsilvaniæ contra capitulum eiusdem ecclesiæ ad suam præsentiam citent.

(Vide infra pag. 188.)

LIV.

1309. 8. Januarii—3. Julii. Budæ.

Causæ, quæ vertebantur coram Philippo de Sardinea, auditore cardinalis Gentilis, inter capitulum ecclesiæ Transsilvanensis et nonnullos plebanos et decanos de partibus illis.

(Bibl. Vaticana. Cod. 4013. fol. 16—44.)

A.

Super quibusdam excessibus et offensionibus, capitulo per septem decanatus Transsilvanenses illatis.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo nono, pontificatus domini Clementis pape V. die Veneris, nono mensis Maii, septime indictionis. Vagnolus de Meuanea notarius curie infrascripte assignavit michi Angelo notario infrascripto subscripta acta, in mei absentia coram eo attitata, de mandato venerabilis viri domini Philippi de Sardinea decretorum doctoris, canonici Arborensis, curie reverendi patris et domini domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, generalis auditoris causarum, quorum actorum tenor talis est :

1 Gentilis.

(Littere iudicum cum attestationibus testium pro clericis.)

Sanctissimo in Christo patri et domino fratri Gentili miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, frater Cristianus prior Predicatorum de Bystrici, et frater Petrus lector fratrum Minorum de Varasio, ac Renoldus plebanus de Stolzimberc,[1] reverentiam debitam et devotam cum orationum suffragiis devotarum. Litteras Vestre Sanctitatis nobis destinatas recepimus debito cum honore, tenoris et continentie infrascripte:

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis, religiosis et discretis viris, fratribus Christiano priori Predicatorum de Bystrice, et Petro lectori Minorum ordinum de Varasio, ac magistro Reynoldo plebano de Stolzemberg, salutem in Domino. Dudum ad petitionis instantiam dilectorum in Christo filiorum, capituli maioris ecclesie Transsilvanensis, plebanos, presbyteros, clericos et universitates infrascriptos, videlicet Bertoldum plebanum de Keldenich,[2] decanum de Sebz,[3] Herricum plebanum de Sebz, Godeschalcum de Winz,[4] Nicolaum de Peyn, Paulum de Kapaka, Alhelmum de Omlas,[5] Danielem de Ryon,[6] et Renerum de Apoldya[7] ecclesiarum rectores seu plebanos, ac Henricum decanum de Spinch,[8] Johannem de Drasseu,[9] Gundolinum de Piro, Bartholomeum de Wingartkyrchen,[10] Henricum de Rothludas,[11] Jacobum de Duabus Turribus[12] presbyteros seu rectores, ac universitatem sacerdotum decanatus eiusdem; item capitulum plebanorum de Kozd,[13] et specialiter Nicolaum plebanum de Villa Jacobi,[14] decanum videlicet de Kozd, Henricum plebanum de Lapide, et Johannem plebanum de Barankuht;[15] item universitatem sacerdotum archidiaconatus de maiori Kukullo, et nominatim Arnoldum de

1 Stolzenberg, Stolzenburg, Hung. Szelindek, in comit. Szebeniensi.
2 Kelnek, Kelling, Kilnich, in comit. Szebeniensi.
3 Szász-Sebes, Mühlbach, in com. Szebeniensi.
4 Fors. Al-Vincz, in com. Fejér inferiori.
5 Omlás, germ. Hamlesch, in com. Szebeniensi.
6 Fors. Riomfalva, germ. Reichesdorf, in com. Küküllő maiori.
7 Apold, germ. Trappold, in com. Küküllő maiori.
8 Spring, germ. Gespreng, in com. Fejér infer.
9 Drassó, germ. Troschen, in com. Fejér inf.
10 Vingárt, germ. Weingartskirchen, in com. Fejér inf.
11 Nagy-Ludas, germ. Lugdes, Ludos, in com. Szebeniensi.
12 Pókafalva, germ. Törnen, in com. Fejér inf.
13 Ozd in com. Fejér infer.
14 Jakabfalva, Jakobsdorf, Jakesdorf, in com. Küküllő maiori.
15 Báránykút, in com. Küküllő maiori.

Longavalle,[1] Johannem Michazaz[2] et . . . sacerdotem de Hulduualach;[3] item capitulum plebanorum de Kyzd,[4] et capitulum sacerdotum de Crys,[5] et nominatim Bertoldum plebanum, decanum de Kyzd, Johannem de Schesburg,[6] Hermannum de Dala,[7] Nicolaum de Apoldia, Georgium de Kyzde, Jacobum de Sithus; item Herricum decanum de Crys, sacerdotem videlicet eiusdem ville Crys, Henricum de Almakerek,[8] et Henricum de Pesschedorp;[9] item universitatem sacerdotum archidiaconatus de minori Kukullo, et nominatim Symonem sacerdotem de Villa Sancti Nicolai,[10] decanum de Kukullo minori, Johannem de Sido,[11] et Thedericum sacerdotem de Villa Boneti, Transsilvaniensis diocesis, citari peremptorie fecimus et requiri, ut certo termino per se vel eorum responsalem ydoneum in nostra curia comparere curarent, super quibusdam iniuriis, offensionibus et excessibus, necnon censibus debitis, decimis, redditibus et rebus aliis, procuratori vel syndico dicti capituli in iudicio de iustitia responsuri. Verum quia comparere per se vel alium in nostra curia contumaciter contempserunt, discretus vir magister Philippus de Sardinea, decretorum doctor, canonicus Arborensis, capellanus et familiaris noster, quem in dicta causa partibus dedimus auditorem, instante et petente magistro Benedicto archidiacono de Ozd, procuratore dicti capituli, omnes predictos citatos, in termino et post terminum expectatos, reputavit interloquendo fore merito contumaces. Nichil plus procedens tunc in negotio, sperans, ut suam contumaciam redimerent per satisfactionem condignam. Sed elapso postea dierum plurium intervallo, comparuit coram auditore predicto procurator prefatus, et cum instantia petiit contra predictos contumaces, iustitia suadente, procedi. Dictus vero auditor dictorum contumacium hostinatam absentiam et contumaciam intuens, quia humilibus obedientia nil prodesset, si contumacia contumacibus non obesset, et crescente contumacia, crescere debet et pena, omnes et singulos prenominatos superius, ipsorum contumacia huiusmodi exigente, dictoque procuratore petente, excommunicationis, ac universitates et capitula interdicti sententiis innodavit, prout hec in actis nostre curie plene

1 Longodár, germ. Langenthal, in com. Küküllő maiori.
2 Mikeszásza, in com. Küküllő minori.
3 Holdvilág, germ. Halwelagen, in com. Küküllő maiori.
4 Szász-Kézd, Keisd, Kizdu, in comit. Küküllő maiori.
5 Keresd, germ. Kreisch, Kris, in com. Küküllő maiori.
6 Segesvár, germ. Schässburg, in com. Küküllő maiori.
7 Dálya, germ. Denndorf, in com. Küküllő maiori.
8 Almakerék, in com. Küküllő maiori.
9 Bese, germ. Beschendorf, in com. Küküllő maiori.
10 Betlen-Szent-Miklós, in comit. Küküllő minori.
11 Zsidve, in com. Küküllő minori.

constant. Dum autem ad denunciationem sententiarum ipsarum ad dicti procuratoris instantiam procedere auditor predictus intenderet contra ipsos, dilectus in Christo filius frater Herricus de Cybinio, ordinis Predicatorum, in nostra curia excusator comparuit pro eisdem, asserens citatos predictos, impedimento detentos legitimo, nequivisse infra statutum eis terminum ad predicta in eadem curia comparere; paratus ipsorum nomine de impedimento predicto nostre curie facere plenam fidem. Nos itaque, si predicta veritati nitantur, cum excommunicatis et interdictis predictis mitius nec immerito agere intendentes, atque volentes predictarum partium in hac parte laboribus parcere et expensis, Discretioni Vestre, de voluntate procuratoris et excusatoris predictorum, presentium tenore mandamus, quatenus Vos omnes, vel duo aut unus vestrum, super articulis, quos predicti excommunicati et interdicti vel alius pro eisdem super huiusmodi impedimento legitimo exhibere voluerint, probationes recipiatis, quas produxerint coram Vobis, ipsasque fideliter in scriptis redactas infra triginta dies a receptione presentium sub sigillis vestris ad nos per fidelem nuncium remittatis. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam compellatis veritati testimonium perhibere. Citantes nichilominus ex parte nostra peremptorie partes predictas, quod vicesima die post citationem vestram compareant legitime in dicta curia coram nobis, visure publicationem probationum ipsarum, et alias in eodem negotio, mediante iustitia, processure. Diem quoque citationis huiusmodi et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras, continentes harum seriem, rescripturi. Datum Bude, Vesprimiensis diocesis, VI. idus Januarii,[1] pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

Nos itaque, tanquam filii vere obedientie, mandatis vestris fideliter et devote obtemperare cupientes, negotium cum omni diligentia executioni demandavimus statim post receptionem litterarum Vestre Paternitatis, terminum peremptorium prefiximus, sextam feriam proximam post festum resurrectionis Domini,[2] in civitate de Wynz inferiori,[3] super productione testium partibus memoratis. In quo termino partes in nostra presentia comparere curaverunt, et plebani prenominati septem capitulorum suum testimonium super expurgatione sue contumacie produxerunt, videlicet Sifridum priorem de Candela, ordinis Cisterciensis, qui ad conscientiam suam protestatus est, procuratorem et nuncium dictorum plebanorum in via po-

[1] 8. Januarii.
[2] 4. Aprilis.
[3] Al-Vincz.

situm, scilicet dominum Bertoldum plebanum de Keldenich, in cuius argumentum testamentum coram eo condidit, et ipsum sui testamenti executorem instituit. Item Nicolaum, filium comitis Salomonis de Keldenik adolescentem, qui vice sua et patris sui decumbentis iuratus deposuit, litteras domini woyvade comminatorias contra dictos procuratores et nuncios destinatas se vidisse. Item Nicolaum Scabinum de Cibinio, qui iuratus dixit, se dictas litteras domini woyvade vidisse et audivisse. Item Heniungum nuncium provincialium de Cibinio, qui in animas ipsorum provincialium iuratus, illud idem affirmavit. Item Herricum procuratorem ecclesie omnium sanctorum de Keldenich, qui iuratus dixit illud idem; et insuper idem Bertoldum plebanum ecclesie predicte a plebesanis suis ad iter arripiendum fuisse publice licentiatum. Item Nicolaum fratrem dicti procuratoris, cum iuramento illud idem asserentem. Item dicti plebani in sui excusatione litteras nobis plurimas presentarunt, videlicet ex parte universitatis Cibiniensis, item universitatis de Sebys, item Georgii plebani de Cibinio, item Walteri magistri hospitalis Sancti Spiritus civitatis eiusdem, item Johannis plebani de Villa Umberti, que omnes se super litteram domini woyvade fundaverunt, ex cuius tenore perterriti, ad predictum iter procuratores eorundem procedere non audebant. Cuius contrarium dictus princeps, tam per suum nuncium, quam per suas litteras in dicto termino coram nobis, sue intentionis asserens non fuisse, eos plebanos vel procuratores eorundem ab incepto itinere prepedire. Hec igitur sic acta et coram nobis ventilata, et in scriptis fideliter redacta, Vestre Paternitati transcribimus, sigillorum nostrorum munimine consignata. Terminum autem vicesimum diem a data presentium partibus memoratis duximus assignandum, coram Paternitate Vestra peremptorie comparendi in causa memorata. Datum in Vinz inferiori, sabato in Albis, nonis videlicet Aprilis,[1] anno Domini MCCCVIIII.

(Productio procuratorii utriusque partis.)

Die ultimo mensis Aprilis, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore Santo archidiacono de Karazna,[2] canonico ecclesie Transsiluane, ex parte una, et domino Bertoldo decano de Kelneke, plebano eiusdem loci, procuratoribus infrascriptis, ex parte altera, quilibet ipsorum produxerunt procuratoria infrascripta, sigillis pendentibus sigillata. Tenor procuratorii capituli Transsilvanensis talis est:

1 5. Aprilis.
2 Kraszna, in comit. Szilágyensi.

(Procuratorium domini Sancti pro capitulo Transsilvanensi.)

Nos capitulum ecclesie beati Michaelis archangeli Transsilvanensis, presentium per tenorem significamus, quibus expedit, universis, quod nos dominum Sanctum archidiaconum de Karazna, concanonicum nostrum, in curia venerabilis patris fratris Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, in omnibus causis seu negotiis, que coram ipso domino legato, vel coram quocunque alio iudice delegato vel ordinario, infra terminos sue legationis contra nos moverentur, vel nos movere necesse haberemus, nostrum constituimus, fecimus et ordinavimus verum, legitimum et sufficientem generalemque procuratorem et syndicum nunciumque specialem, ad agendum, defendendum, petendum, interrogandum, respondendum, contradicendum, replicandum, ponendum, excipiendum, dilationemque petendum, subeundum iuramentum calumpnie et de veritate dicenda, iurandum in animas nostras, et ad prestandum cuiuslibet generis sacramentum et iuramentum, recusandum, confitendum, transsigendum, paciscendum, compromittendum, iudicesque eligendum, impetrandum et petendum beneficium restitutionis in integrum semel vel pluries, seu quotiescunque viderit expedire, petendum restitutionem spoliatorum, appellandum, renunciandum, testes instrumentaque producendum, et omnia alia faciendum, que verus et legitimus, sufficiensque procurator et syndicus facit et facere consuevit. Promittens, iudicatum solvi, et omnia sub ypotheca rerum nostrarum assumentes. Dantes eidem generalem et specialem liberamque administrationem seu procurationem nomine nostro faciendi, et exercendi universa et singula supradicta, et alium procuratorem vel procuratores substituendi vel constituendi seu faciendi in omnibus premissis et singulis premissorum, quandocunque et quotiescunque viderit expedire; ut procurator ab eo constitutus vel substitutus agendi, petendi, defendendi, excipiendi, replicandi ac iurandi in animas nostras de calumpnia veritateque dicenda, et prestandi cuiuslibet generis sacramenta vel iuramenta et omnia ea faciendi vel exercendi, que superius sunt expressa, et que verus et legitimus sufficiensque procurator vel procuratores facere consueverunt. Ratum et firmum habituri, quicquid per eundem actum vel gestum fuerit seu ordinatum. Datum quarta feria proxima post octavas Pasce,[1] anno Domini MCCCVIIII.

Tenor vero procuratorii partis adverse talis est:

[1] 9. Aprilis.

(Procuratorium domini Bertoldi pro clericis.)

Sanctissimo patri ac domino fratri Gentili, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, per totam Ungariam et regna annexa totamque Poloniam sedis apostolice legato, Herricus decanus de Spring, plebanus eiusdem loci, ac universi plebani eiusdem decanatus de maiori Kukullu, universi plebani de minori Kukullu, ac universi plebani de decanatu de Crisz, oscula pedum beatorum. Sanctitati Paternitatis Vestre harum serie litterarum duximus significandum, quod discretum dominum magistrum Johannem, auditorem causarum in curia vestra, facimus, constituimus et ordinamus, et dominum Bertoldum decanum de Kelneke, plebanum eiusdem loci, nostros procuratores in solidum in vestra audientia, et actores, factores et nuncios speciales, in causa vel in causis civilibus omnibus et criminalibus, quas habemus vel habituri sumus cum capitulo beati Michaelis ecclesie Transsilvane in curia vestra, ad agendum, defendendum, accusandum, excusandum, litem contestandum, de calumpnia et cuiuslibet alterius generis iuramenta in animas nostras prestandum, defectus et crimina opponendum, positiones faciendum, et alterius partis positionibus respondendum, paciscendum, transsigendum, in integrum restitutionem petendum, advocatos conducendum, unum vel plures procuratores substituendum, salaria promittendum, appellandum, absolutionem petendum et recipiendum, omnia et singula faciendum, que nos personaliter facere possemus, etiam si mandatum exigant speciale. Promittentes, ratum et firmum habere, quicquid per dictos procuratores actum fuerit. Et volentes eos relevare ab onere satisfactionis, promittimus omnibus, quorum interest, de iudicio sisti et de iudicato solvendo in omnem suam clausulam, sub obligatione bonorum nostrorum et ecclesiarum nostrarum. In cuius procuratorii evidentiam, cum sigillo provincialium sedis iudiciarie de Sebzs et sigillo eiusdem loci decanatus, cum nostri sigilli munimine, presentia duximus roboranda. Datum anno Domini MCCCVIIII. VII. idus Aprilis.[1]

(Terminus ad recipiendam copiam procuratorii et ad publicationem testium.)

Quibus procuratoriis hinc inde exhibitis, dictus dominus auditor assignavit terminum dictis procuratoribus, coram eo presentibus, ad recipiendum copiam ipsorum, si volunt, et ad dicendum contra ipsa, et alias ad videndum aperturam et publicationem testium et litterarum iudicum

[1] 7. Aprilis.

supradictorum, et alias ad procedendum in causa, ut de iure fuerit, ad diem Lune V. instantis mensis Maii peremptorie.

(Publicatio litterarum et testium.)

Die Lune, V. Maii, septime indictionis, comparentibus dictis procuratoribus utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, idem dominus auditor, de ipsorum procuratorum consensu, pronunciavit, supradictos testes et litteras fore apertos et publicatos, ac pro apertis et publicatis haberi, offerens utrique parti copiam de eisdem.

(Productio litterarum pro clericis.)

Ante tamen publicationem ipsorum, dictus dominus Bertoldus, nomine et pro parte dictorum capitulorum et universitatum, quorum procurator est, produxit et exhibuit in iudicio coram dicto domino Philippo, presente predicto Sancto procuratore partis adverse, litteras infrascriptas, ad fundandam et probandam intentionem suam melius super predictis, quarum litterarum tenor talis est:

(Littere pro clericis.)

Ladislaus voyvoda Transsilvanus et comes de Zoukuk *(sic)*, amicis suis carissimis, universitati Saxonum de Zibinio, amicitiam debitam et paratam. Vestra amicitia bene scit, quod Vos et ad Vos pertinentes semper fuimus persecuti cum omnimoda nostra dilectione; petivistis autem nos, litteris vestris mediantibus, diligenter, ut sacerdotes in medio vestri existentes vel nuncios ipsorum per nostra tenuta ad dominum legatum exire libere permitteremus, cum per nostra tenuta omnes procedentes libere transiverint. Noveritis, quod nos vestram universitatem et predictos sacerdotes exortavimus de sepe sepius, ut capitulo de proventibus ipsorum sufficientem impenderent satisfactionem, quod hactenus facere non curarunt. Super quo amicitiam vestre universitatis requirimus et admonemus, quatenus predictos sacerdotes ad hoc inducere velitis, ut ipsi capitulo et de proventibus episcopalibus sufficientem impendant satisfactionem, et in huiusmodi litigium non procedant, quia ne forte eisdem contingat gravius ipsum litigium, et nos eosdem cum dicto capitulo reformabimus, nostras partes interponendo in hac parte. Datum in Deua, in vigilia beate Katarine virginis et martyris. [1]

[1] 23. Novembris a. 1308.

(Accusatio contumacie pro capitulo.)

Item eodem die et in eodem iudicio, dominus Sanctus procurator capituli Transsilvanensis, procuratorio nomine ipsius, accusavit contumaciam illorum de parte adversa, qui sunt contumaces, et nec per se, nec per procuratorem idoneum comparere curarunt. Petens cum instantia, excommunicationis sententiam contra eos latam, secundum quod iuris ordo postulat, agravari.

(Legitimatio procuratorii.)

Postquam, statim in eodem iudicio, interrogati dicti procuratores per dictum dominum auditorem, si volebant aliquid obicere contra procuratoria exhibita hinc inde, dixerunt, quod non. Sicque de utriusque voluntate ipsorum dictus dominus auditor ante dictam aperturam procuratores ipsos et eorum procuratoria legitimavit, procedens postea ad aperturam testium predictorum. Assignans utrique procuratori terminum ad diem Veneris proxime futurum, ad recipiendum copiam dictorum testium, et dicendum contra, quicquid volunt, et dicto Sancto ad recipiendum copiam dictarum litterarum, et dicendum contra ipsas, et alias ad procedendum in causa, ut de iure fuerit.[1]

(Substitutio procuratoris capituli.)

Die Veneris, VIIII. Maii, VII. indictionis, comparentibus dictis procuratoribus utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, presente me, Angelo de Sancta Victoria notario dicte curie, ad hanc causam conscribendam de mandato dicti domini legati assumpto, dictus Sanctus procurator, procuratorio nomine quo supra, substituit in dicta causa et ad omnes alias motas et movendas magistrum Philippum de Cingulo, presentem et recipientem, ad omnia, que habet in mandatis, transferens in eum totaliter vices suas, presentibus domino Johanne de Aretio capellano dicti domini legati, magistro Paulo cancellario regio, et aliis testibus.

(Exhibitio litterarum pro capitulo.)

Eodem die et in eodem iudicio, dictus magister Philippus, tanquam procurator substitutus a predicto procuratore capituli Transsilvanensis, ad repulsam testium et litterarum productarum per partem adversam, produxit quasdam litteras domini woyvade, suo, ut apparebant, sigillo signatas, quarum tenor talis est:

---

[1] Hucusque Vagnolus de Mevania fuit notarius huius processus, de hinc Angelus de Sancta Victoria.

(Littere pro capitulo.)

Venerabili in Christo patri et domino, domino Gentili miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, Ladislaus woyvada Transsilvanus et comes de Zoukuk *(sic)*, devotum animum cum plenitudine reverentie et honoris. Significamus Sanctitati Vestre, quod plebani seu sacerdotes de decanatibus de Sebus, de Spreng, de Kyzd, de Kozd et de aliis, et de archidiaconatu de Kukullu maiori et minori, et de quibusdam aliis, qui contra capitulum ecclesie Transsilvanensis ad vestram curiam citati, ire contumaciter neglexerunt, falsa suggestione apud Sanctitatem Vestram, nisi seu conati sunt suam contumaciam excusare, quod nos liberam viam eisdem dare neglexissemus, et coram vestris delegatis super hoc seu examinatoribus quosdam testes falsos et probationes frivolas de suis fautoribus contra ipsum capitulum produxerunt, quorum assertiones et probationes frivolas et falsas esse dicimus; quia nunquam intentionis nostre fuit, ut procuratores eorum, vel aliquos ex ipsis, impedivissemus, vel in aliquo voluissemus molestare, cum per Dei gratiam semper cultores iustitie fuerimus, et in tenuta nostra omnibus hominibus, clericis et laicis, vie pateant libere et secure. Quare Sanctitas Vestra ipsis sacerdotibus vel eorum procuratoribus, seu dictis testium suorum, necnon probationibus eorum frivolis nullam fidem adhibeat in hac parte. Datum in Deua, quarta feria proxima post dominicam Quasi modo geniti,[1] anno Domini MCCCVIIII.

(Exhibitio exceptionum pro capitulo.)

Item eodem die et in eodem iudicio, magister Philippus procurator substitutus predictus exhibuit exceptiones infrascriptas in scriptis, quarum tenor talis est:

(Exceptiones capituli.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea canonico Arborensi, auditore generali venerabilis patris domini fratris G.[2] &c. et in infrascripta causa specialiter deputato, Philippus de Cingulo procurator substitutus dominorum canonicorum et capituli venerabilis ecclesie Albensis Transsilvanensis, contra procuratores seu procuratorem plebanorum presbyterorum et universitatum eiusdem Albensis Transsilvanensis diocesis, cum quibus coram Vobis est in causa, et scripturas per ipsum procuratorem loco probationum productas, exceptiones dat et exhibet infrascriptas:

[1] 9. Aprilis.
[2] Gentilis.

I. In primis excipiendo dicit Philippus procurator substitutus predictus, quod littere, per dictum procuratorem partis adverse ante testium aperturam producte, que sic incipiunt: Nos Gombolinus, Nicolaus, comites Cibinienses, atque universitas eiusdem, harum serie litterarum recognoscimus, quibus expedit, universis, in animas nostras protestantes &c.[1] — quod nullum probant impedimentum, nec aliquam fidem faciunt de aliquo legitimo impedimento, sed sicut in fine ipsarum litterarum continetur, ipsi dicunt, dictum woyvadam non prestasse in predictis aliquod impedimentum. Et exto *(sic)* sine preiudicio, quod ipsi comites et universitas dicerent et affirmarent, illos fuisse impeditos, eorum dictum in hac parte nullam fidem facit, quia ea non dixerunt, seu testificarunt mandato iudicis seu superioris, sed voluntarie illud dicunt; et sic videtur, quod prece vel precibus illud dicant. Attamen eorum dictum tollitur per litteras eiusdem woyvade, prefato domino legato destinatas. Qui dicit et affirmat, nullum eisdem nec aliis, ad curiam ipsius domini legati accedere volentibus, impedimentum prestasse seu prestari fecisse, et quod per eius potentiam et terrenum viget cultus pacis. Insuper iidem plebani et alii, sicut fratrem H.[2] de ordine Predicatorum miserunt ad curiam ad excusandum eosdem, ita et per eum alium de curia ipsius domini legati, vel de Buda, procuratorem principalem vel subsitutum constituere et ordinare potuerunt, et per ipsum fratrem H. vel alium litteras et instrumenta eorum destinare; quod ipsi, tanquam filii malitie et subterfugias querentes, facere cessaverunt.

II. Item contra scripturas et attestationes, productas et apertas in iudicio, excipiendo dicit predictus Philippus, nomine quo supra, quod dictum Syffridi prioris de Candela, testis non iurati, nullum est, nec aliquam fidem facit, cum singularis sit in dicto suo, et dictum ipsius vanum sit, et nullam fidem faciens seu probationem impedimenti. Nam non dicit, quare et qua de causa testamentum dictus dominus Bertoldus procurator fecit, et quibus presentibus, et quo mense seu die, et si propter infirmitatem, vel propter alia. Nec dicit, in qua via positus erat dictus dominus Bertoldus procurator, et ad quid erat in dicta via positus. Et sic eius dictum nullum probat impedimentum in predictis.

III. Item dicit, dictum Nicolai comitis Salomonis adolescentis, qui vice sua et patris sui deposuit, litteras domini woyvade se vidisse comminatorias contra dictos procuratores et nuncios, dicit nullum esse, et nullam

---

1 Vide has litteras infra pag. 205.
2 Henricum.

fidem facere in causa predicta, cum ipse nomine alterius deponat. Nec dicat, quam comminationem continebant ipse littere, et penes quem eas viderat; et quo die, anno, et quo mense, et quibus presentibus, et qualis esset earum tenor.

IIII. Item etiam excipit contra alios testes, qui dicunt, se dictas litteras domini woyvade vidisse, quorum dicta, tanquam certitudinem non dicentes, nullam fidem faciunt, nec dicunt de anno, mense et die. Preterea testes supradicti et alii, in dictis litteris et attestationibus contenti, et alia, in eisdem expressa, nullam impedimenti legitimi probationem faciunt, nec dictis eorundem testium standum est, seu fides aliqua adhibenda; cum sint singulares ac incerti, et super incertis eorum intentionem dixerunt.

Quare ex predictis et aliis, que vestra, domini auditoris, supplebit discretio, petit Philippus substitutus predictus, nomine quo supra, omnes adversarios suos predictos, tanquam excommunicatos et nullum legitimum impedimentum probantes, continue publice nunciari. Et quia dicti plebani et singulares persone excommunicationis, ac universitates predicte interdicti sententias, per Vos latas, malitiose et indurato animo diutius substinuerunt et substinent, petit eos aggravari, et contra eos ad alia graviora procedi.

Predicta dicit ad presens Philippus procurator predictus, salvis sibi aliis, suo loco et tempore verbo et in scriptis latius proponendis, protestatur etiam de expensis factis et faciendis.

(Terminus ad replicandum pro clericis.)

Quibus litteris et exceptionibus exhibitis, dictus dominus auditor assignavit terminum predicto domino Bertoldo, ad recipiendum copiam de eisdem et ad replicandum, si voluerit, et alias ad procedendum in causa, ut de iure fuerit, ad diem Martis proxime futurum, XIII. mensis eiusdem.

(Exhibitio litterarum et replicationum pro clericis.)

Die Martis, XIII. dicti mensis Maii, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore procuratoribus utriusque partis predictis, dictus dominus Bertoldus exhibuit contra dictas li.teras et exceptiones, exhibitas per dictum magistrum Philippum, quasdam litteras sigillatas a tergo, et quasdam replicationes in scriptis, quarum litterarum tenor talis est:

(Littera pro clericis.)

Reverendo in Christo patri et domino, domino Gentili legato sedis apostolice per totam Ungariam, Giselbertus decanus Viniensis *(sic)* obedientiam in

Domino filialem. Presentibus coram Paternitatis Vestre gratia significo et protestor, quod domini plebani de septem capitulis, de Scebus videlicet, de Sprink, de Kozd, de Kyzd, de maiori et minori Kukullu, et de Crissh, exitum petiverunt a woyvada Ladislao ad presentiam vestram, et ob hoc nuncios sollempnes ordinaverant. Qui litteris suis eis denegavit exitum, nisi abrenunciarent appellationi sue. Unde sub vera obedientia Vestre Paternitati id notifico, sic esse; ulterius innotescendo, quod iam dicti domini de eisdem capitulis ad omnia mandata vestra sunt obedientes, et omnem expensam vestram paratam comportaverunt, tanquam aliorum predecessorum vestrorum expensam semper paratam et debitam ordinarunt.

Item:

(Littera pro clericis.)

Coram universis viris venerabilibus, ad quos presens scriptum pervenerit, ego Georgius plebanus in Cibinio presentibus super conscientia anime mee profiteor et protestor, quod omnia hec, que littera provincialium de Sibinio pro dominis de septem capitulis, in eadem littera nominatim tactis, et sicut protestatur, sic acta sunt. Videlicet, quod cum iidem domini ad videndum dominum legatum, tanquam filii obedientie, se apparassent, et per nuncios ydoneos securitatem exitus per tenutam Ladislai woyvade Transsilvani ab eo petivissent, qui per ipsum prohibitus fuit eis eo, quod potentiam habet defendendi omnes Transsilvanos in bono et etiam impediendi, nisi abrenunciare vellent prius appellationi sue, quam fecerunt ad curiam Romanam, in qua adhuc nuncios suos habent; propter quod etiam in posterum per se fratrem Herricum de ordine Predicatorum in signum obedientie decreverunt emittere, ut miserunt. Datum Cibinii.

Item:

(Littera pro clericis.)

Coram universis viris venerabilibus, ad quos presens scriptum pervenerit, ego frater Waltherus, ordinis Sancti Spiritus magister hospitalis in Cibinio, presentibus super conscientia anime mee profiteor et protestor, quod omnia hec, que littera provincialium de Sibinio pro dominis de septem capitulis, in eadem littera nominatim positis, et sicuti protestatur, sic acta sunt. Videlicet, quod cum iidem domini ad videndum dominum legatum, tanquam filii obedientie, se apparassent, et per nuncios ydoneos securitatem exitus per sua tenuta a Ladislao woyvada Transsilvano, potentiam habente super omnes Transsilvanos, ipsos conservandi in bono vel impediendi, petivissent, qui per ipsum prohibitus fuit eis, nisi prius abrenunciare vellent appellationi sue, quam fecerunt ad curiam Romanam, in qua adhuc nun-

cios suos habent; propter quod etiam in posterum per se fratrem Henricum de ordine Predicatorum in signum obedientie decreverunt emittere, ut miserunt. Datum Cybinii.

Item:

(Littera pro clericis.)

Coram universis viris venerabilibus, ad quos presens scriptum pervenerit, ego Johannes plebanus in Villa Humberti presentibus super conscientia anime mee profiteor et protestor, quod omnia hec, que littera provincialium de Cibinio pro dominis de septem capitulis, in eadem littera nominatis, et sicuti protestatur, sic acta sunt. Videlicet, quod cum iidem domini ad videndum dominum legatum, tanquam filii obedientie, se apparassent, et per nuncios ydoneos securitatem exitus per sua tenuta petivissent, denegatus fuit eis a Ladislavo woyvada Transsilvano, potentiam habente, omnes Transsilvanos defendendi in bono et impediendi, nisi abrenunciare vellent appellationi sue, quam fecerunt ad curiam Romanam, in qua adhuc nuncios suos habent; propter quod etiam imposterum per se fratrem Herricum de ordine Predicatorum decreverunt emittere, et miserunt. Datum Cibinii.

Tenor autem dictarum replicationum talis est:

(Replicationes clericorum.)

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo auditore &c. constitutus ego Bertoldus decanus de Sebus, procurator universitatum et plebanorum de provincia Saxonum, Transsilvanensis diocesis, ad instantiam Transsilvanensis capituli ad domini legati curiam citatorum, replicando contra exceptiones propositas per magistrum Philippum de Cingulo, procuratorem substitutum capituli Transsilvanensis, contra me et probationes per me coram Vobis productas, meo et predictorum nomine dico, sufficienter immo sufficientissime probatum esse impedimentum seu instrumenta, et verisimilem causam timoris, propter que ego et predicti, quorum sum procurator, ad presentiam domini legati non potuimus comparere citati. Probata enim sunt predicta per quinque vel sex publicas litteras, autentica sigilla habentes, comitum scilicet et universitatum et prelatorum. Que quidem littere sic autentice de consuetudine in regno Ungarie plenam fidem faciunt, ut in Ytalicis partibus publica documenta; et quod talis consuetudo iuri consonet, satis est clarum in corpore iuris. Item quod talis sit in dicto regno consuetudo, notorium est. Et si expedit, me offero probaturum id, quod michi circa predicta sufficiat, assignato per Vos termino competenti. Item probat predicta littera Ladislavi,

inter alias missa universitati Saxonum de Cibinio; que littera recte intuentibus satis magni est illativa timoris, considerata qualitate personarum ipsius domini Ladislavi scribentis, universitatum sacerdotum, contra quas scribitur, et verbis in littera ipsa contentis, seu modo loquendi. Ipse enim Ladislavus est vir potens, et quasi pars principalis contra dictos plebanos eo, quod filius suus est postulatus ecclesie Transsilvane. Ratione cuius, cuncta bona episcopalia possidet, et tamquam capud membra sua, scilicet ipsum capitulum, ferventer fovet. E converso dicti plebani sunt debiles, et predicta ratione ipsi Ladislavo odiosi. Item iustam causam timoris expresse indicant verba, contenta in littera Ladislavi, et modus loquendi. Nam cum esset rogatus a tanta universitate, sicut est Saxonum, quod dignaretur dictis plebanis concedere securum transitum per districtum suum ad dominum legatum, ipse Ladislavus precibus dicte universitatis non directe respondit, sic vel non; sed per circumlocutionem verborum et obloquendo respondit, dicens: Amoneo Vos, quod ipsos plebanos inducatis, ut appellationi, quam fecerunt con ra capitulum predictum, renuncient &c. — Quod in veritate nichil est aliud dicere, nisi: Vos rogatis me de hoc, et ego rogo Vos de hoc. Et nisi feceritis michi hoc, ego non faciam Vobis hoc. — Que verba, non est dubium, continere terrorem. Quem terrorem postmodum evidenter expressit in fine littere, dicens comminando: Ne forte contingat eis gravius ipsum litigium. — Item quod predicta verba essent comminatoria et illativa terroris, patet per interpretationem et intellectum, quem ex dicta littera elecerunt *(sic)* tot prelati et comites, et universitas per suas patentes et autenticas litteras super hoc confecerunt. Protestantes, dictum Ladislaum denegasse eis securitatem itineris, et comminatum fuisse; hoc expresse colligentes ex modo loquendi, quem fecit Ladislaus, tanquam qui cognoscunt mores et consuetudinem ipsius. Item quod ipse fuerit comminatus, patet per plures testes, saltem per quinque, qui iurati dixerunt, se vidisse et audivisse litteras Ladislavi comminatorias dictorum plebanorum, qui volebant venire ad legatum, et ex multis aliis inditiis et coniecturis, quas colliget industria presidentis. Ex quibus constat, probata esse ad plenum predicta impedimentum et iustam causam timoris. Item quod ipse L.[1] denegaverit eis securum aditum, patet; ipsa enim universitas Saxonensis bis, diversis temporibus, preces interposuit pro securitate predicta apud ipsum L. Qui prima vice respondit sine litteris, expresse denegando, quod petebatur. Secunda vice respondit per litteras comminatorias, quantum ad

[1] Ladislaus.

veritatem. Propter que responsa dicti universitas, prelati et comites asserunt in suis litteris, dictum L.[1] denegasse ipsis plebanis securum aditum ad comparendum coram domino legato in termino eis assignato. Non obstat predictis, quod dicit dictus magister Philippus, scilicet contineri in fine litterarum comitum et universitatis sedis Cibiniensis, quod Ladislavus nullum prestitit impedimentum; quia simpliciter dico, hoc ibi non contineri. Item non obstat, quod dicitur, quod predictis, qui testimoniales litteras confecerunt, non est danda fides eo, quod testificati sunt sine mandato iudicis &c. Quia predicta non ut testes, in iudicio iurati, dixerunt, sed ut litteras autenticas, ad instar publicorum instrumentorum, conficientes, que etiam extra iudicium et sine iussu iudicis fieri habent, quibus plena fides adhibetur, ut superius est probatum. Item non obstat, quod dicitur, quod dicte littere universitatis Cibiniensis tolluntur per contrarias litteras Ladislavi. Nam ipse littere L. ex parte capituli Transsilvanensis producte, dicunt, non fuisse intentionis Ladislavi, dictos plebanos impedire, sed non ideo sequitur, quod dicti plebani non habuerint iustam causam timoris; cum vidissent, pariter et audissent litteras et nuncios cum oblocutionibus et minis transmissos; quibus, tanquam expresse patentibus, et non intentioni ipsius Ladislavi, que non patebat, stare debebant; cum potius verbis legis vel hominis, quam ipsorum intentioni, que quidem non patet, standum sit de iure. Et preterea, ut dicit Canon, humane aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant. Item et alia ratione ipsi littere credendum non est, cum plures littere, tam ipsius Ladislavi quam aliorum, ac etiam depositiones testium, in iudicio productorum, in contrarium appareant, ut superius continetur. Que quidem omnia, non est dubium, preponderare fidei unius solius littere. Item non obstat, quod dicitur, quod, sicut excusatorem miserunt, ita procuratorem mittere potuerunt. Hoc enim non procedit; cum in excusatore modica sufficiat, in procuratore vero multa ydoneitas requiratur, tanquam per cuius factum et utilitas et preiudicium domino generatur; quod non sic in excusatore contingit. Preterea excusatorem, sed non procuratorem, quia a iure compellitur, mittere maxime in gravibus causis, sicut ista erat. Permissione ergo iuris, procuratorem non miserunt, et sic penam non meruerunt. Item non obstat, quod dicitur, quod primus testis non facit fidem, quia non iuravit. Quia, etsi ob hoc fidem non faciat, presumptionem tamen et adminiculum probationis inducit. Item non obstat, quod dicitur

1 Ladislaum.

de eo teste, qui in animam suam et patris sui decumbentis iuravit. Nam etsi non faciat fidem, in quantum iurat in animam patris, facit tamen fidem, in quantum iurat in animam suam. Item non obstat, quod dicitur, quod dicti testes et alii non faciunt fidem, quia non dicunt terminationem litterarum comminatoriarum, nec dicunt annum, mensem et diem. Nam terminationes et extremitates litterarum predictarum et verba dicere non tenentur, sed sufficit, quod dicant effectum et intentionem ipsarum litterarum, prout dixerunt. Nam etiam illi, qui ipsas litteras fecerunt, hec omnia memorie habere non possent, nec exigitur, quod habeant. Item nec annum, mensem et diem tenentur exprimere; immo si exprimerent, non interrogati, suspecti essent, cum testes non debeant esse loquaces, nec debeant, nisi ad interrogata, respondere; ac etiam si interrogarentur et huiusmodi talia memorie non haberent, non imputatur secundum iura. Suffecit ergo, si interrogati super expurgatione contumacie illorum, responderunt, se vidisse litteras Ladislavi comminatorias contra procuratores dictorum plebanorum et universitatum. Item non obstat, quod dicitur, quod dicti testes fuerunt singulares, nam salva pace excipientis, non singulares, sed plures et plures fuerunt idem dicentes, ut patet in actis. Ex quibus concludo, me, nomine quo supra, absolvendum sine gravamine expensarum vel alicuius satisfactionis a sententia vel processu, si qui facti sunt contra eos vel me.

(Terminus communis ad allegandum.)

Quibus quidem litteris et replicationibus exhibitis, ut est dictum, dictus dominus auditor statim assignavit terminum predictis procuratoribus utriusque partis ad diem Jovis proxime futurum in vesperis, ad dandum in scriptis, quicquid voluerint, et ad allegandum super predictis, et alias ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit.

Tenor procuratorii dicti domini Bertoldi, de quo mentio fit superius, talis est:

(Aliud procuratorium pro clericis.)

Sanctissimo patri ac domino fratri Gentili, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, per totam Ungariam et regna annexa, totamque Poloniam sedis apostolice legato, Henricus plebanus in Mulnbach, Gorscalcus plebanus in Winz, Nicolaus plebanus in Pen, Michael plebanus de Villa Petri,[1] ceterique plebani de capitulo de Sebuz, Nicolaus decanus de Kozd, plebanus de Villa Jacobi, ceterique plebani eiusdem decanatus,

1 Péterfalva, tria fuerunt, in com. Küküllő maiori, minori, et Szebeniensi.

Bertoldus decanus de Kyzd, plebanus de Zegis, ceterique plebani eiusdem decanatus, oscula pedum beatorum. Sanctitati Paternitatis Vestre harum serie litterarum duximus significandum, quod discretum dominum magistrum Johannem auditorem causarum in curia vestra facimus, constituimus et ordinamus, et dominum Bertoldum decanum de predicto capitulo de Zebus, plebanum de Kelneke, nostros procuratores in solidum in vestra audientia, actores, factores ac nuncios speciales in causa vel in causis civilibus omnibus vel criminalibus, quas habemus vel habituri sumus cum capitulo beati Michaelis ecclesie Transsilvanensis in curia vestra, ad agendum, defendendum, accusandum, excusandum, litem contestandum, de calumpnia et cuiuslibet alterius generis iuramenta in animas nostras prestandum, defectum et crimina opponendum, positiones faciendum, et alterius partis positionibus respondendum, paciscendum, transigendum, in integrum restitutionem petendum, advocatos conducendum, unum vel plures procuratores substituendum, salaria promittendum, appellandum, absolutionem petendum et recipiendum, omnia et singula faciendum, que nos personaliter facere possemus, etiam si mandatum exigant speciale. Promittentes, ratum et firmum habere, quicquid per dictos procuratores actum fuerit. Et volentes eos relevare ab onere satisdationis, promittimus omnibus, quorum interest, de iudicio sisti, et iudicato solvendo in omnem suam clausulam, sub obligatione bonorum nostrorum et ecclesiarum nostrarum. In cuius procuratorii evidentiam, cum sigillo provincialium sedis Cibiniensis, et sigillo conventus fratrum Predicatorum Cibiniensium, necnon sigillorum nostrorum munimine presentia duximus roboranda. Datum anno Domini MCCCVIIII. XIIII. kalendas Martii.[1]

(Exhibitio cuiusdam littere pro clericis, et terminus communis ad interloquendum.)

Die Jovis, XV. Maii, dicte VII. indictionis, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore predictis procuratoribus utriusque partis, dictus dominus Bertoldus, suo et eorum, quorum procurator est, [nomine,] produxit et exhibuit in iudicio litteras infrascriptas, cum cera alba sigillatas a tergo. Quas quidem litteras dictus magister Philippus procurator substitutus partis adverse dicebat recipiendas et admittendas non esse, cum non sint infra debitum tempus producte. Et ex adverso dicebatur contrarium. Unde tam super litteris ipsis recipiendis vel non, quam super multis aliis, dictis

[1] 16. Februarii.

et allegatis hinc inde per advocatos et procuratores utriusque partis, scilicet super impedimento predicto, dictus dominus auditor assignavit terminum utriusque partis procuratoribus memoratis ad diem Sabati proxime futurum, ad audiendam interlocutoriam super predictis, et alias ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit. Tenor vero dictarum litterarum talis est:

(Littere pro clericis.)

Nos Gobolinus, Nicolaus, comites sedis Cybiniensis, atque universitas eiusdem, harum serie litterarum recognoscimus, quibus expedit, universis, in animas nostras protestantes, quod pro capitulis, videlicet de Sebus, de Kozd, de Kyzd, de Spring, de maiori Kukullu, de minori Kukullu, et de Crizd, litteras provincialium per dominum Reinherum plebanum de Superiori Apoldia, necnon dominum Nicolaum plebanum de Lanchenrukindorf[1] transmisimus illustri principi domino Ladislavo woyvade Transilvano, cum summo studio exhortantes, quatenus eisdem, causa iustitie et nostrorum obsequiorum, transitum concederet per sui iudicii districtum, quia citati starent responsuri coram venerabili domino legato fratre Gentili, ad instantiam dominorum canonicorum ecclesie Albensis Transsilvanensis; quod precibus nostris finaliter denegavit, nisi forsitan cessarent predicta capitula de appellatione, quam ad curiam Romanam fecerunt laboribus gravibus et expensis, a festo beati Jacobi usque presens tempus. Ceterum super huiusmodi timore predicti sacerdotes malentes se ponere ad fortunam, dominum Bertoldum decanum de Zebus, plebanum de Kelneke, et dominum Ulricum plebanum de Sancta Katherina, procuratores supradictorum capitulorum constituerunt, ad obediendum domino legato. Quo percepto et audito, nostre discretioni nobis visum est, quod idem procuratores in terra permanerent, ne forte per captivitatem eorum, quam in ipsis dominus woyvada facere posset, robur firmum amicitie et pacis inter dominum woyvadam et provinciam rumperetur. Quapropter precepimus eisdem, quatenus excusatorem fratrem H.[2] ordinis Predicatorum pro se excusandis ad dominum legatum transmittere non tardarent. Datum anno Domini MCCCVIII. IIII. nonas Decembris.[3]

(Prorogatio dicti termini.)

Die Sabati, VII. dicti mensis Maii, eiusdem indictionis, dominus Philippus auditor predictus de predictorum utriusque partis voluntate pro-

[1] Fors. Lamkerék, germ. Langendorf, Lamkrem, in comit. Szebeniensi.
[2] Henricum.
[3] 2. Decembris.

curatorum, presentium in iudicio coram eo, supradictum terminum, ipsis procuratoribus datum ad hodie, ad diem Martis proxime futurum ex causa in eisdem finibus prorogavit.

(Alia prorogatio ad idem.)

Die Martis, XX. dicti mensis, adhuc dictus dominus auditor de predictorum procuratorum utriusque partis voluntate unanimi, quia videbantur ad concordiam devenire, supradictum terminum ad proximum alium diem Martis futurum in vesperis in eisdem finibus prorogavit.

(Alia prorogatio ad idem)

Die Martis, XXVII. dicti mensis Maii, item dictus dominus auditor ad predictorum procuratorum utriusque partis instantiam, predictum terminum ad diem Veneris proxime futurum in vesperis in eisdem finibus prorogavit.

(Interlocutoria pro clericis.

Die vero Veneris, penultimo dicti mensis, comparentibus dictis procuratoribus utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, et petentibus super receptione tantum predictarum litterarum seu instrumenti facienda, vel non, de iure interlocutoriam ferri, idem dominus auditor, habita deliberatione sollempni, pronunciavit interloquendo, dictas litteras seu instrumentum fore admittendum et recipiendum in causa predicta, ipsumque, prout de iure erat, admisit et recepit. Et statim, adhuc in ipso iudicio, dictus magister Philippus substitutus, nomine quo supra, exhibuit et dedit in scriptis contra ipsum instrumentum et litteras exceptiones infrascriptas, quarum tenor talis est:

(Exceptiones pro capitulo.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea, auditore domini legati, Philippus de Cingulo, procurator substitutus capituli et ecclesie Transsilvane, dicit et protestatur in iudicio, quatenus cedulam scriptam et a tergo quodam sigillo rotundo de cera communi sigillatam, productam ultimo per procuratorem partis adverse, quod dicta cedula recipi et admitti non debet, cum partem adversam in aliquo non relevet eo, quod non est autentica, nec per autenticas personas concessa. Nam in ipsa cedula dicitur, quod Gobolinus et Nicolaus ac universitas Cibiniensis litteras provincialium ad predictum woyvodam miserunt, rogantes, ut presbyteris et plebanis et eorum procuratoribus aditum daret ad dominum legatum; et dicunt, quod ipse woyvada denegavit illud facere. Nec constat de litteris illorum pro-

vincialium, nec dicitur ibi, quorum provincialium et quando, ac per quem huiusmodi littere eidem woyvade, et ubi presentate fuerunt. Videntur enim ipsi predicta ex ipsorum proprio motu dicere, quia non rogati seu requisiti per aliquem dicti Gobolinus et N.[1] seu universitas ad predicta processerunt, tanquam malivoli et inimici capituli supradicti; et etiam huiusmodi laicorum littera seu scriptura extra potentiam et districtum eorum nullam fidem faciunt, quia eorum sigillum non est in notitia aliorum hominum, nec fidem faciunt in foro ecclesiastico, et inter ecclesiasticas personas de iure.

Item esto sine preiudicio, quod fidem facerent, quod negatur expresse, excipiendo dicit idem Philippus procurator substitutus, quod dicti Go. et Ni.[2] ac universitas Cibiniensis sunt capitales inimici capituli et ecclesie Transsilvane predicte, et sic eorum testimonium et littera seu scriptura contra dictum capitulum admitti non debet. Cum ipsa universitas anno Domini MCCLXXVII. in dominica Reminiscere[3] super eandem ecclesiam cathedralem manu armata irruentes, ipsam hostiliter invaserunt, comburentes in eadem ecclesia bene ad duo millia hominum utriusque sexus, et specialiter Agabitum archidiaconum eiusdem ecclesie, Michaelem archidiaconum de Ozd, Bartholomeum archidiaconum de Kukullu, Racham plebanum et canonicum Albensem Transsilvanensem, et quam plures alios sacerdotes et clericos, comburendo et auferendo omnia ornamenta, libros et instrumenta dicte ecclesie et alia, que dicta ecclesia inibi habebat. Propter quod dicta universitas et singulares persone eiusdem excommunicationis sententiam incurrerunt, a qua nondum relaxati fuerunt, prout de predictis est et fuit in regno Ungarie publica vox et fama inter archiepiscopos, episcopos et prelatos ac barones, et alios dicti regni.

Item littere predictorum Gobolini et N.[4] ac universitatis Cibiniensis, tanquam rebellium sancte Romane ecclesie, domini legati et domini Caroli regis Ungarie, non faciunt fidem, nec eis est fides aliqua adhibenda, cum ipsi nitantur et nisi fuerint introducere in regnum Ungarie Ottonem de Baveria[5] pro rege dicti regni, et ipsum in principio introduxerunt; et inimicantur eidem ecclesie et capitulo, quia dicunt ipsum Ottonem captum

1 Nicolaus.
2 Gobolinus et Nicolaus.
3 21. Februarii.
4 Nicolai.
5 Otto de Bavaria, filius Henrici ducis Bavariæ et Elisabethæ, filiæ Belæ IV. regis Hung. — rex Hungariæ 6. Decembris 1305—Maii 1307. Regis titulo usus est usque ad mortem (1312).

fuisse[1] consilio et auxilio episcopi et capituli Transsilvani. Et ob hoc anno preterito, de mense Februarii, feria secunda post dominicam Exurge,[2] eadem Cibiniensis universitas et communitas, cum sacerdotibus decanatus de Sebus, manibus armatis ecclesiam beati Michaelis Transsilvanorum hostiliter invadentes, in clericos et sacerdotes eiusdem ecclesie manus violentas turpiter iniecerunt, usque ad cancellos et sacristiam eiusdem, trudendo et fugando eosdem exertis gladiis et sagittis contra eos, prout de hiis est publica vox et fama in regno Ungarie et partibus illis. Propter que et alia dicit idem procurator, dictis litteris fidem adhiberi non debere, et ipsas nullam contra dictum capitulum et specialiter in hac parte fidem facere. Offerens se idem procurator, predicta, si necesse fuerit, probaturum loco et tempore condecenti, non astringens se ad singula probanda, nisi ad ea tantum, que sibi probata sufficiant. Super quibus petit idem procurator, dominum Bertuldum procuratorem partis adverse per sacramentum interrogari, et respondere eisdem.

(Terminus ad replicandum pro clericis.)

Quibus quidem exceptionibus exhibitis, ut est dictum, dictus dominus auditor assignavit terminum dicto domino Bertoldo procuratori partis adverse, ad replicandum, si voluerit, et alias ad procedendum in causa ipsa, ut de iure fuerit, ad diem Martis proxime futurum in vesperis.

(Replicationes clericorum.)

Die Martis, tertio mensis Junii, predicte indictionis, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore predictis procuratoribus utriusque partis, dictus dominus Bertoldus, procuratorio nomine quo supra, exhibuit et dedit replicationes infrascriptas, quarum tenor talis est:

Coram Vobis &c. Constitutus ego Bertoldus decanus de Sebus, procurator septem capitulorum et quorundam plebanorum de dictis capitulis, nomine meo et eorum, quorum sum procurator, replicando contra exceptiones, propositas per magistrum Philippum de Cingulo procuratorem capituli Transsilvanensis adversus litteras provincialium, per me in iudicio productas, ad defensionem iuris mei et eorum, quorum sum procurator, dico et propono, dictas exceptiones non obstare. Nam non obstat, quod dicitur, non constare de litteris illorum provincialium, quia in veritate de eis constat per autenticas litteras, per me, ut predicitur, in iudicio productas.

[1] Otto rex Hung. per Ladislaum vaivodam Transsilv. a. 1307. tempore veris captus est, et Albæ Juliæ in captivitate detentus.
[2] 19. Februarii a. 1308.

Et esto, quod non constaret, nil facit ad rem. Nam constat, ipsum woyvadam ex parte dictorum provincialium rogatum de transitu concedendo, transitum ipsum denegasse; et hoc constat per dictas litteras autenticas. Nec obstat, quod dicitur, quod non constat, quorum provincialium littere transmisse fuerint predicto woyvade. Nam ipsi iidem, qui dictas autenticas litteras conscripserunt, sunt illi, qui communi vocabulo et consueto provinciales nuncupantur. Item non obstat, quod dicitur, non constare, quando, ubi et per quos dicte littere provincialium dicto woyvade presentate fuerunt. Nam quandocunque, ubicunque et per quoscunque fuerint presentate, sufficit. Ex quo constat, de quo ipse woyvada rogatus fuit per ipsos provinciales, et de responsione, quam fecit. Item non obstat, quod dicitur, quod ipsa universitas videntur predicta dicere eorum proprio motu, quia non rogati seu requisiti per aliquem &c. Nam dico, ipsam universitatem requisitam fuisse de predictis; et hoc me offero probaturum suo loco et tempore, si necesse fuerit. Attamen dico, predictas litteras, ut iacent, fidem facere de consuetudine regni, etiam extra potentiam ipsius universitatis, et inter personas ecclesiasticas. Item non obstat, quod dicitur, quod dicti Gobolinus et Nicolaus et universitas sunt inimici capitales dicti capituli. Nam hoc non credo, nec est causa inimicitiarum inter eos; et ipsi canonici ire possunt et vadunt, quando placet eis, per districtum ipsius universitatis, liberi et securi; et dicta universitas eos honorat factis et verbis; et hoc patet etiam per ipsas litteras, in quibus dicta universitas appellat dictos canonicos dominos canonicos ecclesie Albensis Transsilvane. Et quod dicitur de invasione Albensis ecclesie et combustione hominum et quorundam canonicorum et de aliis, que in exceptione sunt, non obstat. Nam si quid de predictis factum est, hoc factum est per quendam nobilem, nomine Johannem, filium Alardi comitis de Salisforio. Qui Johannes voluit ulcisci mortem dicti patris sui, quam procurasse dicitur episcopus Albensis; collectis consanguineis et amicis, aliqua incendia et hominum cedes fecit. Hoc faciens contra episcopum Petrum et tres canonicos, qui ipsam mortem procuraverunt. Et preterea quicquid fuerit, hoc non obstat. Nam facta fuit pax plena; et post hec dictus episcopus per dictam provinciam pluries, ut sibi placebat, ivit, consecrando ecclesias et altaria, et alia faciendo cum canonicis Albensis ecclesie et sine eis, ut pater inter filios facere consuevit. Et, ut predicitur, dicti canonici post dictam pacem, ante mortem episcopi et post, iverunt, steterunt et rediverunt per dictam provinciam pro libito voluntatis, et hoc tempore vadunt, stant et redeunt ad velle eorum. Et certe, salva pace, procuratoris capituli indecens reputo, ut scintilla sopite discordie ad memoriam redu-

catur. Item non obstat, quod dicitur, dictam universitatem esse rebellem sancte Romane ecclesie et domini Caroli regis Ungarie. Nam salva pace excipientis, non rebelles, sed fideles, immo fidelissimi fuerunt, sunt et etiam intendunt imperpetuum Romane ecclesie ac domini Caroli veri regis Ungarie et catholicorum successorum suorum, et domino nostro domino fratri G.[1] apostolice sedis legato in omnibus et per omnia obedire spiritualiter et temporaliter, tanquam filii obedientie et devoti, desiderant, ut tenentur. Nec intendunt aliquem alium pro rege Ungarie recipere et habere, nisi predictum dominum Carolum et suos catholicos successores. Item non obstat, quod dicitur, quod dicta universitas cum sacerdotibus decanatus de Zebus, anno preterito, de mense Februarii &c. hostiliter invaserunt ecclesiam beati Michaelis &c. — quia ad hoc non fuit universitas predicta; sed ita factum se habuit, quod quidam de dicta universitate associaverunt quosdam plebanos, qui iverunt ad dominos canonicos Albenses, causa appellandi ab eis ad sedem apostolicam propter quedam gravamina; et dum isti plebani legerent libellum appellationis coram dictis canonicis, ipsi canonici immaniter in dictos appellantes, non sine magno contemptu apostolice sedis et domini pape, irruerunt, volentes eos nequiter captivare. Et tunc dicti appellantes dictorum canonicorum nequitiam et violentiam atrocem per fuge subsidium, et dictorum associantium adiutorium evadere satagerunt.

Insuper ego procurator predictus offero me, probare ea de predictis, que michi necessaria sunt probare. Non tamen me astringo ad probandum, nisi ea, que michi sufficiunt ad victoriam mee cause, dato michi per Vos termino competenti. Item offero me paratum iurare, quod verum credidero ad dicta partis alterius, ordinato et formato prius iudicio, ut ordinari debet.

(Terminus ad probandum communis.)

Quibus quidem replicationibus exhibitis et receptis, adhuc in eodem iudicio, quia procuratores utriusque partis asserebant, aliqua velle probare super iam propositis et dictis hinc inde, terminum competentem petentes ad faciendam probationem huiusmodi, et quia utrique parti super predictis probatio incumbebat, dominus Philippus auditor predictus statim predictis procuratoribus utriusque partis, ad probandum super predictis, quicquid voluerit, in curia vel extra curiam, trigintaquinque dierum, ab hodie in antea computandorum, terminum peremptorium assignavit.

---

1 Gentili.

(Productio articulorum pro capitulo.)

Die Sabati, VII. mensis Junii, predicte indictionis, comparentibus dictis procuratoribus utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, idem magister Philippus procurator, substitutus a dicto domino Sancto procuratore dicti capituli Transsilvanensis, exhibuit in iudicio articulos, et excepit infrascriptos. Petens eos admitti et recipi, et testes, quos nominandos duxerit, citari, recipi et examinari diligenter super ipsis. Quos articulos dictus dominus auditor admisit, salvo iure impertinentium et non admittendorum. Committens et mandans Zucche iurato nuncio curie domini legati, quod statim vadat et citet omnes illos, quos dictus magister Philippus sibi duxerit nominandos, quod die Lune proxime futuro compareant personaliter coram eo et peremptorie, ad perhibendum testimonium veritati super articulis ipsis. Statuit quoque terminum domino Bertuldo procuratori partis adverse ad diem Lune predictum, ad faciendum et dandum interrogatorium, si voluerit, et ad videndum iuramenta testium, producendorum per magistrum Philippum predictum ad probandum articulos memoratos, quorum articulorum tenor talis est:

(Articuli pro capitulo.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea canonico Arborensi, decretorum doctore, auditore reverendi patris et domini domini fratris G.[1] tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, et in hac causa specialiter deputato, Philippus de Cingulo procurator substitutus a domino Sanctio procuratore capituli Transsilvanensis, procuratorio nomine ipsius capituli, ad reprobationem littere comitum et universitatis Cibiniensis, producte in iudicio per dominum Bertuldum procuratorem decanorum et plebanorum de capitulis Transsilvanensis diocesis, cum quibus est in causa, per quam dicit dominum woyvadam licentiam denegasse eisdem decanis et plebanis ac ipsorum procuratoribus, quod tute possent per terrenum et potentiam ipsius domini woyvade transire ad dominum legatum et eius curiam, excipiendo dicit contra dictam litteram, et producentem eandem, quod dicta littera veritatem non continet, sed falsum, et ad hoc

Intendit probare et fidem facere Philippus procurator predictus, procuratorio nomine quo supra, quod de mense Novembris proxime preterito post octavam beati Martini,[2] dum supradictus dominus woyvada require-

1 Gentilis.
2 18. Novembris a. 1308.

retur ex parte dictorum decanorum et plebanorum, et per litteras dictorum comitum ac universitatis Cibiniensis, pro dictis decanis et plebanis, quod placeret sibi dare eisdem decanis et plebanis, ac ipsorum nunciis et procuratoribus licentiam et securitatem transeundi per terrenum ac potentiam ipsius woyvade, ad eundum ad dominum legatum pro ipsorum negotiis expediendis et procurandis, dictus dominus woyvada licentiam predictam petitam concessit, et quod nuncio sive nunciis predictorum, qui litteras supradictas rogatorias ad dictum dominum woyvadam portaverant, idem dominus woyvada suas litteras de securitate concessit, et securitatem cum suis litteris per provinciales publice fecit proclamari.

Item quod de predictis est et fuit publica vox et fama.

Predicta probare intendit procurator predictus, nomine quo supra, non ad omnia se astringens, sed ad ea tantum, que sibi sufficiant ad victoriam sue cause, non recedendo ab aliis probationibus et iuribus, suo loco et tempore faciendis.

(Relatio citationis testium.)

Die Lune, VIIII. dicti mensis Junii, Zuccha nuncius iuratus supradictus retulit dicto domino auditori et michi notario, se heri citasse personaliter subscriptas personas, ad petitionem dicti magistri Philippi procuratoris, secundum formam commissionis supradicte, videlicet:

Venerabilem in Christo patrem dominum ...[1] episcopum Varadiensem,
Nicolaum prepositum Orodiensem,
Mauritium plebanum de Crako[2] et
Petrum custodem ecclesie Colocensis.

(Juramenta testium.)

Eodem die, Nicolaus prepositus Orodiensis, Mauritius plebanus de Crako et Petrus custos ecclesie Colocensis, testes predicti, comparuerunt coram dicto domino auditore, presentibus dictis procuratoribus utriusque partis, et postquam per dictum Philippum, procuratorio nomine quo supra, producti sunt in testes ad probandum, que in dictis articulis continentur, iuraverunt ad sancta Dei evangelia, dicere veritatem super hiis, de quibus interrogati fuerint, super articulis memoratis, remoto odio, amore &c. premissis protestationibus dicti domini Bertoldi, tam contra testes, quam etiam contra dicta ipsorum.

(Substitutio pro clericis.)

Item eodem die, adhuc comparentibus in iudicio dictis procuratoribus

1 mericus episcopus Varadiensis 1297—1317.
2 Krakkó in comitatu Albensi inferiori.

coram dicto domino auditore, dictus dominus Bertoldus eorum nomine, quorum procurator est, substituit Vagnolum de Meuania, presentem et recipientem, in dicta causa et in omnibus aliis motis et movendis, ad omnia, que ipse habet in mandatis, tranferens in eum totaliter vices suas; et protestans, quod per comparitiones, quas ipse faciet, non intendit dictum substitutum revocare a sue procurationis officio, nisi expresse et nominatim revocaret eundem.

Qui Vagnolus substitutus predictus statim assignavit et dedit dicto domino auditori interrogatorium, secundum quod examinentur testes super articulis supradictis.

Nicolaus prepositus Orodiensis testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: Intendit probare &c. sibi lecto et exposito diligenter, dixit, se hoc tantum inde scire, quod dum ipse testis hoc anno post octavas sancti Martini recederet de curia domini legati, et iret ad partes Transsilvanas, ac vellet de mandato domini legati et domini archiepiscopi Strigoniensis procurare habere procuratores dicti domini legati in illis partibus, requisivit et rogavit dominum woyvadam ex parte predictorum dominorum, ut daret securitatem ipsi testi et omnibus clericis de partibus illis, procurandi dicta negotia domini legati, et libere eundi et redeundi per districtum et fortiam suam. Qui dominus woyvada respondit tunc ipsi testi, dicens se concessisse securitatem liberam ad petitionem universitatis de Cibinio et de provincia illa omnibus indifferenter, qui vellent ad curiam domini legati accedere. Et nichilominus dictus dominus woyvada tunc concessit licentiam huiusmodi per litteras suas apertas, quas ipse testis vidit, legit et portavit eas ad universos de partibus predictis, qui vellent ad curiam predictam venire. Interrogatus, in qua civitate, terra vel loco hoc fuit, — dixit, quod in Deua. Interrogatus, in qua domo, — dixit, quod in domo dicti domini goyvade.[1] Interrogatus, quibus presentibus, — dixit, quod lectore ecclesie sue, et multis aliis, de quibus non recordatur. Interrogatus, qui fuerunt nuncii dicte universitatis, — dixit, quod nescit de dictis nunciis, qui fuerunt, sed tantum scit de dictis litteris, quas ipse testis habuit, et de dicto verbo domini woyvade. Interrogatus, quo mense, — dixit, se non recordari, sed fuit post quindenam sancti Martini. Item dixit, quod audivit dici in Cibinio, quod proclamatum fuerat ibi pro parte dicti domini woyvade, quod omnes possent libere ad curiam domini legati

[1] Woyvode.

venire. Et ipse etiam testis similiter hoc fecit publicari ibidem in presentia sacerdotum, plebanorum et clericorum omnium, qui fuerunt in partibus illis, legendo ipsis dictas litteras, quas a dicto domino woyvada receperat, ut est dictum. Ex cuius securitatis causa... decanus de Cibinio et... nuncius decani de Brasso venerunt cum ipso teste, nomine eorum et aliorum omnium sacerdotum de Cibinio et de Brasso, ad dominum archiepiscopum Strigoniensem, et si alii voluissent, venire bene et libere potuissent, quoniam qui cum eo venerunt, fuerunt liberi et securi. Item interrogatus super articulo, qui incipit: Item quod de predictis &c., — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quod scit per hoc, quia ipse testis publice in Cibinio et Brasso fecit dictas litteras nunciari. Interrogatus, a quanto tempore fuit dicta publica vox et fama, — dixit, quod a predicto tempore post quindenam sancti Martini citra. Interrogatus, quot homines faciunt publicam vocem et famam, — dixit, quod tota congregatio hominum vel maior pars. Interrogatus, quam partem vellet optinere, — dixit, tantum unam, quantum aliam. Interrogatus, si hoc testimonium tulit hodio, amore, pretio &c., — dixit, quod non.

Venerabilis in Christo pater dominus Emericus episcopus Varadiensis, remisso sibi sacramento de voluntate procuratorum utriusque partis, testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: Intendit probare &c. — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, — dixit, quod hoc anno, post festum sancti Martini vidit ipse testis quasdam litteras concessas per dominum woyvadam decanis et prepositis ac plebanis de partibus Transsilvanis, ut libere et tute possent ire et redire per territorium suum, quas litteras ostendit ipsi domino episcopo Nicolaus prepositus Orodiensis, tunc transiens per ipsum dominum episcopum, profecturus ad Transsilvanas partes predictas. Interrogatus, quo sigillo erant sigillate dicte littere, et si erant clause vel non, et si erant a tergo sigillate vel aliter, — dixit, quod sigillate erant sigillo consueto dicti domini woyvade a tergo et erant patentes. Interrogatus de loco, — dixit, quod in quodam predio ecclesie sue, quod vocatur Benenes.[1] Item dixit, quod post octo dies vel circa venit ad ipsum dominum episcopum quidam, qui asserebat se nuncium dicti domini woyvade, et velle proclamare publice in Varadino pro parte dicti domini woyvade, quod omnes possent libere et tute ire et mercari per terram et districtum suum, petens ab ipso domino episcopo licentiam proclamationem huiusmodi faciendi, quam licentiam episcopus ipse concessit. Item dixit,

[1] Forsitan Belényes in comitatu Bihariensi.

quod circa initium quadragessime, dum ipse dominus episcopus iret personaliter ad dictum dominum woyvadam pro certis negotiis, ei commissis per dominum legatum, et loqueretur cum eo, ac diceret sibi, quare non mittebat pecuniam debitam domino legato, dictus dominus woyvada inter alia sibi respondit et dixit, quod pecunia parata erat et intendebat mittere eam cito, et addidit, quod ad petitionem decanorum, prepositorum et plebanorum de partibus Transilvanis, ipse concesserat illis securitatem, quod tute et libere possent pro ipsorum negotiis ad dictum dominum legatum venire, et si esset necesse, ipse intendebat facere ipsos associari et conduci per familiam suam, ut securius pervenirent ad dominum legatum predictum, usque ad fines territorii sui, et aliter nescit, que in ipso articulo continentur.

Item interrogatus super alio articulo de publica voce et fama, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quod communiter audivit dici. Interrogatus, ubi est dicta publica vox et fama, — dixit, quod in Varadino. Interrogatus, a quanto tempore citra, — dixit, quod a tempore supradicte proclamationis. Interrogatus, quid est publica vox et fama, — dixit, quod id, quod est omnibus notum et notorium. Interrogatus, quot homines faciunt publicam famam, — dixit, quod nescit. Interrogatus, quam partem vellet optinere, — dixit, quod quamlibet tantum, quia quelibet pars sunt amici sui. Item interrogatus, si predicta dixit odio, amore vel prece vel instructus, — dixit, quod non.

Mauritius plebanus de Crako testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: Intendit probare &c. lecto sibi toto ipso articulo, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, — dixit, quia vidit et audivit et fuit presens, quando dictus dominus woyvada licentiam concessit, que in dicto articulo continetur. Interrogatus, in qua civitate vel castro, — dixit, quod in Deua. Interrogatus, in qua domo, — dixit, quod in propria domo dicti domini woyvade. Interrogatus, quibus presentibus, — dixit, quod Paulus filius Ladislai castellanus castri Deue, comes Andreas filius Johanka, Bas filius Balose, Johannes de Lomb, Johannes Rufus cognatus Pauli supradicti, et quam plures alii fuerunt presentes. Interrogatus, qui fuerunt illi, quibus dominus woyvada dictam securitatem concessit, — dixit, quod fuerunt duo sacerdotes, asserentes se fore nuncios dictorum decanorum et plebanorum ac universitatis de Cibinio, quos ipse testis vidit presentare litteras dicto domino woyvade pro parte universitatis de Cibinio, sed illorum nomina nescit. Dixit, tantum se vidisse et legi audivisse dictas litteras universitatis de Cibinio, rogantis dictum

dominum woyvadam, ut predictam securitatem concederet decanis et plebanis predictis. Interrogatus, quis legit dictas litteras, — dixit, quod Stephanus notarius domini woyvade. Interrogatus, quo mense hoc fuit, — dixit, quod de mense Novembris proxime elapso. Interrogatus, quis fuit tenor litterarum domini woyvade, super dicta securitate concessarum, — dixit, se nescire, quia non legit. Interrogatus, in qua terra vel domo litteras predictas concessit, — dixit, ut supra. Dixit tantum, quod litteras predictas de securitate ipse testis non vidit, dictus dominus woyvada mandavit suas litteras fieri de securitate predicta, ipso teste audiente. Interrogatus, in quo loco vel locis dictus dominus woyvada fecit fieri proclamationem in dicto articulo contentam, — dixit, quod ipse testis audivit proclamationem huiusmodi in Alba Transsilvanensi. Interrogatus, per quem, — dixit, quod non cognovit eum nomine. Interrogatus, in qua forma, — dixit, quod in tali videlicet: Quicunque volunt ire ad dominum legatum, vadant liberi et securi per totum territorium pertinens ad dictum dominum woyvadam. Interrogatus, quomodo scit, quod dicta proclamatio facta fuerit de mandato ipsius domini woyvade, — dixit, quia ipsa proclamatio dictabat fieri se de mandato suo. Interrogatus, quo anno et quo mense facta fuit dicta proclamatio, — dixit, quod anno proxime elapso, et ut credit, de mense, quo octava est sancti Martini. Item interrogatus super ultimo articulo, de publica fama, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quod scit per ea, que supra testificatus est. Interrogatus, a quanto tempore fuit inde publica fama, — dixit, quod nescit aliter, nisi ut dixit. Interrogatus, quid est publica vox et fama, — dixit, quod nescit aliud, nisi ut supra dixit. Interrogatus, quam partem vellet optinere, — dixit, quod nec unam nec aliam. Interrogatus, si predicta dixit odio, amore, prece vel pretio vel instructus ab aliquo, — dixit, quod non, sed dixit puram veritatem.

Petrus custos ecclesie Colocensis testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: Intendit probare &c. lecto sibi ipso ar.iculo diligenter, — dixit, se audivisse dici a quodam, nomine Paulo, vicario ipsius testis in archidiaconatu de Keue, referente sibi, se vidisse nuncios dictorum decanorum et prepositorum coram domino woyvoda pro dicta licentia impetranda, et audivisse, dictum dominum woyvadam predictam licentiam concessisse, et aliud inde nescit. Item interrogatus super II. et ultimo articulo de publica fama, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, — dixit, quod ipse testis habuit litteras a

dicto domino woyvada hortatorias et rogatorias, quod deberet assistere pro eo coram domino rege et domino legato contra omnes, qui vellent aliquid obicere contra eum; et in ipsis litteris mentio erat, quod ipse concesserat licentiam et securitatem dictis decanis et plebanis et omnibus venire volentibus ad dominum memoratum, aliud vel aliter nescit.

(Pro capitulo.)

Die Jovis, XII. dicti mensis Junii, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore predictis procuratoribus substitutis utriusque partis, quia dictus magister Philippus petebat novum terminum sibi dari, ad probandum exceptiones et articulos suos predictos, asserens, se petivisse dictum terminum hora, qua exceptiones seu articulos ipsos produxit, licet non reperiatur in scriptis, dictus dominus auditor, ad probandum exceptiones et articulos ipsos, per totum cras dicto magistro Philippo, presenti et petenti, terminum peremptorium assignavit.

(Pro capitulo.)

Et statim dictus magister Philippus, nomine quo supra, produxit in eodem iudicio ad probationem dictarum exceptionum et articulorum attestationes testium, receptorum super ipsis, et quicquid actum est et secutum a die et hora, qua huiusmodi articulos et exceptiones produxit. Dicto Vagnolo protestante ex adverso, omnes exceptiones sue partis salvas esse, tam contra dictos testes, quam dicta ipsorum et totum predictum processum.

Die Veneris, XIII. mensis Junii, predicte indictionis, magister Philippus procurator predictus, constitutus coram dicto domino auditore, presente dicto Vagnolo procuratore alterius partis, produxit infrascriptos testes, presentes in curia, ad probandum exceptiones et articulos suos predictos; petens ipsos testes recipi et examinari diligenter super exceptionibus et articulis memoratis, quorum testium nomina hec sunt:

Venerabilis in Christo pater dominus Emericus episcopus Varadiensis,
Nicolaus prepositus Orodiensis,
Mauritius plebanus de Crako, et
Petrus custos ecclesie Colocensis.

(Pro capitulo.)

Qui omnes testes, excepto dicto domino . . . episcopo Varadiensi, cui de voluntate procuratoris utriusque partis iuramentum remissum est

ratione dignitatis persone, iuraverunt ad sancta Dei evangelia, super dictis exceptionibus seu articulis dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, precibus et timore, presente dicto Vagnolo et protestante, omnes suas exceptiones, nomine quo supra, sibi salvas fore contra testes ipsos et eorum dicta, et contra totum processum predictum. Qui testes deinde interrogati, seorsum eorum dicta deposuerunt, sicut inferius continetur.

Venerabilis in Christo pater dominus Emericus episcopus Varadiensis testis, interrogatus diligenter super dictis exceptionibus et articulis, dixit idem in omnibus et per omnia, ac de verbo ad verbum, nichil addito vel mutato, prout alias testificatus est super ipsis, ut superius continetur.

Nicolaus prepositus Orodiensis testis, interrogatus diligenter super dictis exceptionibus et articulis, dixit idem in omnibus et per omnia, ac de verbo ad verbum, nichil addito vel mutato, prout alias testificatus est super ipsis, ut superius continetur.

Mauritius plebanus de Crako testis, interrogatus diligenter super dictis exceptionibus et articulis, dixit idem in omnibus et per omnia, ac de verbo ad verbum, nichil addito vel mutato, prout alias testificatus est super ipsis, ut superius continetur.

Petrus custos Colocensis testis, interrogatus diligenter super dictis exceptionibus et articulis, dixit idem in omnibus et per omnia, ac de verbo ad verbum, nichil addito vel mutato, prout alias testificatus est super ipsis, ut superius continetur.

(Citatio utriusque.)

Die Sabati, XIII. dicti mensis Junii, Zuccha serviens et nuncius iuratus dicte curie retulit dicto domino auditori et michi notario Angelo, se citasse heri de mandato dicti domini auditoris ambos predictos procuratores substitutos utriusque partis in hunc modum, videlicet ad petitionem dicti Vagnoli dictum magistrum Philippum, ut hodie ante tertiam veniret in iudicio coram ipso domino auditore, ad respondendum quibusdam positionibus producendis per ipsum Vagnolum in causa predicta, et dictum Vagnolum ad petitionem dicti magistri Philippi, quod in eodem termino veniret, ad videndum aperturam et publicationem testium predictorum, alioquin procedetur in predictis, iustitia mediante.

(Pro plebanis.)

Eodem die ante tertiam, comparentibus in iudicio coram dicto domino Philippo predictis procuratoribus substitutis utriusque partis, dictus Vagnolus, nomine partis sue, exhibuit in scriptis positiones et articulos infrascriptos,

petens dictum magistrum Philippum cogi, iuramento prestito, ad respondendum eisdem. Jurans dictus Vagnolus in anima sua, corporaliter tacto libro, se credere vera esse, que in ipsis positionibus continentur.

(Pro eisdem.)

Ad quas quidem positiones dictus magister Philippus de mandato dicti domini auditoris respondit, prout in fine ipsarum cuiuslibet continetur. Prestito per eum prius ad sancta Dei evangelia iuramento in anima sua, super ipsis positionibus veritatem respondere, quam credit. Quarum positionum et articulorum tenor talis est:

(Pro eisdem.)

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo auditore &c. ponit Vagnolus de Meuanea procurator substitutus a domino Bertoldo procuratore septem capitulorum Transsilvanensis diocesis et quorundam plebanorum de dictis capitulis, existentium in questione cum capitulo Albensis ecclesie, infrascripta, videlicet:

In primis, quod generalis consuetudo est in regno Ungarie, quod littere prelatorum, eorum sigillis sigillate, fidem faciunt in iudiciis, tam ecclesiasticis quam secularibus.

— Credit de veris litteris, nisi reprobentur propter aliquem defectum, apparentem in eis, propter quem debeant reprobari.

Item quod generalis consuetudo est in dicto regno, quod littere baronum, eorum sigillis sigillate, fidem faciunt, tam in ecclesiasticis quam secularibus iudiciis.

— Credit, quod in secularibus, sed quod in ecclesiasticis fidem faciant, non credit.

Item quod generalis consuetudo est in dicto regno, quod littere comitum fidem faciunt in iudiciis, tam ecclesiasticis quam secularibus.

— Credit, ut supra in proxima.

Item quod littere comitatuum de consuetudine regni predicti, eorum sigillis sigillate, fidem faciunt in iudiciis, tam ecclesiasticis quam secularibus.

— Credit, ut supra in secunda positione.

(Pro decanis.)

Item quod de predicta consuetudine littere quorumlibet presidentium in iurisdictione in dictis iudiciis fidem faciunt.

— Credit, quod littere secularium in secularibus, et littere ecclesiasticorum in ecclesiasticis fidem faciant.

Item quod dicta consuetudo est quiete servata in regno prefato tanto tempore, cuius non est memoria, et adhuc servatur.

— Credit de litteris ecclesiasticorum in ecclesiasticis, et de litteris secularium in secularibus.

Item quod inter capitulum Albensis ecclesie et universitatem Cibiniensem non sunt inimicitie.

— Ad hanc non est cohactus respondere, quia est negativa.

Item quod canonici dicti capituli possunt ire et redire secure per territorium dicte universitatis sine metu ipsius universitatis.

— Ad hanc dictum est, non debere respondere, quia dicitur posuisse contrarium.

Item quod esto sine preiudicio, quod inter predictum capitulum et dictam universitatem aliqua fuerit olim scintilla discordie, illa a duobus annis citra non fuit, nec modo est inter ea.

— Dependet.

(Pro capitulo.)

Item eodem die et in eodem iudicio, ad petitionis instantiam dicti magistri Philippi dictus dominus auditor pronunciavit, supradictorum testium dicta fore aperta et publicata, et pro apertis et publicatis haberi, dicto Vagnolo protestante, quod sibi et parti, cuius procurator est, ipsa apertura et publicatio non preiudicet, quin possit articulari et probare in dicta causa de iure suo, dilatione pendente, quam habet, et omnes alias exceptiones sibi dicto nomine salvas fore, etiam contra testes predictos et dicta ipsorum.

(Pro decanis.)

Quibus quidem procuratoribus utriusque partis dictus dominus auditor statim assignavit terminum ad diem Jovis proxime futurum, ad recipiendum copiam attestationum ipsarum, et dicto Vagnolo ad dicendum contra, quicquid voluerit, et utrisque ad procedendum in dicta causa, ut postulat ordo iuris.

(Pro eisdem.)

Die Martis, XVII. dicti mensis, Vagnolus procurator predictus, eorum nomine, quorum procurator est, exhibuit et dedit infrascriptos articulos in causa predicta, presente dicto magistro Philippo procuratore alterius partis, petens ipsos recipi et admitti, etiam et mandari citari testes, per quos ipsos probare intendit, ut postulat ordo iuris. Quos articulos dictus dominus auditor admisit, salvo iure impertinentium et non admittendorum, committens et mandans Zucche nuncio iurato dicte curie, coram eo presenti, ut

citet et requirat illos testes, quos dictus Vagnolus ei duxerit nominandos, quod cras veniant personaliter coram curia, ad perhibendum testimonium veritati super articulis ipsis; citet nichilominus dictum magistrum Philippum, ut veniat ad videndum ipsorum testium iuramenta. Quorum articulorum tenor talis est:

(Pro eisdem.)

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo de Sardinea, decretorum doctore, auditore venerabilis patris domini fratris Gentilis apostolice sedis legati, intendit probare et fidem facere Vagnolus de Mevanea procurator substitutus a reverendo viro domino Bertoldo decano de Zebus, procuratore septem capitulorum de Transsilvis *(sic)*, et quorundam plebanorum de dictis capitulis, existentium in lite cum capitulo Transsilvane ecclesie, ad probationem iuris sui contra dictum capitulum, et contra magistrum Philippum de Cingulo procuratorem, substitutum a domino Sancto procuratore dicti capituli, infrascripta, videlicet:

I. In primis, quod a quinquaginta annis citra et supra de consuetudine obtentum est et servatum pacifice et quiete in regno Ungarie, quod littere baronum, sigillate sigillis ipsorum, fidem faciunt in iudicio ecclesiastico.

II. Item quod idem et eodem modo obtentum est de litteris aliorum nobilium laycorum.

III. Item quod idem et eodem modo obtentum est et servatum de litteris comitum et universitatum secularium.

IIII. Item quod idem et eodem modo obtentum est de litteris predictorum, confectis in ea forma, in qua sunt littere comitum et universitatis Cibiniensis, producte in iudicio coram Vobis, quas officio vestro peto testibus legi per Vos vel alium.

V. Item quod pluries et pluries per iudices ecclesiasticos iudicatum est secundum dictam consuetudinem, allegatam coram eis.

VI. Item quod idem et eodem modo obtentum est et servatum de litteris prelatorum, confectis in ea forma, in qua sunt littere quorundam religiosorum et secularium prelatorum, coram Vobis per dictum decanum procuratorem producte, quas similiter peto officio vestro exhiberi et legi testibus per Vos vel alium.

VII. Item quod inter predictum capitulum Transsilvanum et universitatem predictam Cibiniensem a duobus annis citra fuit pax, et ad presens est.

VIII. Item quod a dicto tempore citra canonici dicti capituli potuerunt, quando voluerunt, secure et libere, quantum est ex parte dicte uni-

versitatis, ire, stare et redire ad partes et loca, in quibus dicta universitas iurisdictionem et districtum habet.

VIIII. Item quod homines laici dicte universitatis a dicto tempore citra et modo predicto potuerunt, quando voluerunt, ire, stare et redire in territorium et districtum dicti capituli secure, quantum est ex parte dicti capituli.

X. Item quod pluries et pluries aliqui de dicto capitulo a dicto tempore citra et modo predicto iverunt publice in territorium et districtum dicte universitatis, et e converso aliqui de dicta universitate in fortia et districtum dicti capituli.

XI. Item quod de predictis est publica vox et fama in partibus Transsilvanis.

Predicta intendit probare dictus Vagnolus procurator, non adstringens se ad probandum, nisi ea, quorum probatio sibi necessario est, et que sufficiant ad victoriam sue cause.

(Citatio testium pro decanis.)

Die Mercurii, XVIII. dicti mensis, Zuccha nuncius iuratus predictus retulit se citasse dicto modo, quo sibi commissum est, infrascriptos testes, videlicet:

Magistrum Johannem canonicum Albensem Regalem,
Fratrem Jacobum de ordine Heremitarum,

Petrum mercatorem	
Mathiam canonicum Albensem	
Cyrzs mercatorem	habitatores Budenses.
Herricum mercatorem et	
Jaclinum	

(Juramenta testium pro decanis.)

Eodem die Mercurii in vesperis omnes predicti testes comparuerunt coram dicto domino auditore, et postquam per dictum Vagnolum, nomine quo supra, producti sunt in iudicio ad probandum, que in dictis articulis continentur, petentem eos recipi et diligenter examinari super ipsis, iuraverunt ad sancta Dei evangelia, super ipsis dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, pretio &c. presente dicto magistro Philippo et protestante, nomine quo supra, omnes suas exceptiones sibi salvas fore, tam contra ipsos testes et eorum dicta, quam contra totum processum predictum.

Cui magistro Philippo dictus dominus auditor assignavit terminum

usque ad cras in vesperis, ad recipiendum copiam dictorum articulorum, si voluerit, et ad faciendum interrogatorium, secundum quod interrogari debeant testes super articulis memoratis.

(Pro utraque parte.)

Die Jovis, XVIIII. mensis Junii, predicte indictionis, comparentibus dictis procuratoribus utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, pro parte dicti Vagnoli, nomine quo supra, dictum est, exceptionem propositam per dictum magistrum Philippum, super qua testes recepti sunt et examinati, ut superius continetur, non esse probatam; et ex adverso contrarium, scilicet ipsam exceptionem sufficienter esse probatam. Et sic petebat dictus magister Philippus pronunciari, ipsam exceptionem legitime fore probatam, et procedi deinde super negotio, ut postulat ordo iuris. Quibus et aliis super ipsis dictis hinc inde, dictus dominus auditor assignavit terminum utrisque predictis procuratoribus, ad comparendum cum advocatis ipsorum et disputandum et allegandum super ipsis probationibus, et alias ad procedendum, ut de iure fuerit, ad diem Sabati proxime futurum post nonas.

Die Sabati, XXI. mensis Junii, predicte indictionis, Zuccha serviens et nuncius iuratus dicte curie retulit, se citasse heri de mandato dicti domini auditoris, ad petitionem dicti Vagnoli procuratoris, dictum magistrum Philippum procuratorem alterius partis, quod hodie post missam et ante tertiam compareret coram dicto domino auditore, ad videndum iuramenta testium, producendorum per dictum Vagnolum in causa predicta. Alioquin reciperentur in absentia sua.

Eodem die post missam et ante tertiam, in sala dicte curie, Vagnolus procurator predictus produxit coram dicto domino auditore infrascriptos testes, coram eo presentes, petens ex officio suo, ipsos testes cogi ad iurandum, et testimonium perhibendum super articulis supradictis, quorum nomina sunt hec:

(Testes pro decanis.)

Frater Benedictus de Insula et
Frater Stephanus } de ordine Predicatorum
Johannes canonicus Albensis Transsilvanensis
Petrus custos Colocensis
Johannes prepositus Colocensis et
Johannes cantor Budensis.

Qui omnes testes, iussi a dicto domino auditore, iuraverunt ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacta, super dictis articulis dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, pretio et timore.

Item eodem die ante tertiam, in camera dicti domini auditoris, Vagnolus procurator predictus produxit coram dicto domino auditore infrascriptos testes, coram eo presentes, petens eos, ut supra, quorum nomina sunt hec:

(Alii testes pro decanis.)

Gallus prepositus Chasmensis et

Stephanus prepositus Vesprimiensis.

Qui duo testes, iussi similiter a dicto domino auditore, iuraverunt, ut alii proxime nominati, presente magistro Philippo procuratore partis adverse et protestante ac dicente, predictos testes admitti et recipi non debere, et esto quod admittantur et recipiantur, quod sibi nomine partis sue non preiudicet; cum ex adverso sufficienter probaverit talia, que impediunt illa, que probare nititur Vagnolus predictus; protestante etiam, omnes suas exceptiones sibi salvas fore, tam contra ipsos testes, quam contra dicta eorum; et statim produxit interrogatorium, secundum quod interrogentur dicti testes, si recepturi sint, super articulis memoratis; dicto Vagnolo in omnibus et per omnia in contrarium protestante, ac petente, ad receptionem et examinationem dictorum testium, iustitia mediante, procedi.

Interrogatorium Philippi de Cingulo super articulis per Vagnolum de Mevania productis.[1]

Si testes producti per Vagnolum procuratorem substitutum a domino Bertuldo &c. super primo articulo dixerint aliquid, vel vera esse, dictum ipsius testis seriatim scribatur super quolibet et queratur, quid est illud, quod verum est in eo, quod dicit et testificatur, et per quos obtentum et servatum est, et quorum baronum. Item ubi dicit in iudicio ecclesiastico, queratur, in quorum iudicio et inter quas personas, ecclesiasticas vel seculares, et de quibus questionibus, et si dixerit de visu, queratur de loco, anno, mense, die et quibus presentibus. Item queratur ultimo idem testis, quot annorum est, et de quot annis potest ad plus recordari.

Super secundo articulo, ut supra, distincte interrogentur, et interrogentur, de quibus nobilibus vidit observari, et de tempore, et ubi, et inter quos.

Super tertio de comitibus, ut primo, diligenter ac distincte interrogentur, et quorum comitum et cuius civitatis, et inter quos, et in cuius

[1] Hoc interrogatorium reperitur in fragmento inter folia 31 et 32 eiusdem codicis.

iudicio, et inter quas personas, ecclesiasticas vel seculares, et de quibus rebus.

Super IIII. articulo, qui dicit: Item quod idem et eodem modo obtemptum est de litteris predictorum, confectis in ea forma &c. querantur, ut supra, et que est et que fuit forma illarum litterarum, et si credit idem testis, quod dicte littere fiant aliquando per aliquos comites et specialiter per illos de Cibinio contra capitulum Transilvanense occulte, et quod aliter dicant in litteris, quam verum pro amicis ipsorum, et si credit vel scit, quod dicti comites et universitas de Cibinio foveant decanos et plebanos de septem decanatibus, et de hoc specialiter in quolibet capitulo, tangente de dictis comitibus et universitate, interrogentur, et interrogentur etiam, quis tenet sigillum dicte universitatis Cibiniensis, et si ille, qui ipsum sigillum tenet, posset et consuevit aliquas litteras sigillare, sine scientia communitatis et universitatis. Item si ipse littere, quia comites dicunt dominum vayvodam denegasse licentiam, et presentes non erant, faciunt fidem.

Super V. articulo, ubi dicit, quod per iudices ecclesiasticos, interrogentur distincte, ut supra, et interrogentur, per quos iudices, et super quorum baronum, vel nobilium, comitum aut universitatis litteris iudicaverunt, et de quibus rebus et inter quas personas, ecclesiasticas vel seculares, de anno, die et mense, ac presentibus.

Super VI. articulo, quia ibi dicit de litteris prelatorum, interrogentur, ut supra, distincte, ac interrogentur, ubi et inter quos, et in quibus iudiciis observatum est, et quorum prelatorum, et cuiusmodi prelationem habebant, si erant episcopi, abbates &c. et si in eisdem litteris, quorum consuetudinem iudicari et observari dixerint, erat data litterarum vel non, de anno, mense, die &c.

Super VII. articulo de pace, querantur, quomodo sciunt, quod a duobus [annis] citra fuerit pax, et nunc sit &c. et quis illam pacem fecit, et si prius erant dicti Cibinienses inimici predicti capituli, et interrogentur, si credit, quod inter se odiantur, scilicet Cibinienses contra dictum capitulum et e contra, licet nunc in personis non offendat eos, et si credunt, quod dicti Cibinienses propter odium, quod in corde habent contra dictum capitulum, foveant adversarios dicti capituli cum litteris et nunciis, et si ipsi Cibinienses libenter occulte dampnificarent dictum capitulum, si possent, et etiam in publico, si non timerent.

Super VIII. articulo, ut supra, interrogentur, et interrogentur, quomodo sciunt, et quos canonicos vidit ire ad illas partes, et si sciunt vel audierunt, quod fuerit in partibus illis in potentia dictorum Cibiniensium aliquis

ex canonicis Transilvanis verberatus et lesus cum eius familia, de anno, mense et die.

Super VIIII. ut supra, interrogentur, prout ex adverso dicunt, et si per pacem vel treugam unum *(sic)* ad alium vadunt.

Super aliis, ut supra, interrogentur, secundum quod cadit et oportet interrogari, et secundum ea, que dicunt. Et super quolibet interrogentur, si credit dictam universitatem Cibiniensem, et homines ipsius, licet forsan treughe sint, quod faveant in hiis, que possunt, dictos decanos et plebanos contra dictum capitulum et in odium dicti capituli, cum litteris vel aliis.

Insuper querantur dicti testes, si ipsi sunt litterati vel laici sine litteratura, et si fuerunt rogati, informati, moniti &c., et si odiunt dictum capitulum et eius canonicos, et quot annorum est ipse testis, et unde est natione, et si de alia, quam de regno Ungarie, fuerit, queratur, quanto tempore habitavit in isto regno, et in quo loco continue habitavit, et aliis modis, prout examinantis discretioni melius noverit *(sic)*.

Item interrogentur, si ab uno anno citra Saxones et decani ac presbyteri et plebani de septem decanatibus et alii mercatores et boni viri potuerunt, si voluerunt, secure per terram et potentiam domini vayavode transire, et ad curiam domini legati venire, vel non.

Item eodem die et in eodem iudicio dictus magister Philippus produxit tres litteras patentes, sigillatas sigillis a tergo, ad corroborationem attestationum testium productorum et receptorum super exceptione sua predicta, quarum litterarum tenor talis est:

(Littere prelatorum pro capitulo.)

Nos E.[1] miseratione divina episcopus Varadiensis tenore presentium, quibus expedit, significamus universis, quod cum dominus Ladislaus woyvada Transsilvanus et comes de Zonuk per communitatem de Cibinio, mediantibus litteris, fuisset ammonitus et rogatus, ut sacerdotibus de decanatu de Sebes et de aliis decanatibus Transsilvanensis diocesis ad exeundum ad dominum legatum per suum territorium viam daret liberam et securam, idem dominus woyvada petitionem ipsorum admisit et concessit. Insuper, mediantibus suis litteris, per suam tenutam et alias a quindena sancti Martini confessoris semper fecit publice proclamari, ut quilibet mercatores seu homines cuiuslibet conditionis per suam tenutam libere transeant et secure, quolibet timoris articulo postposito ac relegato. Et hoc in ani-

1 Emericus.

mas nostras dicimus protestando. Datum Bude, sexta feria proxima ante festum sancti Johannis Baptiste.[1]

Item:

Nos Benedictus[2] divina miseratione episcopus Chenadiensis significamus universis, quibus expedit, presentes litteras inspecturis, quod nos, qui confinia cum Transsilvanis partibus habemus, nec ex fama publica, nec ex personis particularibus intelleximus unquam aliud, quam quod omnis homo, sive clericus sive laicus, transeundi per omnem terram domini Ladislai woyvade, salvis rebus et personis, haberet liberam facultatem. Datum Bude, feria sexta ante festum Johannis Baptiste.[3]

Item:

Nos Martinus prepositus sancti Stephani prothomartyris de promontorio Varadiensi tenore presentium, quibus expedit, significamus universis, quod cum dominus Ladislaus woyvada Transsilvanus et comes de Zonuk de decanatu de Sebes et de aliis decanatibus Transsilvanensis diocesis, ad exeundum ad dominum legatum per suum territorium viam daret liberam et securam; idem dominus woyvada petitionem ipsorum admisit et concessit, insuper, mediantibus suis litteris, per suam tenutam et alias a quindena sancti Martini confessoris semper fecit publice proclamari, ut quilibet mercatores seu homines cuiuslibet conditionis per suam tenutam libere transeant et secure, quolibet timoris articulo postposito ac relegato, et hoc in animas nostras dicimus protestando. Datum Bude, sexta feria proxima ante festum sancti Johannis Baptiste.[4]

(Pro decanis.)

Quibus exhibitis et productis, statim dictus dominus auditor assignavit terminum dicto Vagnolo, ad recipiendum copiam de eisdem, et ad dicendum, quicquid voluerit, contra ipsas, ad diem Lune proxime futurum.

(Pro capitulo.)

Die Mercurii, XXV. Junii, comparentibus dictis procuratoribus utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, dictus magister Philippus, eo nomine quo supra, renunciavit omnibus aliis probationibus et productionibus faciendis, et que in posterum possent fieri, super predicta exceptione,

1 20. Junii.
2 Benedictus episcopus Csanadiensis 1306—1330.
3 20. Junii.
20. Junii.

proposita per ipsum, super qua testes examinati sunt supradicti; petens, super probationibus factis interloqui, ut postulat ordo iuris. Salvis sibi, nomine quo supra, omnibus suis exceptionibus et iuribus, ac etiam terminis statutis in causa pro utraque parte hinc inde, in suo robore nichilominus duraturis.

(Pro decanis.)

Item eodem die et in eodem iudicio Vagnolus procurator predictus produxit et exhibuit contra litteras proxime annotatas, productas per dominum magistrum Philippum, exceptiones infrascriptas, quarum tenor talis est:

(Exceptiones.)

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo &c. excipiendo propono ego Vagnolus procurator substitutus a domino Bertoldo procuratore septem capitulorum Transsilvanensis diocesis et aliorum, in sua procuratione contentorum, contra litteras productas per magistrum Philippum procuratorem substitutum a domino Sancto procuratore capituli Transsilvani, ad reprobationem litterarum communitatis de Cibinio:

In primis, quod littera domini episcopi Cenadiensis non derogat fidei litterarum dicte communitatis eo, quod in littera dicti domini episcopi non continetur, nisi quod non intellexit per famam vel alium modum, nisi quod quilibet potest venire secure per districtum dicti woyvade. Unde non sequitur, quod licet non intellexerit id, quod in dictis litteris communitatis continetur, ergo non est. Et preterea, si quid in littera dicti domini episcopi assertione continetur, illud est de auditu, et non de scientia, quod nichil facit ad rem.

Item quod in littera episcopi Varadiensis non est derogatoria fidei dictarum litterarum communitatis, et sibi fides adhibenda non est, quia salva pace sua, contrarium eius, quod in dicta littera continetur, testificatus est personaliter, ut patet in actis curie vestre, et preterea nichil continetur ibi de causa scientie super eo, quod in dicta littera continetur.

Item quod littera prepositi sancti Stephani Varadiensis non derogat fidei dictarum litterarum communitatis, tum quia non continetur ibi de causa scientie, tum quia expressum mandatum ibi continetur, cum ibi dicatur, dictum dominum woyvodam ad quindenam sancti Martini confessoris semper fecisse publice proclamari securitatem omnibus transeuntibus per tenutam suam, tum quia non continetur ibi, quo tempore facta fuit concessio clericis de decanatibus Transsilvanis; et sic non est contraria dicta sua littera dictis litteris communitatis, cum potuerit utraque littera

diversis temporibus processisse. Et sic non probat hoc esse, quod ob hoc contingit abesse; tum quia tempore, quo facta fuit denegatio, contenta in dictis litteris communitatis, ipse prepositus erat apud monasterium suum, et non in partibus Transsilvanis.

Quibus exceptionibus exhibitis et receptis, ac post multa dicta, allegata et disputata per advocatos utriusque partis super omnibus et singulis dependentibus ab exceptione predicta, dictus dominus auditor assignavit ipsis predictis procuratoribus substitutis terminum peremptorie ad comparendum coram eo, ad audiendum interlocutoriam per eum faciendam super probationibus et reprobationibus memoratis, ad diem Lune proxime futurum in vesperis, ultimum mensis presentis.

(Pro decanis.)

Die Sabbati, XXVIII. dicti mensis Junii, predicte indictionis, existentibus in iudicio coram dicto domino auditore predictis procuratoribus utriusque partis, dictus Vagnolus dicebat, se adhuc aliquos testes habere, per quos intendebat melius probare intentionem suam super articulis suis predictis, videlicet venerabiles in Christo patres, Zagrabiensem, Vaciensem, Quinqueeclesiensem et Chenadiensem episcopos;[1] petens eos et quemlibet eorum recipi et examinari diligenter super articulis memoratis. Et dum verba essent in iudicio inter procuratores eosdem, de iuramentis remittendis eisdem episcopis vel non, de citandis eis ad curiam personaliter vel non, de voluntate tandem procuratorum ipsorum dictus dominus auditor michi, Angelo notario dicte cause, commisit, ut ego ipse ad episcopos ipsos semotim accedam, et remisso dumtaxat iuramento dicto Zagrabiensi episcopo, ab aliis predictis iuramentum recipiam, super ipsis articulis dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, pretio et timore; ac ipsos et quemlibet ipsorum diligenter examinem super ipsis, iuxta interrogatorium, exhibitum per magistrum Philippum predictum. Protestante dicto magistro Philippo, omnes suas exceptiones sibi, nomine quo supra, salvas fore, tam contra testes, quam contra dicta eorum; salvas etiam sibi fore protestationes et exceptiones iam expressas et in posterum exprimendas.

(Productio testium pro decanis.)

Ad cuius mandati executionem ego notarius predictus intendens, adivi predictos dominos, Quinqueeclesiensem, Vaciensem et Chenadiensem epi-

[1] Augustinus Zagrabiensis, Haab Vaciensis, Petrus Quinqueecclesiensis, Benedictus Csanadiensis eccl. episcopi.

scopos die predicto, in curia domini legati morantes, et presente dicto Vagnolo procuratore predicto, ipsos et quemlibet ipsorum ex parte dicti domini auditoris requisivi, ut iuramenta prestarent de perhibendo testimonium veritati super hiis, de quibus interrogati fuerint, super articulis, per dictum Vagnolum dicto nomine in causa predicta exhibitis. Qui quidem domini episcopi, quorum nomina sunt hec, videlicet:

Dominus Petrus Quinqueeclesiensis,
Dominus Benedictus Chenadiensis et
Dominus . . .[1] Vaciensis

iuraverunt ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacta, super articulis predictis et super hiis, de quibus interrogati fuerint, dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, pretio et timore.

(Alia productio testium pro clericis.)

Die primo mensis Julii, predicte VII. indictionis, existentibus in iudicio coram dicto domino auditore predictis procuratoribus utriusque partis, dictus Vagnolus, nomine quo supra, produxit ad probandum dictos suos articulos infrascriptos testes, presentes in curia, coram domino auditore predicto. Petens, eos cogi ad iurandum et dicendum veritatem super ipsis articulis, ut postulat ordo iuris, quorum testium nomina sunt hec:

(Testes.)

Venerabilis in Christo pater dominus Ladislaus episcopus Sirmiensis[2] et
Dominus Paulus prepositus Scepisiensis.

(Juramenta testium pro decanis.)

Qui testes et ipsorum quilibet, iussi a dicto domino auditore, iuraverunt ad sancta Dei evangelia, videlicet dictus episcopus manibus tantum appositis, dictusque prepositus manibus appositis et tactis, super dictis articulis dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, pretio &c. presentibus predictis procuratoribus utriusque partis, et premissis protestationibus dicti magistri Philippi, dicto nomine, tam contra ipsos testes, quam contra dicta ipsorum.

(Positiones et articuli pro capitulo.)

Item eodem die et in eodem iudicio, magister Philippus procurator predictus exhibuit et dedit in scriptis ad probandum de iure eorum, quorum

---

[1] Haab.
[2] Ladislaus episcopus Syrmiensis, seu s. Irenæi et de Keu (Kő); eius tantum a. 1309. fit mentio.

nomine agit in dicta causa, contra dictos Vagnolum et eos, quorum procurator est, positiones et articulos infrascriptos. Petens, cogi dictum Vagnolum ad respondendum eisdem. Quas exceptiones et articulos dictus dominus auditor recepit et admisit, salvo iure impertinentium, mandans dicto Vagnolo procuratori, coram eo presenti, ut cras mane post missam et ante tertiam compareat personaliter coram eo, ad respondendum positionibus et articulis memoratis; quarum positionum et articulorum tenor talis est:

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea, auditore domini legati, Philippus de Cingulo procurator substitutus pro capitulo Transsilvanensi contra partem adversam de septem decanatibus, cum qua coram Vobis est in causa:

I. Ponit et, si negatur, probare intendit, quod bone memorie olim dominus Bonifacius papa VIII. sententiam protulit, in qua quidem sententia iudicavit sententialiter, regnum Ungarie ad dominum Carolum de iure pertinere; qui quidem dominus Carolus per venerabilem patrem dominum T.[1] archiepiscopum Strigoniensem in presentia reverendi patris domini fratris G.[2] cardinalis, apostolice sedis legati, extitit coronatus pro rege Ungarie.[3]

— Credit.

II. Item quod predictus dominus Bonifacius in predicta sententia mandavit, ipsum dominum Carolum haberi ac reputari pro vero et legitimo rege Ungarie.

— Credit.

III. Item quod mandavit et sententiavit in eadem sententia, quod omnes barones, civitates, comites et singulares persone dicti regni deberent eidem regi Carolo impertiri auxilium, consilium et favorem; contrarium vero facientes excommunicationis sententiam incurrerent ipso facto.

— Credit.

IIII. Item ponit et, si negatur, probare intendit, quod dicta sententia sollempniter fuit publicata per archiepiscopum seu archiepiscopos et episcopos dicti regni in eodem regno, et specialiter in Alba Jule, coram baronibus, clericis et laicis, ibidem congregatis.

— Credit.

1 Thomam.
2 Gentilis.
3 Anno 1309. 15. die Junii.

V. Item quod in eadem sententia supradictus dominus Bonifacius papa excommunicationis vinculo innodavit barones, nobiles, rectores terrarum et universitatum, singulos et singulares personas dicti regni, laicos, qui alium, quam predictum dominum Carolum, regem Ungarie nominarent, vocarent seu tractarent, aut alii, quam dicto domino Carolo, sicut regi, darent auxilium, consilium vel favorem.

— Credit.

VI. Item ponit et, si negatur, probare intendit, quod Otto dux Bavarie post predictam sententiam vel sententias, et promulgationem ipsius, fuit de facto a multis de regno Ungarie in regem assumptus, ac etiam coronatus, existente dicto domino Carolo rege in dicto regno.

— Est impertinens.

VII. Item quod dictus Otto, tanquam rex Ungarie, cum magno exercitu stetit circa Budam, in campis et pratis de Peste, in quo exercitu, auxilio et favore dicti Ottonis, Stephanus de Blana, Gobolinus et Nicolaus Blanus comites et multi homines de Cibinio fuerunt.

— Non credit.

VIII. Item quod dictus Otto, tanquam rex Ungarie se gerens, stetit in exercitu cum magna gente circa Seghesdinum, et tunc supradicti comites et multi homines de Cibinio in servitium, favorem et adiutorium dicti Ottonis armati steterunt in dicto exercitu, et ipsi Ottoni astiterunt, faventes sibi, tanquam regi Ungarie.

— Confitetur dictum exercitum, negat tamen, predictos comites vel aliquos de Cibinio fuisse in ipso exercitu.

VIIII. Item quod dicto Ottone in Bextriza sive Neusna[1] existente, comites et universitas de Cibinio miserunt eidem Ottoni, tanquam regi et domino, litteras eorum, continentes, quod ipse veniret ad terram predictam de Cibinio, tanquam dominus et rex terre predicte et dicti regni, cum ipsi essent parati, ipsum Ottonem, tanquam dominum et regem Ungarie, recipere et suscipere in eadem terra.

— Negat.

X. Item quod dicti comites et homines dicte terre Cibinii expectabant dictum Ottonem, dum recederet de dicta terra Bextrize sive Neusna, quod, tanquam rex et dominus, iret ad dictam terram Cibinii.

— Non credit.

XI. Item quod dicti comites et singulares persone universitatis de

1 Bistricia (Hung. Besztercze) in Transsilvania, in sic dicto Nössnerland.

Cibinio pro eo, quod dicto Ottoni dederunt auxilium, consilium et favorem, ut predictum est, supradictam excommunicationis sententiam publice incurrerunt.

— Dependet.

XII. Item quod de predictis omnibus et singulis et quolibet predictorum fuit et est publica vox et fama notum et manifestum in dicto regno Ungarie.

(Juramenta utriusque super positionibus.)

Die Mercurii, II. dicti mensis Julii, eiusdem indictionis, ante tertiam, comparentibus predictis procuratoribus substitutis in iudicio coram dicto domino auditore, ac iurantibus ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacta per eos, tam in animabus ipsorum, quam dominorum suorum, videlicet quod dictus magister Philippus credit iuste ponere et probare, que in dictis positionibus et articulis continentur, et animo calumpniandi non dicere nec ponere supradicta. Et dictus Vagnolus, quod super predictis et qualibet ipsarum positionum respondet veritatem, quam novit et credit, super ipsarum singulis interrogatus, sibi lectis seriatim et distincte, respondit ad singulas ipsarum, prout in fine cuiuslibet continetur, excepto ad septimam, que incipit: Item quod dictus Otto, tanquam rex Ungarie, cum magno &c. super qua ad deliberandum terminum competentem petivit.

(Terminus ad deliberandum pro clericis.)

Eidem Vagnolo statim dictus dominus auditor assignavit terminum, ad deliberandum et respondendum dicte positioni, ad cras ante tertiam peremptorie.

(Exhibitio alterius articuli capituli.)

Item die Jovis, tertio dicti mensis Julii, dictus magister Philippus, constitutus coram domino auditore predicto, exhibuit alium articulum in scriptis, addendo illum aliis articulis supradictis, cuius tenor talis est:

(Articulus capituli.)

Item quod dicti comites eidem Ottoni, tanquam regi Ungarie, in eodem exercitu circa Budam, in campis de Peste, publice prestiterunt iuramentum homagii et fidelitatis.

(Citatio testium pro capitulo.)

Item eodem die retulit dicto domino auditori et michi notario Zuccha nuncius iuratus dicte curie, se citasse de mandato dicti domini auditoris

ad petitionem dicti magistri Philippi infrascriptos testes, quod hodie ante tertiam venirent coram eo, ad perhibendum testimonium veritati super articulis memoratis, et Vagnolum procuratorem predictum, ad videndum ipsorum testium iuramenta. Quorum testium nomina sunt hec:

(Testes.)

Venerabilis in Christo pater, dominus Benedictus episcopus Chenadiensis,

Johannes cantor Budensis,

Magister Germanus serviens domini regis Ungarie,

Dominus Stephanus prepositus Vesprimiensis et

Egidius canonicus Vesprimiensis.

(Protestatio pro clericis.)

Eodem die comparuit Vagnolus procurator predictus ante iuramenta ipsorum testium, et protestatus est, omnes suas exceptiones, dicto nomine, salvas fore, tam contra ipsos testes, quam contra dicta ipsorum.

(Juramenta testium pro capitulo.)

Item eodem die, statim post predicta, omnes predicti testes comparuerunt coram dicto domino auditore, presente magistro Philippo procuratore predicto, producente ipsos ad probandum predicta, in dictis articulis contenta; et de mandato dicti domini auditoris dictus dominus episcopus appositis, alii autem appositis et tactis manibus, iuraverunt ad sancta Dei evangélia, dicere veritatem super hiis, de quibus interrogati fuerint, super articulis ipsis, remotis odio, amore, pretio, precibus et timore.

(Terminus ad exhibendum interrogatorium pro clericis.)

Item predicto die dictus dominus auditor assignavit terminum dicto Vagnolo, ad faciendum et dandum interrogatorium super dictis articulis, ad cras ante tertiam peremptorie.[1]

---

1 Sequentia videntur in codice omittenda, quia una parte *va*, altera *cat* sunt signata:

(Exhibitio exceptionum pro clericis.)

Item eodem die, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore predictis procuratoribus substitutis utriusque partis, dictus Vagnolus, nomine quo supra, exhibuit et dedit in scriptis in dicta causa contra dictum magistrum Philippum et partem suam exceptiones infrascriptas, quarum tenor talis est:

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo etc. Excipiendo propono ego Vagnolus procurator substitutus a domino Bertoldo procuratore septem capitulorum, scilicet de Sebus, de Spreng,

Interrogatorium Vagnoli de Mevania super articulis per Philippum de Cingulo productis.[1]

Super articulo, qui sic incipit: Item quod dicti comites eidem Ottoni, tanquam regi &c. si testes dixerint vera esse, que in dicto articulo continentur, queratur ab eis, quomodo sciunt; et si dixerint, se vidisse vel non vidisse, queratur, quomodo sciunt, dictum iuramentum prestitum dicto Ottoni, ut regi. Item queratur, super quo fuit prestitum iuramentum, an super cruce, an super libro. Item si fuit in territorio vel extra territorium; et si dixerint, quod in territorio, queratur, in cuius territorio. Item queratur, si una hora vel diversis omnes dicti comites iuramenta predicta prestiterunt. Item quibus baronibus presentibus dicta iuramenta prestita fuerunt. Item queratur, quo tempore et qua hora diei. Item queratur, an aliqui alii barones vel nobiles tunc cum dictis comitibus iuraverunt eidem Ottoni; et si dixerint, sic, queratur, qui fuerint. Item queratur, an predicti comites iuraverunt ante alios vel post.

Item super articulo, qui incipit: Item quod dictus Otto, tanquam rex &c. si testes dixerint vera esse, que in dicto articulo continentur, queratur ab eis, quomodo sciunt; et si dixerint, se vidisse vel non vidisse, queratur, quod auxilium et quem favorem viderunt vel audiverunt dictos comites prestare eidem Ottoni, et quomodo sciunt, quod dicta auxilia et favorem dicto Ottoni, ut regi, prestiterunt. Item queratur, cuius etatis est dictus Gombolinus, et cuius etatis est dictus Nicolaus. Item queratur, cuius stature sunt, magni vel parvi vel mediocrix *(sic)*, et quis dictorum Gombolini et Nicolai est senior. Item queratur, an tunc dicti Gombolinus et Nicolaus erant comites dicte universitatis Saxonum vel non.[2]

FASSIONES TESTIUM.

Gallus prepositus Chasmensis testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: In primis quod a quinquaginta annis etc. lecto sibi diligenter, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super II. et III. articulo, sibi lectis per ordinem et distincte, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super IIII. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo etc. lecto

---

de Kyzd, de Kozd et de Criz, de maiori Kukullu et de minori Kukullu, Transsilvanensis diocesis, contra magistrum Philippum procuratorem substitutum a domino Sancto procuratore capituli Transsilvani, et contra libellum per eum propositum ....

1 Hoc interrogatorium reperitur in fragmento inter fol. 36 et 37. eiusdem codicis.

2 Hic explicit causa prima capituli cum plebanis, sequuntur fassiones testium prædictorum.

sibi ipso articulo, et ostensis sibi ac perlectis litteris, de quibus facit ipse articulus mentionem, — dixit, quod littere, de quibus in ipso articulo fit mentio, per eum vise, si sigillum, quod in eis est, autenticum sit, debent valere etiam in foro ecclesiastico de consuetudine dicti regni Ungarie. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quod credit, quod valere debeant. Interrogatus, si ipse testis vidit unquam aliquas litteras alicuius comitis vel universitatis, productas in iudicio ecclesiastico, vires habentes, et per illas producentem obtinere in causa, — dixit, quod non. Item interrogatus super omnibus, que interrogatorium dictat, super dicto articulo, — dixit, se nichil scire eo, quod non fuit unquam in partibus Transsilvanis. Item interrogatus super V. articulo, sibi lecto, ut supra, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super VI. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo etc. lecto sibi dicto articulo, et ostensis ac lectis sibi dictis litteris, de quibus facit ipse articulus mentionem, — dixit, quod obtentum et servatum est de litteris ipsis talibus, confectis in ea forma, in qua sunt ipse littere, quod fidem faciunt etiam in utroque foro. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quia credit. Interrogatus, si adhuc vidit hoc observari, — dixit, quod non. Item interrogatus super VII. articulo, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super VIII. articulo, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super VIIII. articulo, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super X. articulo, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super ultimo articulo, — dixit, se nichil scire.

Johannes canonicus ecclesie Albensis, Transsilvanus, testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: In primis quod a L. annis citra de consuetudine etc. lecto sibi diligenter, — dixit vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, — dixit, quod multotiens vidit de litteris baronum, sigillatis sigillis, ipsas produci in foris ecclesiasticis, et dari ipsis fidem plenam et plenariam. Interrogatus, per quos obtentum est et servatum, et in quorum iudicio et inter quas personas ecclesiasticas, et quando et quibus presentibus, — dixit, se non recordari, licet multotiens et coram multis iudicibus viderit. Item interrogatus super II. III. IIII. et V. ac VI. articulis, sibi lectis diligenter per ordinem et distincte, — dixit idem, ut in dicto primo articulo. Item interrogatus super VII. articulo, qui incipit: Item quod inter predictum capitulum etc. — dixit vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quia vidit illos de Cibinio conversari cum dictis de capitulo Transsilvano, et e converso dictos de capitulo cum hominibus de Cibinio in pace et tranquil-

litate, tanquam amicos, a dictis duobus annis citra et ante dictos duos annos. Interrogatus, in quibus locis, — dixit, quod in Milenbach[1] et in aliis locis. Interrogatus, que fuerunt ille persone hinc inde, que sic conversate sunt, — dixit, quod omnes volentes et qui voluerunt ire illuc. Interrogatus, quibus presentibus, — dixit, quod multis, tanquam in loco publico, ubi omnes ad mercandum conveniunt. Interrogatus, quis facit dictam pacem inter eos, — dixit, quod Theotonici. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quod scit tali modo, quia Theotonici de partibus illis destruxerunt turres et fortellitia quorundam nobilium de partibus illis, qui impediebant bonum statum et pacem provincie; et hoc facto, ex tunc fecerunt proclamari, quod omnes libere et secure irent, redirent et starent per totam illam provinciam, et sic postea securitas viguit ibi usque modo et adhuc viget; et ista constant ipsi testi, tanquam uni de partibus illis, qui vidit et sensit. Interrogatus, si ante dictam pacem erant inimicitie inter eos, — dixit, quod iam sunt triginta anni, quod fuit quedam discordia hinc inde, sed benedictus dictus *(sic)*, sopita [fuit] et est. Interrogatus, si est modo odium inter dictum capitulum et dictos Cibinienses, — dixit, quod nullum odium est; quoniam videt eos in vicem conversari, tanquam veros amicos. Interrogatus, si dicti Cibinienses fovent dictos adversarios capituli contra ipsum capitulum, — dixit, quod quamlibet partem tantum, prout ipse testis sentit et credit. Interrogatus, si dicti Cibinienses libenter dampnificarent publice vel occulte dictum capitulum, — dixit, quod non credit per ea, que videt exterius. Item interrogatus super VIII. articulo, qui incipit: Item quod a dicto tempore citra etc. — dixit, vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quia vidit, et ipse testis, tanquam unus de hiis, qui diu conversatus est cum dicto capitulo Transsilvano, vidit de canonicis dicti capituli et connatis *(sic)* eorum ire, stare, morari et mercari pacifice et quiete pro eorum voluntate in Cibinio, nullo ipsos inquietante vel in aliquo perturbante. Interrogatus, si aliquis de dicto capitulo fuit lesus vel eius familia in Cibinio vel eius districtu ab aliquo Cibieniensi a dicto tempore citra, — dixit, quod non, quod ipse sciat. Item interrogatus super VIIII. articulo, qui incipit: Item quod homines layci etc. — dixit, vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, et de omnibus circumstantiis e converso, ut in articulo proximo, — dixit idem de dictis laicis dicte universitatis, sicut de canonicis dicti capituli in proximo articulo testificatus est. Item interroga-

1 Mühlbach, Szász-Sebes.

tus super X. articulo, qui incipit: Item quod pluries et pluries etc. — dixit, vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, — dixit idem, ut in dicto octavo articulo, super omnibus per ordinem. Interrogatus *(sic)*. Item interrogatus super ultimo articulo de publica fama, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, — dixit, quod vidit oculis suis. Interrogatus, quid est publica vox et fama, — dixit, quod est illud, quod homines publice locuntur in villis, stratis et plateis, et quod est notum et notorium. Interrogatus, quot homines faciunt publicam vocem et famam, — dixit, quod decem et viginti, et postea divulgatur aliquid per totam civitatem. Interrogatus, si ipse testis est litteratus, — dixit, quod sic. Interrogatus, si fuit rogatus, informatus vel monitus ad hoc testimonium perhibendum, — dixit, quod si non fuisset citatus, nunquam venisset ad perhibendum illud. Interrogatus, si odit ipse testis dictum capitulum vel canonicos, — dixit, quod non. Interrogatus, quot annorum est ipse testis, — dixit, quod est quinquagenarius. Interrogatus, unde esset natione, — dixit, quod de Vincz inferiori. Interrogatus, [quo] loco continue habitavit, — dixit, quod in Alba et Vinz. Interrogatus, si ab uno anno citra Saxones et decani ac presbyteri et plebani de septem decanatibus et alii mercatores et boni viri potuerunt, si voluerunt, secure per terram et potentiam domini voyvade transire, et ad curiam domini legati venire, — dixit, quod in principio, quando citati fuerunt predicti clerici de septem decanatibus, prohibitus fuit eis accessus per dictam terram, sed postea habuerunt liberum accessum et regressum ad petitionem Cibiniensium. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quod audivit hoc publice dici in Vinz. Interrogatus, quam partem vellet optinere, — dixit, quod ex quo est canonicus Albensis, vellet potius optinere capitulum, quam clericos de dictis septem decanatibus.

Dominus Johannes cantor Budensis testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: Intendit probare etc. lecto sibi diligenter, — dixit, quod in favorabilibus fidem faciunt tantum. Interrogatus, quomodo, — dixit, quod in donationibus et legationibus, in preiudicialibus autem non. Interrogatus, si unquam vidit in tali casu aliquas litteras aliquorum baronum produci in foro ecclesiastico, quibus fides daretur, — dixit, se non recordari, sed pro certo sit, ita esse, ut dixit. Item interrogatus super II. et III. articulis, — dixit idem, ut in dicto primo. Item interrogatus super IIII. articulo, sibi lecto diligenter, lectis sibi etiam et ostensis litteris, de quibus facit ipse articulus mentionem, — dixit, quod ipse testis dubitat de hiis, que in

ipso articulo continentur, an fidem faciant ipse littere vel non. Item interrogatus super V. articulo, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super VI. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo etc. lectis sibi ipso articulo et litteris, de quibus facit ipse articulus mentionem, — dixit, quod littere plebanorum sollempnium, sicut Budensium et Tirna et Sebnech [1] et similium, quorum sigilla sunt nota, faciunt fidem in foro ecclesiastico et seculari, et sic observatum est et servatur; sed quales sint plebani illi vel prelati, qui in illis litteris continentur, — dixit, se nescire, quia in illis partibus nunquam fuit. Interrogatus, quomodo scit, quod faciant fidem littere predictorum autenticorum prelatorum et plebanorum, — dixit, quod ipse testis pluries, ut iudex delegatus, iudicavit secundum litteras tales, coram eo productas. Interrogatus, in quorum causis, — dixit, se non recordari, sed vidit archiepiscopum Strigoniensem et prepositum Budensem iudicare in causa vertenti inter quendam, nomine Ebeger de Peste, et quasdam Biginas de Buda,[2] secundum quasdam litteras plebani Budensis, in ipsa causa productas. Interrogatus, ubi, — dixit, quod in Buda Veteri. Interrogatus, si in dicta littera plebani erat datum, annus et mensis, — dixit, quod sic. Interrogatus, quibus presentibus, — dixit de canonicis Budensibus pluribus, sed de quibus non recordatur. Interrogatus de tempore, — dixit, quod non est annus. Item interrogatus super VII. VIII. VIIII. et X. articulis, sibi lectis per ordinem et distincte, — dixit, se nichil scire, dixit tamen, se audivisse dici, quod post mortem episcopi Transsilvani universitas Cibiniensium iniuriata sit capitulo Transsilvano, sed quomodo vel qualiter, nescit. Item interrogatus super ultimo articulo de publica fama, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur, de hiis tantum, de quibus testificatus est, de aliis dixit, se nichil scire. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quia ita scit observari et vidit. Interrogatus, quid est publica vox et fama, — dixit, quod illud, quod pervenit per relationem et auditum in notitiam hominum. Interrogatus, quot homines faciunt publicam famam, — dixit, quod maior pars regni in regno, in civitate maior pars civitatis. Interrogatus, ubi est dicta publica vox et fama, — dixit, quod per totum regnum, ut credit. Interrogatus, si fuit rogatus, informatus vel monitus, — dixit, quod non. Interrogatus, quam partem vellet obtinere, dixit, quod illam, que iustitiam habet. Interrogatus, quot annorum est ipse testis, — dixit, quod triginta duorum vel circa. Interrogatus, unde est

---

1 Tyrnavia, Schemnicia.
2 V. hanc causam sub. n. XXXVII. pag. 101—112.

natione, — dixit, quod de Buda. Interrogatus, ubi magis continue habitavit, — dixit, quod in Buda, et in studio Padue.

Johannes prepositus de Ku, canonicus Colocensis, testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: Intendit probare etc. lecto sibi diligenter, — dixit, quod nunquam occurrit de facto ipsi testi talis casus, sed credit, quod littere baronum aliquo modo facte fidem faciant etiam in foro ecclesiastico, et aliter nescit. Item interrogatus super II. et III. articulis, — dixit, se nescire aliter, nisi ut proxime dixit. Item interrogatus super IIII. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo etc. lectis sibi ipso articulo et litteris, de quibus mentionem facit, — dixit, quod nunquam vidit in partibus istis, litteras tales valere, nec audivit, sed credit, quod valeant inter eos, qui litteras ipsas conficiunt, secundum consuetudinem forte civitatis ipsorum. Item interrogatus super V. articulo, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super VI. articulo, sibi lecto diligenter, lectis etiam sibi litteris, de quibus mentionem facit, — dixit, quod credit, quod si ipse littere sint sigillis autenticis sigillate, debeat eis fides adhiberi; sed si observatum sit hoc vel non, dixit se nescire eo, quod ipsi testi nunquam occurrit similis casus. Item interrogatus super omnibus aliis articulis, sibi lectis seriatim et distincte, — dixit, se nichil inde scire aliud, nisi quod audivit dici, quod communiter in illis partibus viguit pax longo tempore, licet plerunque inter incolas illarum fuerint contemptiones exorte, et audivit dici, quod inter Siculos et Saxones aliquantulum guerra noviter sit exorta.

Stephanus prepositus Vesprimiensis testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: In primis, quod a quinquaginta annis etc., — dixit, se hoc tantum inde scire, quod a tempore, quo ipse testis recordatur, obtentum est et servatum de consuetudine in dicto regno, quod littere baronum, sigillate sigillis autenticis ipsorum, faciunt fidem in foro ecclesiastico, in civilibus tantum. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quia vidit et audivit. Interrogatus, per quos obtentum est et servatum, et in quorum iudicio, et inter quas personas, — dixit, quod licet in multis et diversis iudiciis talibus fuerit, non tamen recordatur, per quos, vel in quorum iudicio, vel inter quas personas. Interrogatus, de quibus questionibus, — dixit, se non recordari. Dixit etiam, quod aliquando coram ipso teste, iudice et auditore ad aliquas causas, obtentum est et servatum, quod in dicto articulo continetur. Interrogatus, quot annorum est ipse

testis, — dixit, quod triginta quinque vel circa. Interrogatus, de quot annis recordatur ad plus, — dixit, de viginti quinque in talibus, de quibus mentio fit in dicto articulo. Item interrogatus super II. articulo, qui incipit: Item quod idem &c. repetito sibi modo et ordine, in predicto primo articulo contentis, — dixit, vera esse, que in ipso continentur articulo, eo modo scilicet, ut dixit in dicto primo articulo. Interrogatus in causa scientie et de omnibus circumstantiis, ut continetur in interrogatorio, — dixit idem, ut supra. Item interrogatus super III. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. lecto sibi dicto articulo, et repetito sibi dicto modo, — dixit idem per omnia de litteris comitum et universitatum secularium, sicut supra dixit de litteris baronum. De causa scientie et aliis predictis circumstantiis diligenter interrogatus *(sic)*. Item interrogatus super quarto articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo obtentum est &c. lecto sibi dicto articulo et ostensis sibi dictis litteris, de quibus ipse facit articulus mentionem, — dixit idem per omnia, ut supra, et addidit, quod si sigillum, quod est in ipsis, est autenticum, fidem faciunt ipse littere de consuetudine dicti regni Ungarie in eo casu, de quo locuntur, in foro ecclesiastico et seculari; iuxta id, quod multotiens et in multis causis vidit observari et teneri, licet non recordetur, inter quas personas, et in quorum iudicio, vel de loco, vel tempore. Item interrogatus super V. articulo, qui incipit: Item quod pluries et pluries &c., lecto sibi dicto articulo diligenter, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, — dixit, quod vidit et audivit, et ipse testis, ut iudex, aliquando secundum dictam consuetudinem iudicavit et sententiavit inter partes. Interrogatus, in quibus et quorum iudiciis, inter quas personas, et quando, et ubi, et quibus presentibus, — dixit, se non recordari distincte, sed scit pro certo, quod sic observatum est de consuetudine in dicto regno, et cotidie observatur, prout testificatus est. Item interrogatus super ultimo articulo de publica fama, — dixit . . . . . .[1]

Venerabilis in Christo pater, dominus frater Augustinus episcopus Zagrabiensis, remisso sibi iuramento de voluntate procuratorum utriusque partis, testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: In primis &c. — dixit, se nichil scire. Interrogatus etiam super omnibus aliis articulis usque ad septimum articulum, lectis sibi diligenter per ordinem et distincte, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus, si littere prelatorum vel comitum,

1 Reliquum deest.

vel baronum vel alicuius universitatis vel nobilium fidem faciant de consuetudine regni Ungarie in foro ecclesiastico, de hiis maxime, que coram ipsis, concedentibus ipsas litteras, acta et gesta non sunt, — dixit, quod nullo modo talibus litteris fides adhibetur, immo tales littere, si concederentur, faciliter reprobarentur de falso. Dixit quoque dictus dominus episcopus testis, quod certa loca sunt in regno, que de contuetudine litteras suas duobus infrascriptis modis concedunt; ut puta locus ecclesie Strigoniensis, locus ecclesie sancti Petri de Veteri Buda, locus Chasmensis et plura alia ecclesiastica loca, que cum committeretur eis vel per regem vel alium dominum iurisdictionem habentem, ut inquirerent super aliquo articulo, eis ad inquirendum commisso, iuxta commissionem traditam eis, per se vel per fidedignas personas inquirunt, et secundum quod inveniunt, rescribunt per litteras suas sigillatas sigillo loci, ubi committitur inquisitio, et talibus litteris fides plenaria adhibetur. Item alio modo, sic videlicet, quod aliquis citatus, vel quod aliter teneatur coram domino comparere, vadat ad aliquem dictorum locorum predictam potestatem habentium, et dicat coram prelatis loci: Ego citatus sum, vel aliter debeo coram tali domino ad talem terminum comparere, tamen quia propter viarum discrimina, vel propter aliam iustam causam timeo coram ipso domino comparere, protestor coram Vobis, quod non preiudicet mihi, si non vado coram ipso domino. Et hiis similibus casibus, et super hoc conceduntur tali protestanti littere dicti loci, sub tali serie inter alia verba: Nos talis &c. notum facimus universis &c. quod talis in presentia nostra dixit sic et sic. Unde ad petitionem suam presentes litteras nostras fecimus &c. Et si fiant littere huiusmodi de hiis, que coram concedentibus ipsas non fiunt, ipso iure sunt nulle; quamvis nunquam de talibus litteris viderit ipse testis, prout recordari potest ad presens.

Venerabilis in Christo pater, dominus Benedictus episcopus Chenadiensis testis, interrogatus super primo, II. et III. articulis, sibi lectis per ordinem seriatim et distincte, — dixit, se nichil scire, cum nunquam ipse fuerit in loco, ubi occurrerit, quod littere secularium valerent in foro ecclesiastico. Item interrogatus super IIII. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. lecto sibi dicto articulo, lectis etiam sibi dictis litteris, — dixit, quod nescit aliud inde vel aliter, nisi ut supra dixit in proxime dictis articulis. Item interrogatus super V. articulo, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super VI. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. — dixit, se nichil scire. Interrogatus, si littere

prelatorum aut baronum aut comitum aut universitatum habent de consuetudine regni Ungarie robur firmitatis, confecte de eo, quod factum non est coram eo, qui litteras ipsas concedit, — dixit, quod credit, quod non valeant, nec aliquam habeant firmitatem. Et ipse dominus episcopus testis litteras tales non daret alicui, quia videtur sibi, quod omnino false essent; nec vidit adhuc de talibus litteris ipse, prout recordari potest, nec unquam vidit, nec audivit, talibus litteris scienter fidem aliquam adhiberi. Item interrogatus super VII. articulo, qui incipit: Item quod inter predictum capitulum &c. lecto sibi diligenter, — dixit, se nescire. Item interrogatus super VIII. articulo, qui incipit: Item quod a dicto tempore citra &c. — dixit, se nescire, quia non est conversatus cum eis, quia licet sit in confinibus ipse testis, scilicet diocesis eius cum dictis Transilvanis, sunt tamen in medio montes excelsi et nemora magna. Item interrogatus super VIIII. articulo, qui incipit: Item quod homines laici &c. lecto sibi diligenter, — dixit, quod credit eo, quod homines de Cibinio habent ibi tantam potentiam, quod dictum capitulum non posset ipsis resistere. Item interrogatus super X. articulo, — dixit, se nescire. Item interrogatus super ultimo articulo de publica fama, — dixit, se nichil scire.

Venerabilis in Christo pater, dominus Ladislaus episcopus Sirmiensis testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: In primis &c. — dixit, se hoc tantum inde scire, quod littere talium baronum, ut puta comitis palatini, iudicis curie regis et bani Sclavonie, de hiis scilicet, que acta ordine iudiciario sunt coram eis, quia sunt persone autentice, faciunt fidem etiam in foro ecclesiastico de consuetudine dicti regni. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quia vidit hoc observari in curia regia in multis et diversis questionibus civilibus. Interrogatus, in quorum causis, — dixit, quod in causis domini archiepiscopi et ecclesie ac capituli Strigoniensis cum diversis personis habitis, de quibus non recordatur. Interrogatus, coram quo iudice, — dixit, quod olim coram iudice Paulo, et alias coram iudice Martino. Interrogatus, quanto tempore vidit dictam consuetudinem servari, — dixit, quod a triginta annis. Item interrogatus super II. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super III. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super IIII. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. — dixit, se nichil scire, ostensis et lectis sibi litteris, de quibus facit ipse articulus mentionem. Item interrogatus super V. articulo, qui incipit: Item quod

pluries et pluries &c. — dixit, se nunquam vidisse nec audivisse, que in dicto articulo continentur. Item interrogatus super VI. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. — dixit, se nichil scire, ostensis sibi omnibus litteris, de quibus facit dictus articulus mentionem. Item interrogatus, si littere prelatorum, aut baronum, aut universitatis, aut nobilium, aut aliquorum aliorum iurisdictionem habentium de regno Ungarie, confecte de aliquo, quod non sit actum vel factum vel dictum coram eo, qui litteras ipsas concedit, valeant de consuetudine dicti regni, vel debeat eis fides adhiberi, — dixit, quod nullo modo tales litteras vidit valere, nec eis fidem aliquam adhiberi, nec ipse testis tales litteras alicui concederet, nisi de eo, quod diceretur vel fieret coram eo, quoniam non aliter de consuetudine vidit in dicto regno servari. Item interrogatus super ultimo articulo de publica fama, — dixit, se nichil scire.

Venerabilis in Christo pater, dominus Petrus episcopus Quinque-ecclesiensis testis, interrogatus super primo, secundo, tertio et quarto articulis, sibi lectis per ordinem seriatim et distincte, lectis sibi etiam litteris, de quibus facit dictus quartus articulus mentionem, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus in causa scientie, — dixit, quia ipse testis vidit de consuetudine observari et teneri in dicto regno, que in dictis articulis continentur, in illis scilicet casibus et similibus, de quo predicte littere Cibiniensium sunt confecte et faciunt mentionem. Interrogatus, in quorum causis et coram quibus iudicibus, et quando et ubi vidit hoc observari, — dixit, quod ipse testis aliquando, ut iudex datus a rege Carolo presenti, iudicavit secundum predictam consuetudinem inter partes, et pluries et alios iudicare vidit secundum talem consuetudinem, maxime ad litteras iudicum provincie, et specialiter constitutorum auctoritate regia, aliorum autem non; sed in quorum causis, quando et ubi, dixit, se non recordari. Interrogatus, quibus presentibus, — dixit, se non recordari. Item interrogatus super V. articulo, — dixit idem per omnia, ut supra. Item interrogatus super VI. articulo, qui incipit: Item quod idem et eodem modo &c. — dixit, quod de consuetudine dicti regni predicte littere, contente in ipso articulo, lecte sibi per ordinem, non tanquam littere plebanorum faciunt fidem, eo quod plebani non consueverint dare tales litteras, set quelibet ipsarum litterarum, tanquam dictum et attestatio unius testis, si legalis sit et homo bone conditionis et vite, qui litteram ipsam dat, amminiculum probationis facit; ita quod plurium plebanorum dicta, attestationes et

littere, si sint homines bone vite, faciunt plenam probationem in tali articulo, in quo predicte littere sunt producte. Interrogatus, quomodo scit, — dixit idem, ut supra, et dixit, quod si ipse testis esset iudex in causa, ipse pronunciaret secundum talem predictam probationem, et predictas plures et plures litteras, si verum esset, quod continerent in casu predicto, sed non in omnibus casibus; dixit etiam, quod littera unius solius plebani autentici et auctoritatis, ut puta plebani Budensis, qui de consuetudine habuit ab antiquo et habet plenam in predicto casu probationem, induceret. Interrogatus, si littere prelatorum vel aliorum faciunt fidem, confecte de eo, quod dictum factum vel gestum non est coram eis, de consuetudine dicti regni, — dixit, quod tales littere nullo modo valent, nec ipse vidit unquam de ipsis litteris. Item interrogatus super ultimo articulo de publica fama, — dixit, vera esse, que in ipso articulo continentur, quo ad predicta testificata per eum. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quia est notorium in toto regno. Interrogatus, quid est publica vox et fama, — dixit, quod est illud, quod omnes communiter sciunt ita esse, sicut dixit.

Dominus Paulus prepositus Scepisiensis testis, interrogatus super primo articulo, qui incipit: In primis &c. — dixit, se hoc tantum inde scire, quod littere baronum talium, ut puta comitis palatini, iudicis regie curie, sed aliorum inferiorum nescit, faciunt fidem de hiis, que ordine iudiciario facta sunt coram eis in causis laicorum vel clericorum, si attentasset clericus contra laicum causam habere coram predicto palatino vel iudice super aliqua repetenda, et e converso; et in tali casu, seu de tali causa littere predictorum palatini et iudicis fidem faciunt in foro ecclesiastico de consuetudine dicti regni. Interrogatus, quomodo scit, — dixit, quod per totum regnum sic servatur, et ipse testis aliquando fuit iudex regis, et in ipso iudicatu pluries iudicavit secundum talem consuetudinem. Interrogatus, in quorum causis, quando et ubi, et quibus presentibus, — dixit, se non recordari. Item interrogatus super II. et III. articulis, sibi lectis diligenter et distincte, — dixit, se nichil scire. Item interrogatus super IIII. articulo sibi lecto, lectis etiam sibi litteris, de quibus facit ipse articulus mentionem, — dixit, quod credit, quod ipse littere non faciant plenam fidem, eo quod non requisti a iudice eorum, testimonium protulerunt, sicut ipse littere indicant, eo etiam, quod similes litteras in casu simili nunquam vidit. Item interrogatus super V. articulo, sibi lecto diligenter, — dixit idem, ut supra in primo articulo,

et aliud inde nescit. Item interrogatus super VI. articulo, sibi lecto diligenter, lectis sibi etiam litteris, de quibus facit ipse articulus mentionem, — dixit, quod videtur ipsi testi pro certo, quod nullo modo ipse littere valeant, nec quod sit ipsis fides aliqua adhiberi, tum quia illa, que testificantur, non dicunt dicta vel facta esse coram ipsis, tum etiam, quia persone concedentes ipsas litteras non sunt autentice, nec potestatem habent tales litteras concedendi, nec vidit ipse testis unquam litteras tales. Item interrogatus super ultimo articulo, — dixit, se nichil scire.

B.

Causa inter capitulum Transsilvanense et decanatum de Sebus super censu annuali.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo nono, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quarto, die septima mensis Junii, septime indictionis, constitutus in iudicio coram venerabili viro domino Philippo de Sardinea canonico Arborensi, decretorum doctore, capellano reverendi patris et domini domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ac ipsius curie generali auditore causarum, Philippo de Cingulo procuratore substituto a domino Santio procuratore capituli Transsilvani, ex parte una, et Vagnolo de Meuania procuratore substituto a domino Bertoldo decano de Sebus, procuratore capituli dicti decanatus de Scebus, ex altera, de quibus procurationibus et substitutionibus dicte curie plene constat, dictus Philippus, nomine quo supra, exhibuit in scriptis contra dictum Vagnolum, procuratorio nomine supradicto, dicto domino auditori libellum continentie subsequentis:

(Pro capitulo.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea, decretorum doctore, canonico Arborensi, capellano ac generali auditore reverendi in Christo patris et domini domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ego Philippus de Cingulo, procurator substitutus a venerabili viro domino Sancto procuratore venerabilis capituli ecclesie Transsilvane, dico et

1 Gentilis.
2 Gentilis.

propono, procuratorio nomine ipsius capituli, contra providum virum dominum Bertoldum procuratorem capituli de Scebus, Transsilvane diocesis, et contra idem capitulum, quod cum predictum capitulum ecclesie Transsilvane esset in possessione et quasi percipiendi annuam pensionem seu censum, videlicet marcam fini argenti ad pondus Budense de sexaginta fumis, dicando in parrochiis eiusdem capituli de Sebus, a prefato capitulo de Sebus, ipsum capitulum de Sebus pensionem seu censum predictum a duobus annis cum dimidio citra capitulo ecclesie Transsilvane subtraxit iniuste, et eum solvere indebite contradicit, in eiusdem capituli Transsilvani preiudicium et gravamen. Quare peto ego Philippus procurator predictus, procuratorio nomine quo supra, per Vos prefatum capitulum Transsilvanum in statum illum, seu pensionem vel censum, quasi percipiendi ab eodem capitulo de Sebus et personis capituli memorati pensionem prefatam seu censum, subtractos a predictis duobus annis et dimidio citra, restitui eidem capitulo Transsilvano, et restituto, imposterum pacifica possessione gaudere, et ad hoc ipsum dominum Bertoldum, procuratorio nomine quo supra, sententialiter condempnare. Preterea peto, nomine quo supra, [satis] fieri per eum dampnis et expensis factis, et protestor de faciendis; salvo iure addendi, mutandi, corrigendi et declarandi &c.

Quo oblato libello, data est copia dicto Vagnolo de eodem; et terminum ad respondendum eidem, nisi aliud rationabile proponatur, dictus dominus auditor eidem Vagnolo, dicto nomine, ad diem Jovis futurum proxime peremptorie assignavit.

(Pro decanis.)

Die Jovis, XII. mensis Junii, VII. indictionis, comparentibus predictis procuratoribus substitutis utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, dictus Vagnolus exhibuit in scriptis contra dictum libellum exceptionem infrascriptam, cuius tenor talis est:

(Pro decanis.)

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo de Sardinea, decretorum doctore, venerabilis patris domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, generali auditore, excipiendo dico et propono ego Vagnolus de Meuania,

1 Gentilis.

procurator substitutus a reverendo viro domino Bertuldo decano de Sebus, procuratore capituli dicti decanatus de Sebus, contra magistrum Philippum de Cingulo procuratorem substitutum a reverendo viro domino Sancto, qui se dicit procuratorem Albensis ecclesie, et libellum, per dictum procuratorem substitutum propositum coram Vobis contra dictum decanum procuratorem dicti capituli de Sebus, ipsum quidem decanum procuratorem vel me procuratorem substitutum ab eo non debere, nec posse cogi, coram Vobis respondere dicto libello eo, quod a gravamine illato et inferendo dicto capitulo de Sebus a dicto capitulo Albensis ecclesie circa exactionem census, in dicto libello contenti, quo prefatum capitulum Albensis ecclesie spoliatum se asserit, et cuius restitutionem petit, generaliter super quacunque controversia, occasione dicti census inter predicta capitula existente, est ex parte dicti capituli de Sebus contra prefatum capitulum Albense ad sedem apostolicam appellatum, que appellatio est ab eadem sede admissa. Sicque nullus inferior iudex de questione super dicto casu, quomodocunque mota vel movenda, se intromittere potest.

Predictam exceptionem propono ego Vagnolus procurator prefatus, salvis aliis exceptionibus, si expedierit, suo loco et tempore proponendis.

(Pro capitulo.)

Qua exceptione exhibita, statim dictus dominus auditor assignavit terminum dicto magistro Philippo, ad recipiendum copiam de eadem et ad replicandum contra eam, si voluerit, et utrisque procuratoribus ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Sabati proxime futurum.

Die Lune, XVI. dicti mensis, retulit Zuccha nuncius iuratus dicte curie, se citasse heri de mandato dicti domini auditoris Vagnolum procuratorem substitutum predictum, ad petitionem dicti magistri Philippi, quod hodie in vesperis veniret ad procedendum in dicta causa, ut de iure esset.

(Pro capitulo.)

Eodem die Lune, in vesperis, comparentibus dictis procuratoribus utriusque partis in iudicio coram domino auditore predicto, dictus magister Philippus verbo replicando contra exceptionem predictam, dixit exceptionem ipsam non procedere, nec litis contestationem impedire de iure; nam esto sine preiudicio, quod appellatum esset, sicut dicitur,

non obstat, quia tempora appellationis, infra que debuit causa appellationis decidi, sunt omnino elapsa. Sicque petebat cum instantia, procedi ad litis contestationem super dicto libello, exceptione predicta opposita, tanquam frivola, non obstante. Qui magister Philippus interrogatus per dictum dominum auditorem, si vellet replicare in scriptis, respondit et dixit, quod non. Et in continenti dictus dominus auditor assignavit terminum utrisque procuratoribus predictis ad diem Mercurii in vesperis proxime futurum, ad allegandum, quicquid voluerint, super predictis hinc inde, et alias in dicta causa, ut de iure fuerit, procedendum.

(Pro utrisque.)

Die Mercurii, XVIII. dicti mensis Junii, dictus dominus auditor prorogavit ex causa dictum terminum, presentibus dictis procuratoribus utriusque partis, ad cras in vesperis in eisdem finibus.

(Pro utrisque.)

Item die Jovis, XVIIII. dicti mensis, similiter dictus dominus auditor ex causa, presentibus dictis procuratoribus utriusque partis, ad cras dictum terminum in eisdem finibus prorogavit.

(Pro decanis.)

Die Sabati, XXI. mensis predicti, comparuerunt dicti procuratores utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, et post multa dicta et allegata, tam per advocatos utriusque partis, quam procuratores eosdem, super libello, exceptione et replicatione predictis, dictus dominus auditor assignavit terminum dicto Vagnolo, nomine quo supra, ad producendum litteras, si quas habet, super prosecutione appellationis facte, ut dicitur, in Romana [curia] pro parte dicti capituli de Sebus, prout in exceptione dictus Vagnolus posuit supradicta, et ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Lune proxime futurum.

(Pro decanis.)

Die Mercurii, XXV. dicti mensis Junii, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore predictis procuratoribus substitutis utriusque partis, dictus Vagnolus, nomine quo supra, exhibuit et dedit litteras apostolicas, impetratas et obtentas in Romana curia super appellatione, de qua fit mentio in sua exceptione supradicta, petens se absolvi dicto

nomine a petitione dicti magistri Philippi, et pronunciari debere, petitionem ipsam et libellum non procedere, pendente appellatione predicta.

(Pro utrisque.)

Quibus litteris apostolicis exhibitis et productis, statim dictus dominus auditor assignavit terminum peremptorie predictis procuratoribus ad cras in vesperis ad comparendum coram eo, audituri interlocutoriam per eum ferendam in causa predicta, dicto Vagnolo protestante de expensis factis et faciendis.

(Interlocutoria pro decanis.)

Die Jovis, XXVI. dicti mensis Junii, predicte indictionis, in presentia predictorum procuratorum substitutorum utriusque partis, in iudicio comparentium ad audiendum interlocutoriam predictam, venerabilis vir dominus Philippus auditor predictus, visis dicto libello et exceptionibus ac litteris apostolicis memoratis, viso toto predicto processu, habita deliberatione sollempni, interloquendo pronunciavit, exceptionem predictam propositam per dictum Vagnolum, nomine quo supra, procedere, et litis contestationem impedire super libello predicto, ac pendente appellatione predicta, super dicta causa coram eo ulterius procedi aliquatenus non debere.

C.

Causa inter capitulum Transsilvanense et septem decanatus de iniuriis capitulo illatis.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo nono, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quarto, die Sabati, VII. mensis Junii, VII. indictionis, apud Budam, Vesprimiensis diocesis, constitutis in iudicio coram venerabili viro domino Philippo de Sardinea canonico Arborensi, decretorum doctore, capellano reverendi patris et domini domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ac ipsius curie generali auditore causarum, magistro Philippo de Cingulo procuratore substituto a domino Santio procuratore capituli ecclesie Transsilvane, ex parte una, et Vagnolo de Meuania procuratore substituto a domino Bertoldo decano de Sebus procuratore capitulorum, videlicet de Sebus, de Spreng, de Kozd, de Kyzd et de Cryys, Transsilvane diocesis, de quorum pro-

1 Gentilis.

curatoriis et substitutionibus dicte curie plene constat, dictus magister Philippus exhibuit dicto domino auditori contra dictam alteram partem in scriptis quendam libellum, cuius tenor talis est:

(Pro capitulo.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea, decretorum doctore, canonico Arborensi, capellano ac generali auditore reverendi patris et domini domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, dico et propono ego Philippus de Cingulo, procurator substitutus a venerabili viro domino Sancto procuratore venerabilis capituli ecclesie Transsilvane, contra providum virum dominum Bertoldum procuratorem septem capitulorum, videlicet de Sebus, de Spreng, de Kyzd, de Cozd et de Cryis, de Kukullu maiori et de Kukullu minori, Transsilvane diocesis, procuratorio nomine ipsorum, quod procuratores et nuncii dictorum capitulorum, videlicet Pertholdus plebanus de Kelnuk, item sacerdos de Subcastro Petri, Andreas de Orbou,[1] et alii quamplures sacerdotes dicti capituli de Sebus, de voluntate, licentia, mandato et consensu predictorum septem capitulorum, anno preterito et de mense Februarii iniuriose ac violenter, hostiliter, cum magna comitiva equitum clericorum et laycorum armatorum, ecclesiam beati Michaelis Transsilvanam intraverunt, hostia predicte ecclesie claudendo, ac custodes ibidem ponendo, et insultum fecerunt in canonicos eiusdem ecclesie, ad capitulum convocatos, percutiendo ac verberando quamplures clericos et beneficiatos eiusdem ecclesie, fugando etiam et trudendo canonicos predictos, et alias ignominiose et turpiter transfugando ipsos usque in sacristiam ecclesie supradicte. Quam iniuriam nollet predictum capitulum substinuisse pro mille marcis fini argenti ad pondus Budense. Quare peto ego predictus Philippus, procuratorio nomine quo supra, eundem dominum Pertoldum procuratorem, procuratorio nomine predictorum, in predicta quantitate marcarum nomine iniuriarum sententialiter condempnari et compelli, et condempnandum fore decerni, et ad hoc propono actionem iniuriarum civilem. Preterea peto fieri omni iure et modo, quibus melius potest, cum dampnis et expensis ac interesse. Salvo sibi iure addendi, mutandi, corrigendi et declarandi &c.

1 Orbó, Szász-Orbó, germ. Urwegen, in comit. Szebeniensi.

(Pro decanis.)

Quo oblato libello, et data de eo copia dicto Vagnolo, ut deliberaret super ipso, dictus dominus auditor assignavit terminum ipsi Vagnolo ad respondendum eidem, nisi aliud rationabile proponatur, ad diem Jovis proxime futurum.

Die Jovis, XII. mensis Junii, VII. indictionis, comparentibus predictis procuratoribus substitutis in iudicio coram dicto domino auditore, dictus Vagnolus exhibuit in scriptis contra dictum libellum exceptionem infrascriptam, cuius tenor talis est:

(Pro decanis.)

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo de Sardinea, decretorum doctore, venerabilis patris domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, generali auditore, ego Vagnolus procurator substitutus a reverendo viro domino Bertoldo decano de Zebus, procuratore quinque capitulorum, videlicet de Sebus, de Spring, de Kyzd et de Kozd et de Criz, Transsilvane diocesis, procuratorio nomine dicti domini Bertoldi procuratoris seu dictorum capitulorum, coram Vobis, auditore prefato, excipiendo dico et propono contra magistrum Philippum procuratorem substitutum a domino Sancto procuratore capituli ecclesie Transsilvane, et libellum per eum oblatum, contra dicta quinque capitula, et dominum Bertoldum procuratorem eorum, in quo idem magister Philippus procurator, ut supra, petit dictum dominum Bertoldum, procuratorio nomine dictorum quinque capitulorum, condempnari in mille marcis fini argenti, ad pondus Budense, nomine iniuriarum illatarum, ut dicit, Albensi capitulo, me quidem vel dictum dominum Bertoldum prefatum non debere, nec posse cogi, respondere dicto libello eo, quod dictum capitulum Albense dictam questionem, sede Albensi vacante, intentare non potest.

Predictam exceptionem propono ego Vagnolus procurator prefatus, nomine dicti domini Bertoldi procuratoris dictorum quinque capitulorum et nomine ipsorum, salvis michi aliis, suo loco et tempore proponendis.

(Pro capitulo.)

Qua exceptione exhibita, statim dictus dominus auditor assignavit terminum dicto magistro Philippo, ad recipiendum copiam de eadem,

1 Gentilis.

et ad replicandum contra eam, si voluerit, et utrisque procuratoribus ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Sabati proxime futurum.

Die Lune, XVI. dicti mensis, retulit Zuccha nuncius iuratus dicte curie, se citasse heri de mandato dicti domini auditoris Vagnolum procuratorem substitutum predictum, ad petitionem dicti magistri Philippi, quod hodie in vesperis veniret ad procedendum in dicta causa, ut de iure esset.

(Pro capitulo.)

Eodem die Lune, in vesperis, comparentibus dictis procuratoribus substitutis utriusque partis in iudicio coram domino auditore predicto, dictus magister Philippus, replicando verbotenus contra exceptionem predictam, dixit, exceptionem ipsam non procedere, nec litis contestationem impedire de iure, quia iniurie et excessus patrati et commisse, ut in dicto libello continetur, patrati et commisse sunt in persona capituli, et sic de iure capitulum, etiam sede vacante, de ipsis agere potest, et in iniuriarum actionem huiusmodi intentare. Qui magister Philippus, interrogatus per dictum dominum auditorem, si vellet replicare in scriptis, respondit, quod non. Sicque in continenti dictus dominus auditor assignavit terminum utrisque dictis procuratoribus ad diem Mercurii proxime futurum in vesperis, ad allegandum, quicquid voluerint, et disputandum super predictis, et alias in dicta causa, ut de iure fuerit, procedendum.

(Pro utrisque.)

Die Mercurii, XVIII. dicti mensis Junii, dictus dominus auditor prorogavit ex causa dictum terminum, presentibus dictis procuratoribus utriusque partis, ad cras in vesperis in eisdem finibus.

Item die Jovis, XVIIII. dicti mensis, similiter dictus dominus auditor ex causa, presentibus dictis procuratoribus utriusque partis, ad cras dictum terminum in eisdem finibus prorogavit.

(Pro utrisque.)

Die Sabati, XXI. Junii, predicte indictionis, comparuerunt dicti procuratores utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, et post multa dicta et allegata hinc inde per advocatos utriusque partis super libello, exceptione et replicatione predictis, dictus dominus auditor assignavit terminum predictis procuratoribus substitutis utriusque partis ad diem Martis proxime futurum ad comparendum coram eo, audituri

interlocutoriam, quam super predictis proferre intendit, secundum quod iustitia suadebit; dicto magistro Philippo se offerente paratum, dare et prestare cautionem ydoneam, si necesse fuerit, cum clausulis oportunis, quod quicquid actum, factum et procuratum fuerit per eum in dicta causa, et quod factum est etiam, futurus episcopus ratum habebit et firmum, et illud ratificabit ac etiam approbabit.

(Interlocutoria pro capitulo.)

Die Mercurii, XXV. dicti mensis Junii, predicte septime indictionis, comparentibus dictis procuratoribus substitutis utriusque partis in iudicio coram dicto domino auditore, ad audiendum interlocutoriam ferendam super predictis, ad quam audiendam habuerunt terminum heri, die feriata propter festivitatem sancti Johannis, et petentibus, interlocutoriam ipsam per dictum dominum auditorem ferri et pronunciari, idem dominus auditor, visis et diligenter inspectis iuribus utriusque partis super libello et exceptione predictis, ac super ipsis habita intra se deliberatione sollempni, Christi nomine invocato, interloquendo pronunciavit, super dicto libello litem contestandam esse, et exceptionem predictam non impedire litis contestationem huiusmodi, faciendam super libello predicto.

A qua interlocutoria dictus Vagnolus, procuratorio nomine quo supra, illico viva voce appellavit, protestans, quod intendit appellationem huiusmodi dare in scriptis.

(Pro capitulo.)

Cui appellationi dictus dominus auditor non detulit. Mandans dicto Vagnolo presenti ad petitionem dicti magistri Philippi, quod cras in vesperis peremptorie compareat coram eo, ad contestandum litem super libello predicto. Mandavit etiam dicto magistro Philippo, quod compareat similiter coram eo, ad prestandum cautionem ydoneam, quod futurus episcopus ratum habebit et firmum, quicquid actum, procuratum et factum fuerit in causa predicta.[1]

1 Reliqua pars processus, quæ sequitur, tantum in fragmentis inter fol. 41. et 43. (deest paginatio de fol. 42.) adest.

FRAGMENTA AD EANDEM CAUSAM PERTINENTIA.

Coram Vobis, reverendo viro domino Philippo &c. excipiendo propono ego Vagnolus procurator substitutus a domino Berthuldo procuratore VII. capitulorum, scilicet de Sebus, de Spreng, de Kizd, de Kozd, et de Cris, de maiori Kukulo et de minori Kukulo, Transsilvanensis diocesis, contra magistrum Philippum procuratorem substitutum a domino Sancto procuratore capituli Transsilvani, et contra libellum per eum propositum, in quo libello idem Philippus procurator petit, dictum dominum Bertholdum procuratorem, ut supra, condempnari in mille marchis fini argenti ad pondus Budense, cum dampnis, expensis et interesse, propter eo, quod asserit Philippus procurator predictus, nuncios et procuratores predictorum capitulorum de anno preterito et mense Februarii de mandato ipsorum capitulorum violenter et hostiliter cum equitibus et peditibus armatis intravisse ecclesiam sancti Michaelis, multiplices iniurias fecisse dicto capitulo Transilvano, ut in ipso libello plenius continetur. Me quidem procuratorem, ut supra, non esse cogendum de iure, dicto magistro Philippo et libello respondere ex eo, quod super factis, ex quibus magister Philippus procurator predictus asserit in dicto libello, dictum capitulum Transilvanum multipliciter fuisse iniuriatum; cum ex adverso ex eisdem factis, dicta capitula iniurias sibi esse illatas ab ipso capitulo Transilvano asseruerint et asserant; fuerit ex parte dictorum capitulorum contra ipsum capitulum Transilvanum ad sedem apostolicam appellatum, et appellatio predicta admissa et commissa iudici delegato, sicque negotia et facta, ex quibus predicte iniurie orte dicuntur hinc inde, ac ipsarum cognitio ad sedem apostolicam et iudicem delegatum ab ea sunt generaliter devoluta, et per consequens alius iudex inferior se de dictis iniuriis ad petitionem alicuius partium predictarum intromittere se de iure non potest, cum super eodem facto orta materia questionis et litium non coram diversis iudicibus, sed coram uno cognosci debeat et finiri.

Predictam autem exceptionem propono, salvis aliis, suo loco et tempore proponendis.[1]

Die Jovis, III. Julii, exhibite sunt dicte exceptiones, et datus est

1 Fragmentum primum inter fol. 41 et 43.

cum filo canapis integro, vero sigillo dicti domini legati sigillatas, non abolitas, non abrasas, non suspectas, non vitiatas, nec in aliqua sui parte corruptas, sed omni suspicione carentes, nobis et coexecutoribus nostris predictis directas, coram Angelo de Sancta Victoria notario publico, et testibus infrascriptis presentavit, petens a nobis instanter, ut ad executionem huiusmodi gratie sibi facte, iuxta ipsarum litterarum prefati domini legati tenorem, procedere deberemus, quas, sicut decuit et tenemur, recepimus reverenter. Quibus litteris receptis, visis et diligenter inspectis, ipsas publice legi fecimus per notarium memoratum, quarum tenores tales sunt: Frater Gentilis &c. Item: Frater Gentilis &c. Nos igitur Bonensengna de Perusio executor prefatus, tanquam obedientie filius, volentes mandatum prefati domini legati predictum, nobis in hac parte directum, exequi humiliter et devote, ut tenemur, Vos, dominum episcopum, archidiaconum, cantorem, capitulum et universos et singulos prelatos, officiales, administratores et canonicos Quinqueeclesiensis ecclesie requirimus et monemus, primo, II. et III. peremptorio communiter et divisim, Vobis nichilominus et cuilibet vestrum auctoritate domini legati predicti, qua fungimur in hac parte, in virtute sancte obedientie, cum reverentia tamen, qua convenit, districte precipiendo mandantes, quatenus prefatum R.[1] vel procuratorem suum, eius nomine et pro ipso, iuxta predictarum sepedicti domini legati litterarum tenorem, prout ad Vos et quemlibet vestrum pertinet, communiter vel divisim, infra sex dies, a publicatione vel denunciatione presentium Vobis facta immediate sequentes, quorum duos pro primo edicto, duos pro II. et reliquos duos Vobis universis et singulis pro tertio et peremptorio termino assignamus, cum plenitudine iuris canonici recipiatis in vestrum et vestre ecclesie canonicum atque fratrem, eique vel procuratori suo, eius nomine, stallum in choro et locum in capitulo, sicut canonico eiusdem ecclesie, assignetis, et in corporalem possessionem canonicatus et prebende huiusmodi, iurium et pertinentiarum ipsorum, nulli alii de iure debitorum, si qua tempore provisionis sibi facte per dictum dominum legatum ibi vacabat, eundem R. vel procuratorem suum, eius nomine, sine difficultate qualibet ponatis, inducatis, et defendatis inductum. Admittendo ipsum vel procuratorem suum, eius nomine, libere ad predicta, et faciendo eidem R. vel procuratori suo, eius nomine, de ipsorum canonicatus et prebende vacantis,

1 Roffinum.

tempore provisionis huiusmodi et nulli alii de iure debite, fructibus, proventibus, redditibus, iuribus et obventionibus universis plene et integre responderi. Et si tempore provisionis dicti domini legati talis prebenda inibi non vacabat, sed vacavit postea, vel nunc vacat, nos eandem prebendam, nulli alii de iure debitam, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem R. dicti legati auctoritate conferimus, et de illa sibi etiam providemus, ac ipsum de eadem per nostrum birretum presentialiter investimus. Monentes Vos et singulos vestrum primo, II. et III., ut supra dictum est, quatenus prenominato R. vel procuratori suo, eius nomine et pro ipso, plene et integre sine difficultate qualibet, de ipsius fructibus, redditibus, iuribus et obventionibus universis respondere curetis, et responderi ab aliis, quatenus ad Vos et singulos vestrum pertinet, integre faciatis. Si vero ad presens in predicta vestra Quinqueecclesiensi ecclesia talis non vacat prebenda, nos primam prebendam vacaturam ibidem, et nulli alii de iure debitam, predicto R. conferendam, collationi nostre vel collegarum nostrorum, seu eius vel eorum, cui vel quibus super hoc committimus vel commiserimus vices nostras, libere reservamus. Decernentes ex nunc, licet ipse legatus decreverit, irritum et inane, si secus super hiis a quocunque, quavis auctoritate, de tali prebenda, per nos in predicta ecclesia Quinqueecclesiensi reservata, quomodolibet fuerit attemptatum, vel in futurum contigerit attemptari. Inhibentes, ac etiam interdicentes Vobis et singulis vestrum, ne prebendam huiusmodi per dictum dominum legatum vel per nos, ut premittitur, taliter collatam, vel etiam reservatam, vel aliquod ius pertinens ad eandem, alicui alii conferre vel assignare curetis, aut permittatis, quantum in Vobis est, assignari per alium aut conferri. Si enim Vos, domine Episcope, eundem R., ut premittitur, libere non admiseritis ad premissa, vel impedimentum prestiteritis per Vos vel per alium seu alios in premissis vel aliquo premissorum, publice vel occulte, nos Vobis ex nunc in hiis scriptis ingressum ecclesie interdicimus. Et si huiusmodi interdictum per sex dies, post predictos sex alios immediate sequentes, quos Vobis, domino episcopo, pro primo, II. et III. termino peremptorio assignamus, animo substinueritis pertinaci, quia crescente contumacia, crescere debet et pena, secundum canonicas sanctiones, in Vos et in omnes alios et singulos prelatos, officiales, administratores predicte ecclesie Quinqueecclesiensis, et in omnes alios quoscunque contradictores et rebelles, qui collationi, provisioni, reservationi et inhibitioni huiusmodi, ac aliis supradictis se quoquo modo opponent, vel impedimentum prestabunt, quominus pre-

dicta collatio, seu provisio aut inhibitio suum expedite sortiantur effectum, vel ipsum libere non receperint in canonicum et in fratrem, necnon in dantem seu dantes, et recipientem seu recipientes prebendam huiusmodi, vel dari seu per alium recipi procurantes, aut receptionem huiusmodi maliciose differrent, vel receptioni ipsius impedimentum prestabunt, publice vel occulte, aut impedientibus ipsum scienter dederint consilium, auxilium vel favorem, vel plene in hac parte nostris, immo verius predicti domini legati, non parebunt mandatis, vel circa ea, vel aliquod premissorum contradictores et rebelles existent, cuiuscunque sint preeminentie, auctoritatis, ordinis, conditionis aut status, in hiis scriptis ex nunc excommunicationis; in capitulum vero et ecclesiam vestram Quinquecclesiensem predictam interdicti sententias promulgamus. Ceterum cum ad executionem huiusmodi faciendam non possimus personaliter interesse, discretis viris, Dyonisio preposito sancti Johannis et Petro archidiacono de Osiagh, canonicis Veglensibus, quibus et eorum cuilibet in solidum super executione predicti mandati supradicti domini legati et nostri committimus plenarie vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, sub pena excommunicationis, quam in ipsos, canonica monitione premissa, proferimus in hiis scriptis, et ipsos et eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, si mandatum nostrum, immo potius dicti domini legati, neglexerint aut recusaverint aut contempserint adimplere. Et in virtute sancte obedientie districte precipimus et mandamus, quatenus ipsi aut eorum alter, qui a dicto R. canonico Quinquecclesiensi, seu procuratore ipsius fuerit requisitus, ad Vos et dictam vestram Quinquecclesiensem ecclesiam personaliter accedant ita, quod ad exequendum mandatum huiusmodi alter alterum non expectet, nec requirat. Et supradictas nostras monitiones, sententias et precepta et alia, que eis vel eorum alteri expedire videbuntur, Vobis, domino episcopo et capitulo, ac omnibus et singulis prelatis, officialibus, administratoribus et canonicis, communiter et divisim, in predicta vestra Quinquecclesiensi ecclesia, aut in capitulo ipsius ecclesie et alibi, ubi eis vel eorum alteri expedire videbitur, denuncient, et processum nostrum supradictum et litteras et instrumenta, huiusmodi negotium contingentia, publice legant et publicare procurent, eundem R. vel procuratorem suum, eius nomine, auctoritate nostra, immo verius prefati domini legati, in ipsa ecclesia in canonicum et in fratrem recipi faciendo, et in ipsius possessionem inducendo, et defendendo inductum, stallum in choro et locum in capitulo loco nostri studeant assignare; mandatum

nostrum, immo verius predicti domini legati, super omnibus aliis exequendo, iuxta formam mandatam seu directam nobis a predicto domino legato. Ita quod predicti subdelegati nostri, quibus et eorum cuilibet in solidum hoc negotium duximus committendum, nichil in dicti R. preiudicium innovare valeant vel mutare in processibus per nos factis et sententiis per nos latis. Volumus tamen, quod per alterum eorum inceptum fuerit, per alterum valeat terminari. In ceteris autem, que dicto R. nocere possent, eis et eorum cuilibet potestatem omnimodam denegamus. In summa autem hoc est nostre voluntatis studium, ut secundum mandatum dicti domini legati idem R. canonicatum et prebendam vestre Quinquecclesiensis ecclesie predicte cum omnibus iuribus et pertinentiis suis libere assequatur. Et si contingat Vos, dominum episcopum, vel aliquem de predictis prelatis, officialibus, administratoribus et canonicis, seu alias quascunque personas predictas nostras sententias incurrere quoquo modo, per manifestam resistentiam vel occultam, nolumus per alium, quam per nos, vel superiorem nostrum eas relaxari, vel quomodolibet ammoveri. Volumus tamen, Vobis copiam fieri de predictis, si eam petieritis et habere volueritis, vestris tamen sumptibus et expensis. Ita quod, facta Vobis copia de eisdem, omnia et singula instrumenta et litteras, huiusmodi negotium contingentia, omnino illesa, prout idem R. vel procurator suus assignaverit, sine difficultate qualibet reddatis eidem R. vel procuratori suo; quia penes ipsos, vel eorum alterum volumus remanere. Quod si secus feceritis, Vos et vestrum quemlibet ex nunc in hiis scriptis excommunicationis vinculo innodamus. Notificamus insuper tenore presentium omnibus, quos negotium tangit huiusmodi, vel posset tangere in futurum, quod nostre intentionis aliquatenus non existit, quod per hunc nostrum processum aliquod nostris coexecutoribus in totum, vel in parte, preiudicium generetur, quin ipsi vel eorum alter per se, vel per alium seu alios, huiusmodi nostro processu servato, mandatum predicti domini legati plene valeant exequi in premissis, iuxta directam ab eo seu traditam eis formam, secundum quod eis vel eorum alteri videbitur expedire. In quorum testimonium presentes litteras, seu presentem processum per Angelum notarium publicum infrascriptum scribi et publicari mandavimus, et nostri sigilli appensione muniri. Actum et datum Bude, in curia dicti domini legati, presentibus *talibus* testibus, ad predicta specialiter vocatis et rogatis; die XV. Januarii, VII. indictionis.

Et ego Angelus Theobaldi de Sancta Victoria, Firmane diocesis,

publicus apostolica etimperiali auctoritate notarius, presentationi dictarum litterarum, promulgationi dictarum sententiarum, ac omnibus aliis et singulis supradictis interfui, et presentes litteras, seu presentem processum totum de mandato dicti domini Bonensegne executoris predicti, a predicto Roffino rogatus, manu propria scripsi et publicavi, meoque solito signo signavi.

LVII.

1309. 9. Februarii. Budæ.

Cardinalis Gentilis canonicos ecclesiæ Scepusiensis ad residentiam stringit.

(Arch. Cap. Scepus. priv. Scrin. 11. fasc. 2. Nr. 18. in transsumpto Ladislai de Doroghâza notarii publici a. 1468.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis, preposito et capitulo ecclesie sancti Martini Scepusiensis, Strigoniensis dyocesis, salutem in Domino. Geritur in affectione nostra precipuum, ut in ecclesiis, infra legationis nostre terminos constitutis, divinus cultus ad laudem Christi nominis et animarum salutem iugiter augmentetur; ideoque studemus illas ab hiis, que cultum eundem impedire seu diminuere possent, attenta vigilantia, prout nobis ex alto permittitur, preservare. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quamplures ex canonicis ecclesie vestre, in qua dicitur sexdecim canonicorum numerus institutus, in eadem ecclesia, prout tenentur, licet cum integritate proventus suarum percipiant prebendarum, residentiam facere negligunt personalem et ipsi ecclesie deservire, propter quod ecclesia ipsa debitis obsequiis defraudatur. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut statuere curaremus, quod omnes et singuli ecclesie prefate canonici ipsi ecclesie per se ipsos vel saltem per singulos vicarios faciant continue deserviri, et qui de cetero predicte ecclesie taliter servire contempneret *(sic)*, quamdiu in contemptu huiusmodi perdurarent, prebendarum suarum fructuum sint perceptione privati, et si aliquis privatus taliter aliquid inde perceperit, infra duo menses ad restitutionem eorum, que percepit, integram teneatur, et qui non restituerit infra terminum supradictum, eo ipso sit excommunicationis vinculo innodatus. Nolentes

itaque, ut eadem ecclesia propter absentiam canonicorum ipsorum defectum aliquem in divinis officiis patiatur, vestris iustis supplicationibus inclinati, qua fungimur, actoritate statuimus et ordinamus, ut canonici memorati per se vel singulos vicarios ipsi ecclesie deservire de cetero teneantur. Si quis autem canonicorum ipsorum contra tam salubre statutum venire presumpserit, nihil interim de proventibus prebende sue percipiat, et quicquid contra huiusmodi statutum perceperit, infra simile duorum mensium spatium ad restitutionem perceptorum taliter integram teneatur. Qui vero infra predictum terminum, quod taliter receperit, restituere non curaret, excommunicationis vinculo presentis statuti sit auctoritate ligatus, nisi apostolice sedis vel legatorum ipsius de latere privilegio sit nunitus. Nulli ergo cet. Datum Bude, V. idus Februarii, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

LVIII.

1309. 22. Martii.

Angelus de Sancta Victoria procurator communis Spalatensis Cipuarium Petri et Gregorium Petrache procuratores suos constituit in causa coram cardinale Gentile inter commune et archiepiscopum Spalatensem vertente.

(Bibl. Vat. in coopertorio cod. 4013.)

Die XXII. Martii, VII. indictionis, presentibus magistro Philippo de Cingulo et Philippo dicto Punctonus, testibus, Angelus syndicus et procurator communis Spalatensis fecit suos procuratores Cipuarium Petri et Gregorium Petrache, vel quemcunque seu quoscunque alios deputatos vel nominatos pro parte communis Spaleti, in causa denunciationis, vertenti inter dictum commune contra archiepiscopum Spalatensem, ad producendum testes, et prestandum, et alias probationes producendum, et omnia faciendum coram auditoribus, datis ad recipiendum probationes et inquisitionem faciendam in causa predicta; reservato, quod possit eos revocare &c.

Et rogatus est Vagnolus de Meuanea.

LIX.

1309. 21. Aprilis. Budæ.

Herricus plebanus de Mulnbach, procurator plebanorum plurium decanatuum Transsilvanensium, Johanni de Aretio capellano cardinalis Gentilis ratione procurationis salarium promittit.

(Bibl. Vatic. Fragmentum inter fol. 41 et 43. codicis 4013.)

Pateat omnibus, presentes litteras inspecturis, quod ego Herricus plebanus in Mulnbach, procurator dominorum Bertoldi decani de Zebus, plebani de Kelneke, Gotscalci plebani de Winz, Nicholai plebani de Pen, Michaelis plebani de Villa Petri, Danielis plebani de Rychove, Baldinii plebani de Resz,[1] Johannis plebani de Suburbio, Ailhelmi plebani de Humlesz,[2] Johannis plebani de Drobrica,[3] Reinneri plebani de Apoldia superiori, totiusque capituli eiusdem decanatus, item Nicholai decani de Chozd, plebani de Villa Jacobi, ac universitatis plebanorum eiusdem decanatus, item Bertoldi decani de Kizd, plebani de Zegus, Johannis plebani de Zegisvar, Nicholai plebani de Apoldia, Hermanni plebani de Dalida[4] ac universitatis plebanorum eiusdem decanatus, nomine meo ac procuratorio nomine predictorum, promitto domino Johanni de Aretio capellano venerabilis patris domini fratris Gentilis Dei gratia presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati in regno Ungarie ac partibus illi conterminis, dare et solvere hinc ad XV. dies proxime venturos XX. marchas boni et fini argenti ad pondus Budense pro salario advocationis, qua tenetur michi, nomine quo supra, adsistere in curia domini legati predicti, quousque durabit ipsa legatio, in tribus causis, quas habeo, nomine quo supra, cum capitulo ecclesie Transilvane, videlicet in causa census, quem dictum capitulum petit a predictis vel aliquibus eorum, item in causa gravaminis illati predictis per ipsum capitulum in impositione seu taxatione procurationum dicti domini legati, et in causa iniuriarum, quas dictum capitulum asserit sibi illatas a quibusdam de predictis, videlicet a predialibus.[5] Predicta autem dicto domino Johanni, presenti et stipulanti nomine predictorum, ac etiam me pro omnibus principaliter obligando,

1 Kőhalom, germ. Reps, in comit. Küküllő maiori.
2 Omlás, in comit. Szebeniensi.
3 Doborka (Debirka, Dobring), in comitatu Szebeniensi.
4 Dálya, in comit. Küküllő maiori.
5 Vide hos processus supra No. LIV. pag. 187 et sequ.

promitto attendere et observare sub pena excommunicationis et dupli quantitatis predicte. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri feci, et mei sigilli munimine roboravi. Actum Bude, in domo, in qua habitat dictus dominus Johannes, sub anno Domini MCCCVIIII. indictionis... *(sic)*, die XXI. mensis Aprelis.

LX.

1309. 3—5. Maii. Budæ.

Causa Lucæ canonici Vaciensis contra capitulum eiusdem ecclesiæ super canonicatu eidem Lucæ per cardinalem Gentilem collato.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. Fol. 16–17.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIIII. indictione VII., die Sabbati, tertio mensis Maii, actum Bude. Constitutis in iudicio coram venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, auditore reverendi in Christo patris domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, Luca filio condam Pazcunis de Nir, canonico Vaciensi, ex parte una, ac discretis viris dominis Nicolao archidiacono Pestiensi, Laurentio lectore, magistro Lodomerio et Stephano plebano, canonicis predicte ecclesie Vaciensis, nomine ipsorum ac episcopi et capituli et ecclesie Vaciensis, ex parte altera, idem Lucas dixit, quod cum prefatus dominus legatus pridie *(sic)* sibi de canonicatu et prebenda, vacantibus in eadem ecclesia per mortem condam G. prepositi Budensis, eiusdem ecclesie tunc canonici, de speciali gratia providisset, prout in litteris eiusdem domini legati plenius continetur, quas ibidem in iudicio produxit, ipseque Lucas voluisset in tenutam et corporalem illorum possessionem intrare ac illos retinere, prout sibi provisum fuerat, iidem episcopus, canonici et capitulum ipsum impediunt, nec permittunt, prefati domini legati litteras, sibi super dicta gratia concessas, executioni mandare. Propter quod petiit, eos per ipsum dominum auditorem compelli ad recipiendum eundem ad gratiam supradictam expresse mandari, et eos cogi ad predicta. Prefati vero canonici, nomine quo supra, contra dictum Lucam expresse dixerunt, quod ipse Lucas [litteras] super dicta gratia ab eodem domino legato impetravit, tacita veritate sui defectus, nec illas

1 Gentilis.

optinere potuit sine dispensatione, cum ipse assisos habeat totum digitum policem manus sinistre et duas partes digiti policis manus dextere, et in impetratione dictarum litterarum de predicto defectu nullam fecerat mentionem; propter quod dixerunt illas litteras sic impetratas, tacita veritate, effectum non habere, ac ipsum Lucam ad huiusmodi beneficium in cathedrali ecclesia dignum non esse. Petentes propterea, dictas litteras sententialiter cassari ac etiam annullari. Prefatus quoque dominus auditor manus eiusdem Luce statim in iudicio publice faciens demonstrari, de huiusmodi assisione et defectu clare apparuit, et idem Lucas illud in iudicio confessus fuit. Propter quod prefatus dominus auditor, lectis litteris prefati domini legati super gratia dictorum canonicatus et prebende, eidem Luce concessis, in quibus de dicto defectu nulla mentio habebatur, statuit eisdem partibus et ipsorum cuilibet terminum peremptorie, ad audiendum sententiam suam super predictis, ad diem Lune proximam tunc venturam post nonas.

Die Lune, V. dicti mensis Maii, in vesperis comparuerunt dicte partes in iudicio coram predicto domino auditore, et dicti canonici petierunt in predictis fieri, quod iuris esset. Prefatus quoque dominus auditor interrogavit eundem Lucam, si super dicto defectu dispensationem ante impetratam gratiam, seu postea, habuerat; qui respondit et dixit, quod non; petens sibi misericordiam et gratiam fieri. Quibus sic peractis, prefatus dominus auditor super predictis suam sententiam in scriptis protulit, prout inferius continetur:

In Dei nomine amen. Comparentibus pridie coram nobis, magistro Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, auditore reverendi patris et domini domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, Luca filio condam Pazcunis de Nir, canonico Vaciensi, pro se ipso ex parte una, ac discretis viris magistris Nicolao archidiacono Pestiensi, Laurentio lectore, Lodomerio et Stephano, canonicis Vaciensibus, nomine ipsorum ac vice et nomine venerabilis patris domini...[2] episcopi et capituli ac ecclesie Vaciensis, ex parte altera, prefatus Lucas petiit se recipi et admitti in canonicum ac fratrem eiusdem ecclesie, et canonicatum ac prebendam, que vacaverunt pridem in ecclesia prefata per mortem condam G. prepositi Budensis, similiter eiusdem ecclesie canonici, sibi per dominum legatum prefatum de speciali

1 Gentilis.
2 Haab.

gratia concessos, sibi assignari et dari, iuxta predicti domini legati litterarum continentiam et tenorem, quas coram nobis in iudicio exhibuit, et quarum litterarum, scilicet gratie, tenor talis est: Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti etc. Prefati quoque canonici, contra Lucam opponentes predictum, dixerunt, quod dicte littere fuerant impetrate tacita veritate, nec de defectu ipsius Luce facta aliqua mentione, cum ipse Lucas habeat policem digitum manus sinistre et duas partes digiti policis manus dextre totaliter assisos vel detruncatos, nec super predictis dispensationem aliquam obtinuerat, propter quod dicte littere carebant effectu, dicentes ipsum Lucam ad prebendam et canonicatum predictos admittendum non esse, petentes sibi super predictis silentium imponi perpetuum, ac per nos in ipsis fieri iustitie complementum. Nos igitur, magister Phylippus auditor predictus, manus dicti Luce in iudicio oculis publice subici facientes, vidimus ac invenimus toto digiti police manus sinistre et duas partes alterius digiti policis manus dextre assisos ac detruncatos esse et illis carere. Idcirco Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, in hiis reputamus ipsum Lucam enormiter corpore vitiatum, de quo vitio in predictis litteris mentio aliqua non fiebat, nec dispensationem aliquam idem Lucas super predictis non habuerat, ipsasque litteras tanquam surrectitias decernimus et inanes, absolventes predictos, dominum episcopum, capitulum et canonicos supradictos ab impetitione dicti Luce super canonicatu et prebenda predictis, sibique Luce super eisdem perpetuum silentium imponentes.

Lata, lecta et pronunciata fuerit dicta sententia per prefatum dominum Phylippum auditorem in scriptis, pro tribunali sedentem, in castro Budensi, presentibus partibus supradictis, et scripta per me Phylippum de Cingulo notarium prefati domini legati; ac presentibus domino Albertino de Parma archidiacono de Donbicha in ecclesia Zagrabiensi, capellano prefati domini legati, domino Santio archidiacono de Carassna [1] in ecclesia Transilvana et Elia clerico, familiare ipsius, ac magistro Corrado notario de Veteri Buda, testibus, et aliis pluribus, ad predicta vocatis specialiter et rogatis, sub anno Domini millesimo CCCVIIII. indictione VII. pontificatus domini Clementis pape V. die Lune, quinto mensis Maii, post nonas et circa vesperas.

Ego Phylippus Compagnoni de Cingulo, Auximane diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius rogatus.

[1] Kraszna.

LXI.

1309. 8. Maii—14. Julii. Budæ.

Cardinalis Gentilis regno Hungariæ constitutiones synodales edit.
(Latæ a. 1308. 3. Decembris et anno sequenti publicatæ.)

(Archiv. Vatic. Liber Privilegiorum Romanæ Ecclesiæ III. fol. 192—202. Bibliotheca Valicelliana MS. B. 12. fol. 505—519) 1

In nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCC. nono, indictione VII. pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto. Incipiunt constitutiones edite per reverendum patrem dominum Gentilem Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, in regno Hungarie, Polonia ac partibus illi conterminis apostolice sedis legatum. Et primo

Prohemium super statu regni.

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam. Varietati morborum diversa medici medicamenta propinant, et ipsorum morborum qualitatibus, secundum artis peritiam, efficacibus remediis exquisitis, aliquibus gravioribus ferrum adhibent, quibusdam ignem adiiciunt, aliis vero, qui levi possunt fomento sanitatem recipere, facilia medicamentorum antidota sumministrant. Sic et dominus noster Jesus Christus, sub figura Samaritani, medici formam assumens, vulneribus infudit vinum et oleum sauciati.

Nos itaque ad regnum Hungarie, ab eo, qui pacifici regis et summi medici locum tenet in terris, cum plene legationis officio, licet immeriti, destinati, attendentes regnum ipsum infirmitatibus variis et gravibus laborare, ac propterea, informati exemplo domini Jesu, medicorum precipui, diversitati infirmitatum huiusmodi, etsi non omnibus, magis tamen letatibus cupientes diversas et congruas adhibere medelas, infrascriptas constitutiones, de prelatorum dicti regni ac per nos concilii congregati consilio et assensu, auctoritate qua fungimur, duximus promulgandas.

1 In codice Valicelliano initio harum constitutionum manu recentriori notatur: Extat in libro privilegiorum Rom. ecclesiæ tom. I. pag. 192.

I. De statu regis.

Ad subsistentiam multorum et regimen singulis regnis et mundi provinciis singula regnaturum solia preesse oportuit et singule principantium potestates; quia dum reges populis imperant, et populi regibus reverenter intendunt; dum hi humiliter subsunt, et illi benigne presunt; dum congruis illi preeunt iussibus, et devotis isti animis subsequuntur: viget ex hoc in eisdem populis concordium animorum unitas, misericordia et veritas sibi obviant, ac iustitia et pax se invicem complectuntur. Ideo namque a summo illo celesti rege, per quem singuli reges regnant et principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam terrenis est regibus attributa potestas, ut ipsi, assumpto dominandi officio, iudicent in equitate populos, et dirigant in terris subiectas sibi egentium nationes; quatinus sit voluntas eorum in executione iustitie ac meditatio in lege rectitudinis et observantia sancte pacis.

Sane, per divinam providentiam, regno Hungarie reges catholici prefuerunt, quorum primus, sanctus rex Stephanus, et alii nonnulli sanctorum cathalogo meruerunt ascribi; relinquentes ex se legitimos successores, sub quorum felici regimine regnum ipsum fertilitate floruit, obtinuit pacis dulcedinem, et inter ipsius incolas viguit unitas animorum. Ex quo non *(sic)* regnum ipsum reges exteri usurpabunt, fertilitati sterilitas, pacis dulcedini tempestatis fremitus, et concordibus animis dissensio detestanda successit. Nos itaque ad eiusdem regni status reformationem per sedem apostolicam destinati, cupientes super his omnibus salubre remedium adhibere, prelatorum, baronum et nobilium convocavimus generale concilium, in quo prelati et barones iidem communiter magnificum principem dominum Carolum, ex primorum sanctorum regum vera progenie propagatum, recognoverunt verum et legiptimum *(sic)* regem Hungarie ac eorum dominum naturalem.

Igitur, cum non liceat a capite membra discedere, sacro presenti approbante concilio, irrefragabili constitutione sancimus, quod ipsi eidem domino Karulo illustri regi Hungarie, quem, ut predicitur, omnes barones communiter et prelati dicti regni iuxta ipsius regni antiquam consuetudinem receperunt, et in verum regem et legitimum recognoverunt, ut evidenter apparet per publica documenta,[1] et nos etiam, vice et nomine

---

1 V. pag. 115.

Romane ecclesie, eis petentibus, approbavimus, et eorum receptionem et recognitionem confirmavimus, ipsumque regem Hungarie naturalem et legitimum promulgamus, cui tanquam vero, naturali et legitimo Hungarie regi omnes obediant; districtius inhibentes, quod nullus dictum dominum Karolum verum et legitimum regem Hungarie pro rege Hungarie habere recuset, aut aliam personam pro rege Hungarie advocent vel deliberate nominent.

Qui vero, sue fame prodigus et proprii persecutor honoris, dictum dominum Carolum pro rege Hungarie habere recusaverit, aut aliam personam pro rege Hungarie advocaverit vel deliberate nominaverit per se, vel per alium, publice vel occulte, tam recusans, advocans, vel deliberate nominans, quam advocatus huiusmodi, eo ipso quod huiusmodi advocationi consenserit, cuiuscumque preheminentie, dignitatis aut conditionis extiterit, excommunicationis, si fuerit singularis persona, si universitas, interdicti, et nihilominus principales persone ipsius universitatis excommunicationis sententia, et in morte ecclesiastica sepultura privati, presentis sint constitutionis auctoritate ligati, et a gremio sancte matris ecclesie ac totius christianitatis consortio separati.

Faventes etiam recusanti, deliberate nominanti vel advocanti, aut, ut predicitur, advocato huiusmodi, aut dantes consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, cuiuscumque dignitatis extiterint, etiam si episcopali, archiepiscopali vel regali fulgeant dignitate, nisi infra sex dies, a notitia constitutionis huiusmodi computandos, ab huiusmodi proposito ex toto destiterint, eo ipso excommunicationis predicte sententia involvantur. Si vero ab huiusmodi non recedentes proposito, sententiam predictam incurrerint, et eam postmodum per mensem animo substinuerint contumaci, omnes eorum vassalli, castellani, comites, iobagiones et officiales alii, quocumque nomine censeantur, a fidelitate, homagio et alia quelibet prestatione, qua eis tenebantur, astricti iuramenti aut alia qualibet firmitate vallata, sint absoluti et liberi, presentis auctoritate decreti, et nihilominus si eis, extra debitam fidelitatem manentibus, quoquomodo adheserint, cum per hoc videantur eos in sua malitia confovere, excommunicationis vinculo innodati, terra etiam, que eis medio tempore obediens fuit, sit ecclesiastico supposita interdicto; quod interdictum omnes clerici et prelati, exempti et non exempti, in virtute sancte obedientie, et sub excommunicationis pena, quam ipso facto incurrant, contrarium facientes, servare inviolabiliter teneantur. Et si absque digna et debita satisfactione dicto domino Karulo regi Hungarie, prout convenit, impendenda, deliberate

nominantes, advocantes et advocati, qui, ut predicitur, advocationi predicte consenserint, vel faventes huiusmodi decesserint, eorum corpora perpetuo ecclesiastica sepultura privamus. Districtius inhibentes venerabilibus in Christo patribus, archiepiscopis et episcopis, et aliis ecclesiarum prelatis, eorumque vices gerentibus ac ecclesiasticis personis, secularibus et religiosis, necnon ecclesiarum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, Minorum, Predicatorum, sancti Augustini et aliorum ordinum, necnon magistris preceptoribus et fratribus Militie Templi, hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani et beate Marie Theotonicorum, non obstantibus aliquibus indulgentiis, privilegiis et litteris, eis vel eorum aliquibus, aut ipsorum ordinibus, ab apostolica sede concessis, ne advocantium, nominantium, faventium, aut advocatorum, ut premittitur, decedentium corpora tumulare, aut eorum tumulationi quoquomodo interesse presumant.

Si quis autem predictorum contra premissa venire temptaverit, si clericus fuerit secularis, citra episcopalem ordinem constitutus, omnibus beneficiis ecclesiasticis, cum nota infamie, presentis constitutionis auctoritate privatus; si regularis, pro tanta inobedientia, carcerali custodie condemnatus, excommunicationis vinculo se noverit innodatum; et nihilominus loca, in quibus talium corpora sepulta fuerint, ecclesiastico sint supposita interdicto. Cupientes denique, non solum regem Hungarie honorem et statum debitum obtinere, sed et quemlibet alium nostre legationi commissum sic in sua iustitia conservari, ut ius alterius non usurpet, edicto perpetuo prohibemus, ut nullus episcoporum vel archiepiscoporum, aut quivis alius, cuiuscumque conditionis aut status existat, preter Strigoniensem, ad quem, de antiqua et approbata consuetudine, pertinere dinoscitur, aliquem, sed nec ipse, nec verum et legitimum presumat de cetero in regem Hungarie coronare. Qui vero prohibitionis nostre temerator et transgressor extiterit, a temporalium administratione suspensus, excommunicationis vinculo sit ligatus, a qua, excepto mortis articulo, et tunc etiam nisi debita satisfactione premissa, absolvi nequeat, absque sedis apostolice vel ipsius legati de latere licentia speciali.

Volumus etiam, propter contemptum constitutionis huiusmodi, quod quamdiu in dicta excommunicatione persistiterit, omnes sui clerici sint ab eius obedientie debito absoluti, et in nullo sibi pareant vel intendant, et in morte nihilominus careat ecclesiastica sepultura.

Publicata Bude, VIII. idus Maii.

II. De immunitate regis.

Quamvis leges seculi per ora principum divinitus promulgate lese Maiestatis reos capitalis damnatione sententie iuste damnent, fuerunt tamen nonnulli de regno Hungarie, qui debite fidelitatis et sue damnationis immemores, predictis legibus damnata presumptione calcatis, celsitudinem regiam, cui fidelitatem debitam servari convenerat, lesisse corporaliter referuntur. Ne igitur infidelitatis huiusmodi crimen in regno prefato surrepat, et in exemplum ab impiis futuris temporibus assumatur, per predictas leges iam provisis remediis alia, que ipsarum rerum experientia indicavit, utilia subiungentes, presenti decreto de consensu presentis concilii duximus statuendum, ut si quis in hoc flagitii genus irrepserit, quod in dominum Karolum illustrem regem Hungarie manus violentas iniecerit, aut aliquod in personam ipsius nocumentum procuraverit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel consilium dederit aut favorem, seu receptaverit scienter eundem, preter penas, quas dicte leges reis huiusmodi criminis ingerunt et infligunt, omnibus feudis, gratiis, privilegiis, indulgentiis et beneficiis spiritualibus et temporalibus, eis ab ecclesia quacumque concessis, sit privatus et perpetuo spoliatus. Et nihilominus vassalli, comites, castellani, iobagiones, et alii officiales ipsius a fidelitate, homagio, obedientia, et alia qualibet prestatione, qua ei tenebantur, astricti iuramento, vel quacumque alia firmitate vallata, eo ipso sint absoluti et liberi presentis auctoritate decreti.

Et ut tanti criminis ultio feratur non solum in actores scelerum, sed in progeniem damnatorum, cum dignum sit, ut nephandi ratione flagitii ultionis severitas amplius extendatur, et propter enormitatem delicti penarum modus exuberet, presenti adiicimus sanctioni, quod nulli talium filiorum aperiatur ianua dignitatis ecclesiastice vel honoris, immo perpetuo ad quodlibet ecclesiasticum ministerium presentis constitutionis auctoritate reddatur inhabilis, nec ad aliquod ecclesiasticum beneficium, nisi per dispensationem sedis apostolice vel legati de latere, possit quomodolibet reassumi.

Insuper quia predictum dominum Karolum illustrem regem Hungarie, karissimum Romane ecclesie filium, interna caritate complectimur, privilegium canonis, ab Innocentio secundo[1] editi, in favorem totius ordinis cle-

[1] Innocentius papa II. 14. Febr. a. 1130. electus 24. Novembr. a. 1143 mortuus.

ricalis, quo cavetur, quod iniiciens manus violentas in clericum excommunicationis sententia sit ligatus, ad dictum dominum Carolum regem ex causis, que iuste animum nostrum movent, de speciali gratia duximus extendendum, irrefragabiliter statuentes, ut quicumque in dictum regem Karolum manus violentas iniecerit, aut aliquod personale ei nocumentum procuraverit, preter penas alias expressas superius, excommunicationis penam contrahat ipso facto, et cum Juda proditore, proditor ipse suscipiat portionem. Publicata ut supra.

III. De corona regis.[1]

Antiquorum habet relatio, declarat quoque historia incliti confessoris beati Stephani primi regis Hungarie, quod in ipso felici primordio, quo dominus Ihesus Christus per ministerium prefati regis regnum ipsum ad fidem christianitatis adduxit, ipsius in terris vicarius, Romanus pontifex, regi prefato suisque in personam eiusdem catholicis successoribus universis sacram destinavit coronam, ut dicti regis et regni eo evidentius appareret nobilitas, cresceretque devotio, quo ipsius caput nobilior atque devotior decoraret ornatus.

Quia vero coronam eandem, ut de aliis mobilibus sepe contingit, possibile est effractione, ignis consumptione, ac innumerabilibus quasi casibus inopinatis deficere vel confundi, nonnunquam vero abscondi ad tempus, vel occupatam per violentiam detineri, ut pluries retroactis evenisse temporibus, et ad presens facti evidentia manifestat, officio nostro congruere arbitramur, ut circa corone prefate violentam occupationem, que in presentiarum imminet, et que posset multipliciter imminere, deinceps salubre apponentes remedium, magnifici principis domini Karoli inclyti regis Hungarie suorumque successorum et regni predicti presentibus et futuris incommodis occurramus.

Si enim presenti eiusdem corone occupatione vel futura durante, regnum ipsum debita reformatione careret, illud sequeretur absurdum, quod ea irrecuperabiliter occupata seu cuiuscumque casus eventu deperdita vel consumpta, irreparabiliter confunderetur et regnum. Cui etiam consequens esset, quod non solum potentes et nobiles, verum inferiores

1 In codice Bibl. Valicellianæ nota marginalis: Corona beato Stephano regi Hungariæ a Romano pontifice transmissa.

quilibet eidem regi et regno frequenter illudere possent, ac eorum tota potestas ex illorum videretur dependere arbitrio, sicque domino prevaleret, furis meliorque foret, quam regis, conditio violenti *(sic)*.

De consilio igitur et assensu venerabilium in Christo patrum et dominorum archiepiscoporum, episcoporum et baronum regni predicti presentium duximus statuendum, quod corona prefata, que per nobilem virum Ladislaum Voyuand *(sic)*[1] detinetur ad presens, nisi usque ad proximum futurum concilium, in presenti concilio ordinatum, nobis libera et expedita restituta fuerit, ex nunc presentis constitutionis vigore sit penitus interdicta, et pro interdicta, profana et reproba tamdiu ab omnibus habeatur, quamdiu per ipsum Ladislaum vel quemcumque alium sic detenta fuerit, et quousque ad manus nostras seu legitimi regis vel Albensis ecclesie, ad quam spectare dinoscitur, libere fuerit restituta, et quod alia fabricetur, que per nos, nomine Romane ecclesie, eidem regi et regno donetur, et per nos seu auctoritate nostra benedicatur sollemniter, qua in locum succedente prioris, dictus rex successoresque sui coronentur, eamque auctoritate nostra, ut predicitur, benedictam, tam rex et successores predicti, quam barones et nobiles, ac populus universus pro vera et legitima corona perpetuo recipere debeant et habere.

Juris enim declarati existit, quod in locum alterius eadem auctoritate subrogata res quelibet iure, quo illa, censeatur eodem, illiusque generaliter sortiatur naturam, in cuius locum substituitur et honorem.

Quod si corona prefata, rehabita seu alia fabricata, et auctoritate nostra benedicta, de novo occupari, abscondi, deperdi, vel sic deficere, quod ad usum debitum non possit haberi, quoquomodo contingat: volumus, quod per venerabiles in Christo patres dominos Strigoniensem et Colocensem archiepiscopos, de consilio et consensu omnium vel maioris partis suffraganeorum suorum, interdicatur sic occupata vel perdita, quousque, occupatione cessante, predicta corona eadem in Albensi ecclesia reposita fuerit, seu regi legitimo liberaliter restituta, et alia similiter, nomine Romane ecclesie, fabricetur et benedicatur, que taliter benedicta pro vera et legitima habeatur ab omnibus, ut de benedicenda auctoritate nostra superius est statutum.

Si autem prefati archiepiscopi inter se concordare vel consensum maioris partis suffraganeorum suorum habere nequiverint, super eo, quod fieri debeat, sedes apostolica consulatur. Totiensque predicta iuxta modum

---

1 Voyvadam. Sic in codice Valicell.

superius declaratum fieri possint et debeant, quotiens eventus necessitatis suaserit sic agendum.

Cupientes insuper, ut quos reventia Dei, amorque virtutis a malo non revocat, formidine saltem pene perterriti assuescant odisse peccatum: statuimus, ut si quis deinceps in eam temeritatem proruperit, quod prefatam sacram coronam, seu eam vel eas, quas illius loco subrogari contigerit, per se vel alium publice vel occulte furtive subripiat, vel per violentiam occupet, seu in lesionem et damnum legitimi regis, qui pro tempore fuerit, atque regni eiusdem, quoquomodo detineat vel usurpet, seu subripienti, occupanti, detinenti vel usurpanti predictis, sub quovis colore quesito, auxilium, consilium dederit vel favorem, cuiuscumque preminentie, status et conditionis existat, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat.

Et siquidem predicta vel eorum aliquod publice fecerit seu fautor fuerit facientis, omnibus feudis, concessionibus, privilegiis vel quibusvis gratiis, que a Romana vel alia quacumque ecclesia obtineat, sine spe restitutionis, presentis constitutionis vigore perpetuo sit privatus.

Si vero clericus fuerit, dignitatibus, ecclesiis et beneficiis omnibus, que obtinet, se privatum, et ad obtinendum inhabilem, et nihilominus excommunicationis sententiam, etiam si episcopali et supra dignitate prefulgeat, incurrisse noverit ipso facto.

Si autem universitas fuerit, interdicto, et nihilominus universitatis eiusdem principales auctores excommunicationi subiaceant, et demum, nisi sic offendentes resipuerint, cum Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, accipiant portionem.

Nullus insuper, preter quam in mortis articulo et satisfactione premissa, a dicta sententia excommunicationis absolvi, nec interdictum ipsum relaxari valeat, sine apostolice sedis vel nostra licentia speciali. Publicata ut supra.

IIII. De bonis regalibus et reginalibus non occupandis et occupatis restituendis.

Canonica constitutione cavetur, quod temporalis et spiritualis gladius debent sibi invicem suffragari, et alter in iuvamen alterius, cum expedit, exerceri.

Considerantes itaque, dominum Karolum illustrem regem Hungarie suo temporali gladio in suis occupatis et detentis regalibus ad presens efficaciter non iuvari, propter quod ipsius regis magnificentia diminuta,

35*

dictum regnum inclitum, intestino bello multipliciter conquassatum, nequit dicti regis felici regimine gubernari.

Nos, qui totis desideriis anhelamus, tam regis quam regni predictorum statui viriliter providere, dicti regis temporalem gladium, exigente necessitate, nostro spirituali iuvando, sacri approbatione concilii duximus inhibendum, ut nullus regalia vel reginalia dicti regis de cetero occupare aut usurpare, vel occupata aut usurpata illicite detinere presumat. Irrefragabiliter statuentes, quod omnes et singuli, qui dicta regalia vel reginalia occupaverunt in preterito, vel occupata detinent in presenti, dicto regi restituant infra trium mensium spatium, si non requirantur, infra decem vero dies, postquam super hoc a dicto rege vel ex parte ipsius fuerint requisiti, et eum permittant libere, quiete ac pacifice possidere, si notam infidelitatis et penam voluerint evitare.

Qui vero predicta regalia vel reginalia de cetero occupaverit vel usurpaverit, seu occupata vel usurpata, ut premittitur, non restituerit, nisi de voluntate regis eiusdem et nostra, quamdiu fungemur legationis officio, alioquin ipsius regis consiliariorum, vel maioris partis ipsorum, ipsa vel ipsorum aliquod retinuerit, vel inter ipsum regem et huiusmodi detentorem aliter secundum morem regni fuerit ordinatum, clericus vel laicus, cuiuscumque preminentie, dignitatis aut status vel religionis extiterit, etiam si archiepiscopali vel episcopali premineant dignitate, non obstantibus quibuslibet privilegiis et indulgentiis, eis vel ipsorum ordinibus ab apostolica sede concessis, vel qui, ne predicta regalia vel reginalia occupata restituantur dicto regi infra terminum antedictum, dederit consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, si fuerit singularis persona, excommunicationis, si universitas vel collegium, interdicti sententias ipso facto incurrat.

Si vero predictam sententiam per mensem, a lapsu pretaxati termini numerandum, animo substinuerint contumaci, omnes vassali sui, comites, castellani, iudices, iobagiones et quivis alii a fidelitate, homagio et qualibet alia prestatione, qua ei tenebantur, astricti iuramento, aut alia firmitate vallata, sint absoluti et liberi presentis auctoritate decreti, et si eis in tanta obstinatione manentibus post lapsum predicti mensis quoquomodo adheserint, quia favere eis in predicta obstinatione videntur, excommunicationis sint vinculo innodati, et nihilominus eorum et dictorum detentorum morientium corpora, qui sine debita satisfactione decesserint, christiana sepultura privamus, districte precipientes omnibus clericis et prelatis, exemptis et non exemptis, etiam si de Predicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini ordinibus fuerint, cuiuscumque

dignitatis aut conditionis extiterint, quod talium morientium corpora nullus audeat tumulare, aut tumulationi eorum modo quolibet interesse.

Si quis autem contravenire temptaverit, si clericus fuerit secularis, omnibus sit ecclesiasticis beneficiis cum nota infamie presentis constitutionis auctoritate privatus. Si autem regularis, pro tanta inobedientia carcerali custodie condemnatus, excommunicationis vinculo se noverit innodatum, et loca nihilominus, in quibus talium corpora sepulta fuerint, sint ecclesiastico supposita interdicto.

Quicumque vero laicorum eidem regi ad recuperanda bona predicta, requisitus ab eo, fideliter assistere ac ipsum iuvare recusaverint, iuxta debite fidelitatis obsequium eisdem penis et sententiis se noverint subiacere. Publicata III. idus Julii.

V. De non offendendis prelatis.

Cum apostolicam sedem, in qua Christus catholice fidei posuit fundamentum, christianorum matrem esse voluerit et magistram, non est dubium, quia Christus ipse graviter offendatur, si matrem filius et magistram discipulus dehonorat. Quia igitur ipsi apostolice sedi non est possibile cunctos filios et devotos materno affectu et suo magisterio presentialiter confovere, debitum apostolice servitutis explere nititur, modo per episcopos, modo per archiepiscopos, nonnumquam etiam per legatos a latere suo missos, quos, quia eius privilegio gaudent, cuius legatione funguntur, a cunctis Christi fidelibus, tanquam apostolicam sedem, immo Christum, qui in eis se recipi predicat et audiri, honorari convenit et foveri.

Verumtamen fuerunt et sunt nonnulli, quos termini nostre legationis includunt, sicut fidedigna relatione percepimus, qui, licet glorientur nomine christiano, ad ipsum tamen Christum et apostolicam sedem debitam reverentiam non habentes, episcopos, archiepiscopos et legatos huiusmodi, doctores catholice fidei et magistros, ipsius Christi vere vicarios et legatos, hostiliter insequi, ausu sacrilego capere et percutere, quandoque carceri mancipare, nonnunquam inhumaniter perimere non verentur. In quo quantum Christus, fidei nostre caput, offenditur, apostolica sedes, ipsius fidei magistra, contempnitur, et totius fidei devotio minoratur, evidenter intelligit, qui prudenter attendit.

Proinde nos, qui ex iniuncto nobis legationis officio sedem apostolicam, licet immeriti, presentamus, cupientes omnes et singulos nostre

legationi commissos de tam nephandis excessibus cohercere, presenti decreto statuimus, ut nullus de cetero in Dei offensam, apostolice sedis contemptum, et catholice fidei lesionem presumat tantum facinus attemptare.

Si quis autem, proprie inimicus salutis, reverentia religionis reiecta, divinis et humanis legibus in civili damnatione calcatis, premissum scelus exercere presumpserit, per se vel per alium, publice vel occulte, eum excommunicatum, et a totius christianitatis consortio separatum publice nunciantes, qua fungimur, auctoritate privamus omnibus privilegiis, indulgentiis, feudis, gratiis et beneficiis quibuscumque, eis ab ecclesia quacumque concessis.

Omnibus, ad quos pertinet eorum ordinatio seu dispositio, disponendi potestatem liberam concedentes, terram suam nihilominus et quamlibet aliam, que sibi adherere presumpserit, interdicto ecclesiastico supponentes.

Et ne minus vindicte, quam excessus memoria prorogetur: decernimus, ut filii talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in domibus regularibus alicuius prelationis assequantur honorem; quod contra factum fuerit, irritum decernentes, nisi cum eis per sedem apostolicam vel legatum de latere fuerit dispensatum.

Et quia dignum est, ut is, qui tot presumit offendere, pena multiplici castigetur, omnes eorum vassallos, castellanos, comites, iobagiones et officiales alios, quovis nomine censeantur, a fidelitate, homagio et qualibet alia prestatione, qua eis tenebantur astricti, qua fungimur, auctoritate absolvimus, donec ad gremium sancte matris ecclesie humiliter redeuntes, absolutionis beneficium meruerint obtinere.

Quod si eis, in predicta excommunicatione manentibus, adherere forte presumpserint, illos eadem cum ipsis pena statuimus excommunicationis involvi.

Ceterum, ut dictorum sacrilegorum pena sit aliorum cautela, inhibemus venerabilibus in Christo patribus, archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis, eorumque vicem gerentibus et ecclesiasticis personis, secularibus et religiosis, necnon ecclesiarum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensium, Premonstratensium, sancti Benedicti, Minorum, Predicatorum, sancti Augustini et aliorum ordinum, necnon magistris preceptoribus et fratribus Militie Templi, hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani et beate Marie Theotonicorum, sub nostra legatione manentibus, non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis et litteris, eis vel eorum aliquibus, aut ipsorum ordinibus a prefata sede concessis, ne ipsi vel eorum aliquis vel aliqui corpora illorum, qui sine digna et debita

satisfactione decesserint, tumulare aut tumulationi eorum quoquomodo interesse presumat.

Si quis autem predictorum contra premissam inhibitionem nostram venire temptaverit, excommunicationis vinculo se noverit innodatum, maiori pena pro tanta inobedientia puniendum. Et loca nihilominus, in quibus talium corpora sepulta fuerint, ecclesiastico supposita interdicto. Publicata Bude, VI. idus Maii.[1]

VI. Ut nulla ecclesiastica persona prebeat auxilium, consilium, favorem alicui laico contra ecclesias ecclesiasticasve personas.

Illi procul dubio sunt maiori pena plectendi, qui nituntur offendere, quod totis suis viribus defendere tenebantur.

Cum igitur persone ecclesiastice singulariter teneantur tueri ecclesiam, a qua suam tuitionem recipiunt, presenti decreto statuimus: ut nulla ecclesiastica persona exempta vel non exempta, cuiuscumque preminentie, status aut dignitatis existat, etiam si pontificali fulgeat dignitate, prebeat alicui laico, cuiuscumque dignitatis aut conditionis existat, contra ecclesias ecclesiasticasve personas consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte.

Si quis autem ecclesiastico honore postposito, contra tam salubre statutum venire presumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Et nihilominus, si inferior episcopo fuerit, episcopus suus contra eum ad privationem ecclesiastici commodi et honoris procedere, si vero episcopus, metropolitanus, si autem metropolitanus, sui suffraganei excessum huiusmodi in virtute obedientie teneantur, quam cito commode poterunt, sedi apostolice nunciare. Publicata II. idus Julii.[2]

VII. Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici.

Presentis constitutionis auctoritate, sacro approbante concilio, inhibemus, ne quis archiepiscopatum, episcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, personatum, parrochialem ecclesiam, cum cura vel sine cura, beneficium aliquod ecclesiasticum, seu alicuius predictorum administrationem vel

---

1 Nota marginalis manu recentiori scripta in codice Valicelliano: Extat apud Clementum 6., ann. 5. part. 2. divers. form. ep. 115. (*vide infra pag. 365.*) Publicata Posonii, IV. idus Novembris.

2 Cod. Valicell. in margine eadem manu: Publicata ut supra.

detentionem de manu laicali recipere vel iam recepta tenere sub quovis colore presumat.

Si quis autem contra fecerit, vel sic receptum beneficium eo ipso, et nisi locum, quem sub crimine tante inobedientie tanteque ambitionis taliter iam recepit, vel in futurum recipiet, resipiscendo deserverit liberaliter infra duorum mensium spatium a publicatione constitutionis presentis, quo ad iam recepta, a receptionis vero tempore, quo ad ea, que deinceps continget sic recipi, numerandum, ad quodlibet aliud inhabilis ipso facto reddatur ita, ut ad dignitatem vel beneficium aliquod ecclesiasticum nullo unquam tempore, absque dispensatione apostolice sedis vel nostra, eligi valeat vel assumi.

Insuper, ut quantum excesserit, pena docente, cognoscat, si quam dignitatem, personatum, vel beneficium aliquod cum cura vel sine cura sic recipiens vel detinens, et ut premittitur, non dimittens, canonice forsan obtineat, ea vel eo sit presentis constitutionis vigore ipso facto privatus.

Indignum enim fore censemus, ut ecclesie beneficio gaudeant, qui eam tam nephandis ausibus despectui habuerunt.

Iniungimus quoque, ac in virtute sancte obedientie, necnon sub excommunicationis pena precipiendo mandamus omnibus et singulis, tam clericis quam laicis, rusticis, iobagionibus, vassallis, castellanis, comitibus et officialibus aliis, quocumque modo subiectionis astrictis, dignitati, personatui vel beneficio taliter occupatis, quod occupatori vel detentori predictis in nullo pareant vel intendant.

Qui vero temere contra fecerit, si universitas fuerit, interdicti, si autem singularis persona, excommunicationis sententie se noverit subiacere. Publicata II. idus Julii.[1]

VIII. De non occupandis, et occupatis restituendis bonis ecclesiasticis.

Cum multa providentia fuit olim a felicis recordationis domino Benedicto pape XI., apostolice sedis legato, dum in his partibus fungeretur legationis officio, constitutum, quod nullus invadere, occupare, illicite detinere presumeret decimas, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones et bona, ad ecclesias et pia ac religiosa loca, et ecclesias ac personas ecclesiasticas spectantia vel pertinentia quoquomodo, sententia excommu-

[1] Cod. Valicell. in margine eadem manu: Publicata etiam Posonii, IV. idus Novembris.

nicationis prolata in huiusmodi invasores, occupatores, et illicite detentores.

Sed quia propter presumptiones et quorundam cupiditates nullus fructus hactenus, aut rarus ex predicta constitutione provenit, nos tantis animarum periculis precavere volentes, ne tam salubre statutum videatur in desuetudinem abiisse, et ab huiusmodi presumptoribus eius ignorantia pretendatur, predictum statutum duximus innovandum, et ipsum in suo robore permanere ac inviolabiliter observari volentes, adiicimus, ut quicumque propter invasionem, occupationem et illicitam detentionem dictarum rerum excommunicatione, auctoritate predicti statuti, ligatur, infra trium mensium spatium invasa, spoliata, occupata, et detenta huiusmodi non restituerit spoliatis, omnes eorum vassalli, iobagiones, castellani, comites et officiales alii, quocumque nomine censeantur, et quivis alii, eis quoquomodo obnoxii, a fidelitate, homagio, et qualibet prestatione, qua eis iuramento, pacto, consuetudine vel qualibet alia firmitate vallata tenebantur astricti, sint absoluti et liberi presentis auctoritate decreti, donec ad cor humiliter redeuntes, satisfactionem debitam impenderint de premissis.

Quod si perseverantibus in huiusmodi contumacia et contemptu adheserint, quia eos in peccatis fovere satagunt, excommunicationis vinculo sint ligati, et terra, que eis medio tempore obediens fuerit, ecclesiastico supposita interdicto, quod interdictum omnes et singuli archiepiscopi et episcopi, et alii ecclesiarum prelati, capitula et conventus, tam regulares quam seculares, exempti et non exempti, Cisterciensium, Premonstratensium, sancti Benedicti ac Predicatorum et Minorum, Heremitarum sancti Augustini, aliorumque approbatorum ordinum, necnon magistri et preceptores Militie Templi et hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani, ac beate Marie Theotonicorum, in virtute sante obedientie et sub excommunicationis pena, servare inviolabiliter teneantur. Et nihilominus si sine debita satisfactione decesserint, predictorum omnium corpora perpetuo ecclesiastica careant sepultura.

Non enim debet illi ecclesie beneficium subvenire, qui dum viveret, ecclesiam hostiliter impugnavit. Publicata II. idus Julii.[1]

[1] Cod. Valicell. in margine: Publicata etiam Posonii, IV. idus Novembris.

VIIII. De magistris habendis in ecclesiis cathedralibus.

Volentes animarum pericula, ecclesiarum quoque gravamina et multiplices lesiones, que ob defectum scientie, maxime iuris canonici, magistra rerum experientia docente, proveniunt, evitari, presenti constitutione sancimus, ut in qualibet metropolitana ecclesia nostre iurisdictioni subiecta constituatur aliquis in dicto iure peritus, in ceteris vero ecclesiis cathedralibus magister idoneus in grammatica seu logica facultate, qui clericos eiusdem ecclesie et scholares pauperes gratis, ac alios etiam instruat iuxta posse; et sic demum legendi et proficiendi opportunitate captata, fructum in Dei ecclesia afferre valeant opportunum. Quibus a prelato et capitulo, seu maiori et saniori parte capituli, iuxta formam concilii generalis assumptis, cuilibet eorum unius prebende proventus integri, sive alias salarium competens a prelato et capitulo, seu maiori parte ipsius, communiter assignentur, quos tamdiu percipiat, quamdiu perstiterit in docendo. Publicata II. idus Julii.

X. De pena publicorum concubinariorum.

Alme matris ecclesie, que plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulte, que suadente subiectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat, aliquando subtrahit, addit quandoque, pariter et commutat in melius, imitantes exempla, constitutionem bone memorie Philippi quondam Firmani episcopi, in regno Hungarie ac partibus aliis nostre iurisdictioni subiectis apostolice sedis legati, contra publicos concubinarios editam, et a felicis recordationis Benedicto papa XI., tunc in regno et partibus supradictis legato sedis apostolice, confirmatam, quibusdam additis et subtractis, iuxta infrascriptam modificationem imposterum observari precipimus.

Ad ipsius equidem temperandum rigorem, animarum zelus, quas ex illius contemptu quasi continuo peccatorum sordibus fedari conspicimus, nos inducit, spes recuperationis hortatur.

Confidimus enim, quod spirituali pena, excommunicationis videlicet, que quamvis sine comparatione periculosior, minus tamen peccatis exigentibus formidatur, in temporalem mutata vindictam, subditorum mutabuntur et mores.

Decreto igitur presenti statuimus, ut quicumque clericus contra ipsius

constitutionis vigorem deinceps deliquerit, excommunicationis pena in ea contenta propter causas predictas cessante, quarte partis reddituum beneficiorum suorum presentis constitutionis auctoritate condemnationi subiaceat.

Quia vero nil prodesset iura condere, nisi foret, qui ea executioni mandaret, omnibus episcopis eorumque superioribus, necnon singulis ecclesiarum prelatis, de iure vel antiqua consuetudine iurisdictionem habentibus, in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis pena, quam, si ad huiusmodi constitutionis observantiam negligentes fuerint vel remissi, ipso facto incurrant, districte precepimus, quatenus a subditis suis, qui contra ipsam constitutionem excesserint, penam prefatam integraliter exigant.

Ipsius quidem parte dimidia in exigentis, reliqua vero parte in pauperum usus seu ecclesie exigenti commisse commodum convertenda.

Predicta autem condemnatio tandiu cum exactione debita repetatur, quousque mores suos et vitam, quo ad premissa, curaverint emendare. Ad quod etiam corporalis pena, si superior suus expedire crediderit, indicatur.[1]

XI. De pratica electionum habenda.

Quia propter diversas et a iure dissonas electionum formas, quas in regno Hungarie aliisque partibus nostre iurisdictioni subiectis, experientia docente, percepimus observari, multa impedimenta viduatis ecclesiis hactenus provenisse docemur, et superventura imposterum verisimiliter formidamus, periculosis earum vacationibus aliquale remedium, prout facultas se exhibet, iuxta debitum officii nostri duximus apponendum.

Statuimus itaque, ut cum in cathedralibus regularibus vel quibuslibet collegiatis ecclesiis reformatio imminet facienda, ad electionem seu postulationem per aliquam de formis a iure statutis, superstitiosis reiectis et reprobis, procedatur: quarum praticam ad communem ecclesiarum et clericorum utilitatem per auditores nostros componi, ac in scriptis redigi fecimus.[2]

Et ne possit ignorantia quelibet circa electionum observantiam predictarum petendi *(sic)*, volumus ac in virtute sancte obedientie omnibus cathedralium aliarumque collegiatarum ecclesiarum prelatis precipiendo

---

1 Cod. Valicell. eadem manu: Publicata Posonii, IV. idus Novembris.
2 Vide in fine harum constitutionum pag. 288.

mandamus, quatenus singuli predictorum praticam ipsam, quam eisdem petentibus exhiberi precipimus, de curia nostra infra duorum mensium spatium, a publicatione huiusmodi constitutionis numerandum, recipiant, eamque faciant in suis ecclesiis earum expeditionibus, cum vacabunt, eligentium quoque ac pariter eligendorum commodis profuturam, cum debita diligentia perpetuo conservari. Publicata II. idus Julii.

XII. De observantia divini cultus.

Statuimus, ut ea circa divinum cultum et ecclesiastica sacramenta cum debita veneratione serventur, que per constitutiones bone memorie Philippi quondam Firmani episcopi, apostolice sedis legati, super hoc editis penis, tandem in constitutionibus contentis eisdem, presentis constitutionis auctoritate non inconsulte subtractis, provide ordinata fuerunt.

Ut autem clerus ad predictorum observantiam eo ferventius inducatur, quo sepius per antistitum suorum et patrum salutiferas inductiones et monita propulsari se videant, prelatis omnibus duximus iniungendum, quatenus exhortationi eiusdem, pariter et saluti, que ex devota observantia predictorum acquiritur, sic insistant sollicite, sic prudenter intendant, ut exactam in examine districti iudicis rationem reddere, dignam canonicamque possint effugere ultionem.

XIII. De prohibita depredatione.

Cum Christus, vera pax, de summis celorum descenderit, ut quam mundus dare non potest, suis fidelibus pacem daret, profecto non est membrum Christi, nec eius ecclesie, qui pacem suam non recipit, vel qui, ne alii recipiant, suis perversis actibus causam prestat.

Cum itaque in regno Hungarie, olim in pulchritudine pacis requie opulenta et tabernaculis fiducie constituto, humani generis inimicus et pacis emulus et discordie seminator diu procuraverit, optate pacis exilium, immittendo guerrarum discrimina et depredationes seu disrobationes per perversos homines, membra sua, inhumaniter exercendo, propter que pax et concordia extra dicti regni terminos diu, quod dolenter referimus, exulavit.

Nos, qui prefati regni et incolarum eius specialem curam suscepimus,

ipsorum pacifico statui providere desiderabiliter affectantes, statuimus sacro et approbante concilio, ut omnes et singuli, cuiuscumque dignitatis, conditionis aut status extiterint, qui in regno Hungarie prefato depredationes seu disrobationes publicas, per quas pax et tranquillitas dicti regni ut plurimum impeditur, per se vel per alium publice exercere, vel qui aliter psius regni statum pacificum impedire presumpserit, nisi per episcopum proprium monitus, ad quod ipse episcopus in virtute obedientie teneatur, infra octo dies vitam suam in melius consulte correxerit, et si clericus fuerit, exemptus vel non exemptus, beneficiis privatus, ipso facto excommunicatione, qua Deus iratus animas percutit, sit ligatus. Publicata II. idus Julii.[1]

XIIII. Ne quis nuncios vel litteras legati impediat, et de citatione in sua curia facienda.

Quoniam ad bonum statum, tranquillitatem et pacem illustris regis et regni Hungarie et aliarum partium nostre legationis, ipsorumque baronum et populi, ex debito commissi nobis officii, totis nisibus anhelamus, dignum fore providimus, ut obstantia quelibet, que propositum nostrum possent quomodolibet impedire, quod absit, quantum in nobis fuerit, succidamus, ut sic impedimentis amotis, liberius in actum producere, quod optamus, Deo duce, possimus.

Statuimus igitur, ut nulla ecclesiastica vel secularis persona, cuiuscumque preminentie, status aut conditionis existat, nuncios nostros aut litteras, quos pro communi utilitate regis et regni ac partium predictorum, seu pro pace vel treugua inter aliquas universitates vel singulares personas reformanda, aut pro advocandis ad nos dicta de causa baronibus vel prelatis, seu pro nostris processibus quibuscumque alicubi faciendis, nos contigerit destinare, invadere aut detinere per se vel alium, publice vel occulte seu quocumque quesito colore, quomodolibet impedire presumat vel aliqualiter retardare, quominus possint ad locum destinatum accedere, stare et redire secure et cum plenaria libertate.

Si quis vero contrafecerit, si universitas fuerit, interdicti, una cum suo districtu, et nihilominus principales persone universitatis eiusdem, et dicti impedimenti auctores, excommunicationis, si autem fuerit singularis persona, cuiuscumque status aut conditionis existat, etiam si episcopali et supra

1 Cod. Valicell. in margine: Ut supra, etiam Posonii.

vel regali fulgeat dignitate, simili modo excommunicationis sententie presentis constitutionis auctoritate subiacere se noverit ipso facto, a qua absolvi, seu prefata interdicti sententia relaxari, preterquam in mortis articulo, et tunc etiam nisi satisfactione premissa, nequeat sine apostolice sedis vel nostra licentia speciali.

Alia etiam pena plectatur, prout excedentis et excessus qualitate pensata, visum nobis fuerit expedire.

Insuper presenti constitutioni adiicimus, ut si quando contra universitatem vel personam aliquam de predictis, que impedimentum huiusmodi prestitisse dicatur, ad alterius petitionem criminaliter vel civiliter procedere, vel forsan ex officio nos contingat, quotiens in processu huiusmodi etiam ad diffinitivam sententiam facienda citatio imminebit, publice et sollemniter in curia nostra facta citatio tantum temporis spatium continens, quod verisimile sit, citationis edictum provenire in citati notitiam potuisse, ac comparere citatum, sic vires obtineat, ac si presentialiter vel ad domum citatio facta foret, et nihilominus si in termino in citatione huiusmodi peremptorie facta statuto neglexerit comparere, citatus habeatur ex nunc presentis constitutionis vigore de eo, super quo contra ipsum proceditur, pro convicto confesso et testibus superato.

Necessitas quoque urgens nos excitat, ut que de citationibus et earum iuribus in premissis casibus sunt statuta salubriter, ad casus etiam alios extendamus.

Ad nos enim fidedignorum clamosa insinuatione pervenit, quinimmo sumus in nostris nunciis iam experti, quod sunt nonnulli barones et alii ampla loca et territoria in regno Hungarie potentialiter distringentes, qui quorumcumque cursores vel nuncios, etiam si a nobis litteratorie destinentur, nisi primo, quas ferunt, litteris ablatis, et lectis dilaceratis aliquando, seu penes se reservatis, transire non sinunt, nonnumquam vero personas eorum impediunt totaliter, vel ad tempus retardant.

Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medelam, ne per occasiones tam frivolas spem nostram frustrari contingat: statuimus, quotienscumque de impedimento vel nociva retardatione qualibet nunciorum vel litterarum nostrarum nos verisimiliter dubitare contigerit, quod nostro arbitrio relinquatur, citationes seu convocationes quaslibet prelatorum, baronum, universitatum seu singularum personarum legationis nostre, quas in genere sive in specie communiter vel divisim ob quamcumque causam deliberaverimus faciendas, edicta etiam quelibet vel mandata, que facienda viderimus, eo modo fieri posse, sicque suas obtinere vires, sic

etiam pro convictis, confessis et testibus superatis haberi citatos, sicut in superioribus casibus, hac constitutione contentis, est provide ordinatum. Publicata Bude, VI. idus Maii.

XV. De his, qui contumaciter substinent excommunicationem.

Cum peccata tanto gravius deprimant atque laboriosius extirpentur, quanto invaluerint consuetudine longiori, presenti constitutione, sacro approbante concilio, duximus statuendum, quod si quis clericus vel laicus, cuiuscumque status aut conditionis existat, aliquam de constitutionibus nostris transgrediens, quas contra recusantes dictum Karolum pro rege naturali Hungarie recipere et habere, vel alium advocantes vel nominantes, seu recusationi, advocationi vel nominationi huiusmodi consentientes seu faventes, ac etiam contra occupatores regalium, reginalium vel ecclesiasticorum bonorum, contra eos quoque, qui in regem predictum, archiepiscopos, episcopos vel legatos manus iniecerint violentas, necnon contra occupatores et detentores sacre corone, eorumque fautores, edidimus, maioris excommunicationis sententiam, in prefatis constitutionibus seu aliqua earum contentam, quod absit, incurrerit, quam citius commode poterit, cum debita instantia illius absolutionem effectualiter obtinere procuret.

Qui vero concepta malitia sive damnosa negligentia excommunicationem huiusmodi per annum substinuerit animo indurato, contra eum qui *(sic)* prelatum, ad quem de iure pertinere dinoscitur, seu per inquisitores heretice pravitatis, bonis ipso facto iure confiscatis ipsius, tanquam contra hereticum procedatur. Publicata III. idus Julii.[1]

XVI. De receptione et publicatione constitutionum in synodis ad requisitionem regis.

Statuimus et sub pena excommunicationis districte precipimus, ut omnes et singuli archiepiscopi et episcopi et alii ecclesiarum prelati, capitula et conventus, tam regulares quam seculares, exempti et non exempti, Cisterciensium, Premonstratensium, sancti Benedicti ac Predicatorum et Minorum, Heremitarum sancti Augustini aliorumque approbatorum ordinum, necnon magistri et preceptores Militie Templi et hospitalis sancti Johannis

1 Cod. Valicell. eadem manu: Repetitur etiam apud Clementem 6. Memor. epist. 115.

Hierosolymitani, ac beate Marie Theotonicorum, in legationis nostre civitatibus seu locis insignibus constituti, nostras, quas ad communem ecclesiarum . . .[1] regis et regni Hungarie, aliarumque partium commissarum nobis utilitatem statumque, dante Domino, prosperum constitutiones edidimus, infra duorum mensium spatium, a publicatione ipsarum numerandum, de regestro camere nostre recipiant, easque vel saltem earum articulos sive puncta in eorum synodis, diebus sollemnibus et in ecclesiis et alibi, ubi expedire viderint, ita sollicite publicent et diligenter exponant, quod in plenam notitiam devenire valeant singulorum, illasque inviolabiliter servent et ab aliis eorum subditis per penas et sententias in illis contentas firmiter faciant observari. Preterea specialius illud precipimus omnibus et singulis prelatis et clericis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, superius nominatis, quod ipsi et eorum quilibet penas et sententias nostris supradictis constitutionibus comprehensas, que pro domino Karolo rege illustri Hungarie in eisdem constitutionibus sunt specialiter promulgate, quandocumque ab eodem rege fuerint requisiti per nuncium vel litteras vel etiam oraculo vive vocis, teneantur clero et populo publicare.

Si quis autem ab eodem rege taliter requisitus, predictas sententias publicare contemserit infra certi temporis spatium dicti regis arbitrio prefigendum, excommunicationis vinculo se noverit innodatum, cuius et aliarum sententiarum omnium per nos in prefatis nostris constitutionibus prolatarum absolutionem ac relaxationem nobis, vel cui commiserimus, specialiter reservamus. Publicata III. idus Julii.

Incipit decretum electionis.

Sciendum est volentibus ecclesias vacantes ordinare, quod altero de tribus modis ipsis vacantibus providetur: aut enim ordinatur vacans ecclesia per provisionem, aut per electionem, aut per postulationem sollemnem. Provisio pertinet ad superiorem, in qua non est necessaria forma concilii. Electio autem et postulatio ad inferiores, in quibus forma concilii generalis necessario est servanda. Forma autem ipsius concilii triplex est. Scilicet forma scruptinii *(sic)*, compromissi et inspirationis; vel quasi secundum alteram istarum quicumque vult eligere vel sollemniter postulare

[1] Sic in cod. Valicell.

in ecclesiis cathedralibus, regularibus, et collegiatis, debet de necessitate procedere.

Per formam autem scrutinii proceditur modo subscripto. Ecclesia enim pastoris regimine destituta, capitulum sive canonici presentes statuent terminum ad electionem celebrandam, de quo fiet publicum instrumentum, in quo narrabitur, quod decedente vel translato vel defuncto tali prelato talis ecclesie, eiusque corpore ecclesiastice tradito sepulture, capitulum sive canonici, qui tunc presentes erant, convenientes in unum, talem terminum cum continuatione sequentium dierum ad electionem unanimiter statuerunt; qui terminus erit competens, quod infra illum absentes, qui vocandi sunt, citati commode venire possint, consideratis locorum distantiis et personarum et temporis qualitate, non tamen nimis longum, quia in electione mora est periculosa. Et si vocandus scitur, ubi personaliter residet, personaliter est vocandus. Si vero nesciatur, vocetur in loco, ubi morari consuevit, per edictum publicum. Vocatio autem fiet sub hac forma:

B. prepositus et capitulum Strigoniensis ecclesie . . . canonico Strigoniensi, Colcee *(sic)*[1] moranti, salutem in Domino. Discretioni Vestre significamus, quod bone memorie R. quondam archiepiscopus noster die . . . fuit viam universe carnis ingressus, et corpus eius cum reverentia debita ecclesiastice traditum sepulture. Ne igitur ecclesia nostra propter diutinam vacationem gravem patiatur in spiritualibus et temporalibus lesionem, diem . . . cum continuatione dierum sequentium ad tractandum de electione futuri pontificis et ad electionem celebrandam duximus statuendum. Quocirca Vos requirimus et peremptorie citamus, quatenus die ipsa nobiscum convenire curetis. Alioquin nos ex tunc ad eam procedere curabimus, vestri absentia non obstante. Quod si forte iusto impedimento detenti venire nequiveritis, et velitis alicui de canonicis committere vices vestras, ad nos vestrum specialem nuncium et idoneum transmittatis, qui iuxta statutum concilii generalis, de ipso impedimento faciat plenam fidem. Datum etc.

Hec autem littere erunt aperte, et de presentatione ipsarum fiet publicum instrumentum, ne possit malitiose negari citatio, prout aliqui iam fecerunt. Debent autem convenire in ecclesia vel in capitulo, si possunt, vel in aliquo loco idoneo, si ibi commode convenire non possunt. Sed ex causa solitus locus mutatur, et locus et causa in citatione inseratur. Omnibus autem in loco statuto simul convenientibus, diligenter deliberent,

---

Colocæ.

an per viam scrutinii, an per viam compromissi procedere velint. Si ergo viam eligant de electione huiusmodi, fiat publicum instrumentum, in quo contineatur, qualiter diligenti deliberatione habita, placuit omnibus et singulis, et concorditer omnes consenserunt per viam scrutinii procedere. Quo facto, sic procedant: eligantur enim ex ipso collegio, et non aliunde, tres fidedigni, vel plures vel pauciores, licet sit melius, quod tres tantum, iuxta concilium generale; de qua etiam electione fiat publicum instrumentum; quibus detur potestas per idem publicum instrumentum vel per scripturam alias autenticam examinandi vota sua et aliorum, nullo obmisso secreto, et sigillatim et in scriptis ea redigendi, et redacta mox in communi publicandi, ut sciantur, qui in quem consenserint, et meriti ad meritum et zeli ad zelum et numeri ad numerum collationem faciendi, et collatione per eos habita diligenti, electionem faciendi, et eum eligendi, in quem invenerint omnes vel maiorem et saniorem partem capituli consensisse. Ita quod unus ipsorum scrutatorum de consensu et voluntate aliorum duorum, vice sua et collegarum et aliorum omnium, qui in eis consenserint, electionem pronunciet in scriptis et sollemniter celebret et alia faciat, prout compromittentibus placuerit. Huic autem instrumento, super potestate tradita confecto, omnes subscribent sic: Ego talis predictis interfui et consensi et predictam potestatem eis contuli. Et postea sigilla omnium et etiam capituli apponantur. Hoc facto, isti tres trahant se ad partem, et primo scrutantur voces eorum, ita quod duo scrutentur tertium. Post hoc seriatim et singulariter vocabunt quemlibet de capitulo, solum per se, et primo illum, qui habet in electione primam vocem de consuetudine, et dicent ei secrete, exemplo Danielis: Frater, in electione presenti habeas Deum pre oculis, cuius nunc causa tractatur, non Te decipiat odium, amor vel favor, non pecunia, que humanos pervertere solet sensus, non lucrò tuo prospicias, sed utilitati communi. Ideo adiuramus Te per Deum vivum et in virtute Spiritus Sancti et sub periculo anime tue, quod consentias in eum, et eum nomines, quem ex voto credis utiliorem et meliorem ecclesie, et per quem iura ecclesie possunt melius defensari. — Et tunc ille dicat: Et ego credo P. meliorem et utiliorem, et in eum consentio, et eum nomino eligendum in episcopum et pastorem. — Et tam interrogatio et adiuratio et responsio redigantur in scriptis. Et hoc per tabellionem clericum, vel si non possit haberi tabellio, duo ex eis hec scribant. Completo scrutinio, ipsi scrutatores mox, idest nullo actu contrario intermedio, redibunt ad capitulum. Et ipsi vel unus eorum de aliorum mandato vota singulorum in communi publicabunt, et presente capitulo

dicent: Nos examinavimus vota vestra et singulorum secreto et sigillatim, placet Vobis, quod ea publicemus? Et illi dicent: Placet. Et publicabunt sic, idest publice legent, ut quod secrete actum est, ab omnibus sciatur. Publicatione autem facta, collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum et meriti ad meritum fiet per ipsos scrutatores sic. Si vota canonicorum diversa fuerint in plures, surgent in medio capituli et publicatis votis, incipient a capite et legent sic: A. B. C. consenserunt in P. Item ex altera parte legent: D. E. F. consenserunt in M. Et sic computabunt, dicentes: Nos invenimus maiorem numerum consensisse in P.; nam cum sint in universo XL. canonici, XXV. consenserunt in ipsum P. et XV. in M. Item invenimus, quod tot persone personatus seu dignitates habentes consenserunt in P. et plures, quam in M. Item invenimus meliorem zelum ex parte eligentium P., quam ex parte eligentium M. Nam illi elegerunt bonum et utilem virum. Istis autem caro et sanguis revelavit, suum consanguineum eligendo. Item invenimus P. maioris esse meriti, quia litteratior, prudentior, honestior, sanctior, et melior ac potentior ad iura ecclesie conservanda, quam M. — Ubi autem unus solus est in scrutinio nominatus, non habet locum collatio numeri ad numerum, vel meriti ad meritum, vel zeli ad zelum, fiet tamen tunc collatio talis per eum, qui maior est, vel per scrutatores, virum, (scilicet nominatus sit) de legitimo matrimonio natus, competentis scientie, sufficientis etatis, et in sacris ordinibus constitutus. Et si ista concurrant, procedatur ad electionem, et duo ex scrutatoribus, quibus data est a capitulo potestas eligendi, tribuant potestatem tertio, electionem pronunciandi et publicandi nomine suo et omnium consentientium, qui unus debet eligere; et in continenti electio et pronunciatio fiet primo in capitulo in hac forma: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Anno . . . mense . . . et die . . . ego . . . unus de scrutatoribus a . . . nostro capitulo nominatis et electis ad faciendum scrutinium et electionem futuri pontificis secundum formam superius pretaxatam, ipsa servata in omnibus, de voluntate, consensu et mandato collegarum meorum, et ex potestate mihi tradita, invocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem Dei et gloriose matris eius, et . . . sancti nostri patroni et omnium sanctorum, P. in quem collatio est facta, reperimus omnes vel maiorem et saniorem partem capituli nostri in scrutinio consensisse in nostrum et ecclesie nostre episcopum, eligo in pastorem, eandemque electionem in his scriptis pronuncio. — Post hoc pulsentur campane, ut populus congregetur, et populo congregato per alterum ex electoribus ad hoc per capitulum deputatum publicetur electio in communi, idest coram

clero et populo, et cantetur Te Deum Laudamus sollemniter, et electus, si presens est, deportetur ante altare et inthronizetur. Forma autem publica nominis huius erit talis: Recitetur totus processus, sicut iam in forma pronunciationis dictum est, et ultimo sic adiiciet: quam electionem Vobis denuncio et in presentia omnium dico sollemniter publicandam. — Igitur celebrata et publicata electione, decretum electionis fiet sic:

Sanctissimo ac beatissimo patri et domino suo, domino C.[1] divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici P. prepositus et capitulum Strigoniensis ecclesie, eius humiles fideles ac devoti filii, pedum oscula beatorum. Sacris canonibus novimus esse cautum, quod ultra tres menses vacare non debeant ecclesie cathedrales, ne propter defectum pastoris dominicum gregem lupus rapax invadat, et viduata ecclesia in suis facultatibus grave dispendium patiatur. Ea propter bone memorie R. archiepiscopo nostro... anno... mense et... die, sicut Domino placuit, viam universe carnis ingresso, ipsius corpore, ut moris est, cum reverentia ecclesiastice tradito sepulture, nos . . . qui tunc presentes eramus, convenientes in unum ad electionem futuri nostri pontificis canonice celebrandam,. . . terminum cum continuatione sequentium dierum duximus statuendum. Citatis igitur interim et tunc presentibus omnibus, qui electioni celebrande debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, in ecclesia nos convenimus, de electione futuri pontificis tractaturi. Sane post diversos tractatus inter nos habitos et nominationes diversarum personarum simplices, ac discussiones et inquisitiones multiplices, tandem placuit nobis universis et singulis per viam scrutinii nostre ecclesie providere, et eligentes tres, scilicet A. B. et C. de nostro collegio fidedignos, dedimus eis plenariam potestatem, ut secreto et sigillatim vota cunctorum, primo inde sua et postea nostra diligenter inquirerent, et ea in scriptis redigerent, et in scriptis redacta mox in communi publicarent, et tam numeri ad numerum, quam zeli ad zelum, quam meriti ad meritum per eos collatione habita diligenti, illum eligerent, in quem invenirent omnes vel maiorem et saniorem partem nostri collegii consensisse, ita quod unus ipsorum de voluntate et consensu aliorum duorum scrutatorum vice sua et collegarum et aliorum omnium, electionem eandem pronunciaret in scriptis et sollemniter celebraret. Qui secedentes in partem, primo vota sua, ita quod duo scrutabantur tertium, secundo tres simul vota omnium aliorum, sicut nobis postea retulerunt, secreto et sigillatim diligenter inquisiverint, et in scriptis redacta mox in communi publicarint, et in nostra presentia per

1 Clementi.

eosdem secundum formam eis datam tam numeri ad numerum, quam zeli ad zelum, quam meriti ad meritum collatione habita diligenti . . . unus de scrutatoribus antedictis, de voluntate, consensu et mandato aliorum . . . in quem repertum fuit omnes vel maiorem partem et saniorem nostri collegii seu capituli in scrutinio consensisse, vice sua et collegarum et omnium aliorum in his consentientium, invocata Spiritus Sancti gratia, in nostrum et ecclesie nostre elegit episcopum et pastorem, virum utique plene et mature etatis, ut pote qui XXX-um annum sue etatis exegit, de legitimo matrimonio procreatum, et in sacris ordinibus constitutum, vita et moribus ac litterarum scientia commendandum, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, et electionem pronunciavit in scriptis et eam publicavit hoc modo: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Anno . . . mense . . . et die . . . Ego . . . unus de scrutatoribus a dicto nostro capitulo nominatis et electis ad faciendum scrutinium et electionem futuri pontificis secundum formam superius pretaxatam, ipsa servata in omnibus, de voluntate, consensu et mandato collegarum meorum et omnium in his consentientium, et ex potestate mihi et ipsis [tradita], invocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem Dei et gloriosissime virginis matris eius et sancti . . . in cuius honore ecclesia nostra est constructa, dominum P., in quem collatione facta repperimus omnes vel maiorem et saniorem partem capituli nostri seu collegii, quorum subscriptiones inferius continentur, in scrutinio consensisse, in nostrum et ecclesie nostre episcopum eligo et pastorem, eandemque electionem in scriptis pronuncio, dictam vero electionem sic canonice et sollemniter celebratam et publicatam in communi omnes recepimus et approbavimus, Te Deum Laudamus more solito cum cordis iubilo decantando. Idem vero electus sibi . . . die electione huiusmodi presentata, licet ex humilitate se insufficientem et indignum asserens, se multipliciter excusaret, nobis tamen vehementer instantibus, timens divinis dispositionibus contraire, invocato divine pietatis auxilio, . . . die dicte electioni consensit, non tam timide, quam devote electionem ipsam, officium onusque impositum, ut prodesse valeat, suscipiens et acceptans. Vestre igitur Beatitudini duximus unanimiter supplicandum, ut electionem predictam sic canonice sic sollemniter celebratam dignemini confirmare, et electo ipsi consecrationis munus favorabiliter impartiri, quatenus nobis, velut pastor idoneus, et toti provincie preesse utiliter valeat et prodesse; nosque et alii sibi commissi sub eius sacro regimine possimus coram Deo salubriter militare. Ad huiusmodi autem confirmationem, nomine nostro a Vestra Sanctitate petendam, . . . et . . . nostros canonicos et

coelectores in scrutatores et procuratores ordinavimus et constituimus, et propter hoc eos ad Vestre Sanctitatis pedes duximus destinandos, dantes eis plenam et liberam potestatem petendi confirmationem, et si necesse fuerit, provisionem, et iurandi in animas nostras, si visum fuerit expedire. Promittentes, nos ratum et gratum et firmum perpetuo habituros, quicquid per eos in predictis vel aliquo premissorum extiterit procuratum. Ut autem omnium nostrorum vota in predictis omnibus et singulis in hac electione et petitione concordasse noscatis, Sanctitati Vestre hoc canonicum decretum mittimus, roboratum propriis manibus et subscriptum. Ego . . . prepositus Strigoniensis ecclesie supradictis omnibus et singulis consensi et consentio et manu propria signo et subscribo. Ego . . . vice . . . scribere nescientis de mandato subscribo. Notarius autem in fine dicet: Acta sunt hec anno, mense et die et lo[co] . . .

Per viam compromissi procedatur modo subscripto. Canonici vacantis ecclesie statuant terminum ad electionem celebrandam. Interim vocatis omnibus absentibus et in termino convenientibus, qui possunt, debent et volunt commode interesse, maior de capitulo vel alius, cui capitulum committit, querat a singulis, si placet eis per viam procedere compromissi. Singulorum autem consensu requisito et habito, tractetur de persona, cui committant. Deinde singulis super requisitis et in unam personam, cui committatur, convenientibus, unus de mandato capituli dicet: Ego . . . vice capituli committo seu do A. si est unus, vel A. B. et C. si in plures compromittant, potestatem providendi nostre ecclesie de pastore. Illi autem, in quos compromittitur, si plures sunt, quia possunt esse duo, tres, quinque et septem, trahens se ad partem, et simul deliberent potestate recepta et conferant de persona eligenda, et si concordaverint, redeant ad capitulum, et forma eis a capitulo tradita in omnibus observata, unus eorum electionem pronuncient et publicent *(sic)* sub hac forma: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Anno, mense et die . . . ego . . . de voluntate et consensu collegarum meorum, in quo unanimiter compromissum fuit a capitulo, et in quos potestatem providendi ecclesie transtulerunt, vice mea et ipsorum et omnium aliorum in electione ius habentium et hic presentium, ex potestate et auctoritate supradicta mihi et aliis meis collegis concessa, invocata Spiritus Sancti gratia, P. in quem nos A. B. et C. compromissarii supradicti simul convenimus, in nostrum et ecclesie nostre episcopum eligo et pastorem, et de ipso provideo dicte ecclesie in pastorem, et ipsam electionem et provisionem in his scriptis pronuncio et sollemniter publico in communi. — Hec forma servanda est,

quando compromissarii sunt de collegio, prout dicit concilium. Si vero esset extra collegium, tunc sufficit dicere: Ego . . . unus de compromissariis supradictis de voluntate et consensu ipsorum vice totius capituli, P. in quem omnes convenimus, eligo seu provideo in . . . ecclesie episcopum et pastorem. — Et in hoc quasi totum capitulum concordat, nam uno contradicente, non potest per viam compromissi procedere. Postmodum vero coram clero et populo publicent electionem sive provisionem, et postea fiat decretum ipsius electionis sive provisionis hoc modo:

Almo ac beatissimo patri et domino, domino C.[1] divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici P. prepositus et capitulum ecclesie Strigoniensis, eius humiles filii et devoti, pedum oscula beatorum. Cum propter vacationem diutinam ecclesie, pastorum solatio destitute, in spiritualibus et temporalibus dispendia patiantur, conditores canonum deliberatione provida censuerunt, ut ultra tres menses vacare non debeant ecclesie cathedrales. Defuncto igitur bone memorie R. archiepiscopo nostro anno, mense et die . . . sicut Domino placuit, ipsiusque corpore cum reverentia tradito ecclesiastice sepulture, nos . . . canonici Strigoniensis ecclesie, qui tunc presentes eramus, convenientes in unum, ad electionem futuri pontificis celebrandam terminum cum continuatione dierum sequentium duximus statuendum. Citatis interim et tunc presentibus omnibus, qui electioni celebrande debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, in capitulo nos recepimus de electione futuri pontificis tractaturi, et post diversos tractatus inter nos habitos, tandem placuit omnibus et singulis per viam compromissi nostre viduate ecclesie providere. Considerantes, in unum difficulter multitudinem convenire, et sepe in paucos spiritum sanioris consilii residere, dedimus plenam et liberam omnes et singuli unanimiter potestatem A. B. et C., ut iidem vel maior pars ipsorum vice sua et nostra per electionem canonicam vel postulationem concordem ecclesie nostre supradicte vacanti, Deum ac bonum statum ipsius ecclesie habentes pre oculis, de persona idonea providerent, omnem potestatem et vicem nostram eis super hoc committentes; ita quod unus ipsorum de consensu aliorum compromissariorum vel maioris partis ipsorum convenirent, eligerent et electionem in presentia nostra sollemniter publicarent. Qui secedentes in partem et Spiritus Sancti gratiam invocantes devote, post tractatus diversos et varios de diversis personis inter se habitos, ut nobis postmodum retulerunt, tandem in magistrum P. prepositum Strigoniensem, in sacerdotali ordine constitutum,

[1] Clementi.

iidem unanimiter convenerunt, virum utique plene et mature etatis, utpote qui XXX. annos etatis sue exegit, de legitimo matrimonio procreatum, vita et moribus et litterarum merito scientia commendandum, in spiritualibus et temporalibus plurimum circumspectum, quem . . . secundum formam in compromisso appositam in hunc modum elegit: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Anno, mense et die . . . ego . . . unus de compromissariis supradictis de voluntate et consensu collegarum meorum, iuxta formam compromissi mihi et eis traditam, vice mea et predictorum meorum collegarum ac omnium de capitulo, ex potestate mihi et predictis meis collegis ab universis et singulis de ipso capitulo tradita, invocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem Dei et gloriosissime matris eius et . . . sancti nostri patroni et omnium sanctorum, magistrum P. prepositum Strigoniensem, in quem nos compromissarii supradicti unanimiter convenimus, in nostrum et ecclesie nostre eligo in episcopum et pastorem, et de ipso provideo dicte ecclesie in pastorem. Eandemque electionem seu provisionem in his scriptis pronuncio et publico in communi publicatam. — Omnes unanimiter recepimus et approbavimus, more solito pulsatis campanis, cum cordis iubilo Te Deum Laudamus sollemniter decantando. Consequenter autem conveniente populo ad pulsationem campanarum, R. de mandato nostro dictam electionem ipsi populo publicavit. Idem vero electus, sibi die . . . electione huiusmodi presentata, licet se multipliciter excusaret, tandem nobis vehementer instantibus, invocato divine pietatis auxilio, die . . . dicte electioni consensit. Sanctitati igitur Vestre duximus unanimiter supplicandum, ut electionem supradictum sic canonice celebratam dignemini confirmare, et electo nostro predicto munus consecrationis misericorditer impartiri, quatenus, auctore Deo, nobis et toti provincie, velut pastor idoneus, preesse valeat utiliter et prodesse. Nosque et alii sibi commissi sub eius sacro regimine possimus coram Deo salubriter militare. Ad huius autem confirmationem et consecrationem nomine nostro a Vestra Sanctitate petendam A. et B. de nostro capitulo nostros procuratores et etiam instructores ordinavimus et constituimus, et propter eas eos ad Vestre Sanctitatis pedes duximus destinandos, dantes eis plenam et liberam potestatem petendi confirmationem et consecrationem ac, si necesse fuerit, dispensationem et provisionem, et iurandi in animas nostras, si visum fuerit expedire. Promittentes nos ratum, gratum et firmum perpetuo habituros, quicquid per eos in premissis vel aliquo premissorum fuerit procuratum. Ut autem omnium nostrorum vota in predictis omnibus et singulis concordasse noveritis, et in hanc electionem et petitionem

venire, hoc canonicum decretum Sanctitati Vestre mittimus roboratum propriis manibus et subscriptum. Et ad maiorem cautelam sigillo nostri capituli et etiam propriis sigillatum. Ego . . . archidiaconus Strigoniensis supradictis omnibus et singulis consensi et consentio et propria manu scribo.

Per inspirationem fit electio, si dum canonici primo intrant capitulum pro electione celebranda, nullo speciali tractatu precedente, quasi divina revelatione et inspiratione, omnes, nullo contradicente, consenserint in aliquem repente, et simul eum eligant et nominent, dicentes una voce: Eligo P. eligo P. Et talis electio dicitur facta per inspirationem. Et ex quo omnes canonici uno ore et uno spiritu eligunt, non est vi, si dicant: Eligo, sive Eligimus; quia una est censenda electio propter unanimes voluntates, et tunc formabitur sic decretum:

Sanctissimo patri et domino suo, domino C.[1] divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, P. prepositus et capitulum Strigoniensis ecclesie, eius humiles filii et devoti, pedum oscula beatorum. Ne pro defectu pastoris gregem dominicum lupus rapax invadat, aut in spiritualibus et temporalibus ecclesia viduata grave dispendium patiatur, conditores canonum deliberatione provida statuerunt, ut ultra tres menses vacare non debeant ecclesie cathedrales. Ea propter bone memorie R. archiepiscopo nostro . . . anno, mense et die . . ., sicut Domino placuit, viam universe carnis ingresso, ipsiusque corpore, ut est moris, cum reverentia ecclesiastice tradito sepulture, nos . . . canonici Strigonienses, qui tunc presentes eramus, convenientes in unum, ad electionem futuri nostri pontificis canonice celebrandam terminum cum continuatione dierum sequentium duximus statuendum. Citatis igitur interim et tunc presentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, in ecclesia nos recepimus, de electione futuri pontificis tractaturi; nobis in unum locum et prepositum *(sic)* congregatis, unusquisque divina inspiratione, repente, nulla nominatione nulloque alio tractatu precedente, in P. virum utique plene et perfecte etatis, ut pote qui XXX. annos etatis sue exegit, de legitimo matrimonio natum, vita et moribus et litterarum scientia commendandum, consensit, et una voce simul ac unanimiter omnes et singuli in episcopum elegerunt, et pulsatis campanis Te Deum Laudamus sollemniter decantarunt. Consequenter autem conveniente populo etc. *ut supra in forma proxima*. Publicata II. idus Julii.

Datum Bude, anno Domini MCCCVIII. indictione VII., III. nonas Decembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

1 Clementi.

LXII.

1309. 9. Maii—22. Julii. Budæ.

Causa abbatissæ et conventus monasterii sanctæ Claræ de Tyrnavia contra capitulum Strigoniense et Albense, super decimis per moniales dictas solvendis.

(Bibl. Vatic. Cod. 3935. fol. 16.)

In Dei nomine amen. Anno Domini millesimo CCCVIIII. indictione VII. Actum Bude, pontificatus domini Clementis pape V. anno IIII.

Die Veneris, VIIII. mensis Maii, frater Johannes guardianus loci fratrum Minorum de Tirna, asserens se procuratorem et syndicum abbatisse et conventus monasterii dominarum ordinis sancte Clare de Tirna, coram domino Phylippo de Sardinia auditore domini legati representavit duas litteras, per quas ex parte domini legati fecerat citari canonicos ac capitulum ecclesie maioris Strigoniensis et capitulum ac canonicos Albensis ecclesie Regalis, pro quibus capitulo, canonicis ac ecclesia Strigoniensi domini Lodomerius prepositus sancti Thome de promontorio et Johannes lector, canonici Strigonienses, asserentes se esse syndicos et procuratores capituli et ecclesie, comparuerunt in iudicio, paratos se offerentes eisdem abbatisse et conventui et eorum procuratori legitimo de iustitia respondere. Prefatus quoque dominus auditor eisdem, fratri Johanni guardiano, dicenti se procuratorem dominarum predictarum et pro eis petenti, ac preposito et lectori predictis, volentibus et consentientibus, ad comparendum coram eo et procedendum ulterius in causa ipsa, prout de iure fuerit, si interim inter eos concordia haberi non posset, ad quindenam nativitatis beati Johannis Baptiste proxime nunc venturam terminum prorogavit seu etiam assignavit, quo, ubicunque fuerit curia domini legati, dicte partes coram eo debeant comparere. Et tunc dicti syndici protestati fuerunt de expensis contra dictas abbatissam et monasterium.

Item eodem [die] in vesperis, comparuerunt frater Johannes guardianus predictus, dicens se pro predictis dominabus et monasterio legitimum habere mandatum, ex parte una, ac magister Paulus corrector litterarum domini Karoli Dei gratia regis Ungarie, canonicus ac procurator et syndicus capituli et ecclesie Albensis, prout de syndicatu et procuratione constat per patentes eiusdem capituli litteras, ipsius capituli sigillo sigillatas, ex parte altera. Et idem magister Paulus petiit, quod idem guardianus doceret de legitimo mandato dominarum et monasterii predictorum, quia

de ipso statim fidem facere tenebatur. Dictus vero guardianus dixit, quod pro dictis abbatissa et monasterio sufficiens mandatum haberet, licet non penes eum, sed loco et tempore doceret de ipso, petens aliquam bonam dilationem ad comparendum cum mandato et libellis, infra quem posset etiam de concordia tractari. Prefatus autem magister P. syndicus et procurator, quia de procuratione et mandato idem frater statim non docebat, sicut tenebat, ut asseruit procurator et syndicus predictus, dictarum dominarum et monasterii contumaciam accusavit, petens ipsas in expensis legitime condempnari, quas fuit sollempniter protestatus. Prefatus vero dominus auditor eisdem guardiano petenti et syndico ad comparendum coram eo et procedendum ulterius, prout de iure fuerit, in dicta causa, nisi interim inter eos concordia fieri possit, usque ad quindenam nativitatis beati Johannis Baptiste proxime nunc venturam terminum prorogavit, quo dicte partes comparere debeant, ubicunque curia domini legati fuerit, nisi interim concordia habeatur, protestatione eiusdem syndici salva, quam etiam continue renovavit, consentiendo tamen dicto termino, eius protestatione salva.

Die Martis, VIII. Julii, comparuerunt procuratores Strigoniensis capituli et frater Johannes guardianus, exhibuerunt mandata, quibus datus est terminus ad recipiendum copiam procurationis et dicendum contra, quicquid voluerit, ad diem Jovis proximam in vesperis.

Item idem guardianus presens se contra capitulum Albense et contumaciam accusavit, et postea magister Paulus comparuit, et continuaverunt dictum terminum ad diem Lune proxime venturam.[1]

Concordia inter capitulum Strigoniense et moniales s. Claræ de Tyrnavia facta.

In nomine Domini amen. Cum inter nos, capitulum maioris Strigoniensis ecclesie, ex una parte, et Vos, fratrem Johannem gardianum loci fratrum Minorum de Tyrna, Strigoniensis dyocesis, procuratorem legitimum . . . abbatisse et conventus monasterii beate virginis Marie, ordinis sancte Clare, de dicto loco Tyrne, nomine dicti monasterii, orta sit materia questionis et litis, ac coram venerabili viro domino Phylippo de Sardinia, canonico Arborensi, decretorum doctore, venerabilis patris et domini domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, auditore, contra nos seu contra reveren-

[1] Hic explicit processus in codice nostro. Libellus in iudicio per procuratorem monialium propositus, et concordia post hoc inter capitulum et moniales facta adest in archivo regnic. Hung. Dipl. nr. 1737.

dum virum Lodomerium ecclesie sancti Thome prepositum, procuratorem nostrum, libellum in iudicio porrexeritis infrascripti tenoris:

Coram Vobis, reverendo viro domino Phylippo canonico Arborensi, venerabilis patris domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, causarum auditore, conqueritur frater Johannes gardianus conventus fratrum Minorum de Tyrna, Strigoniensis diocesis, procurator sororis Christine abbatisse et conventus monasterii sancte Marie de dicto loco Tyrne, ordinis sancte Clare, de Lodomerio procuratore capituli Strigoniensis ecclesie, dicens: dictis procuratori et capitulo non esse ius petendi et percipiendi decimas de frugibus seu aliquibus fructibus, provenientibus de possessionibus et aliis bonis dicti monasterii, existentibus in fundo seu territorio dicti loci Tyrne; obstante dictis procuratori et capitulo privilegio, universis abbatissis et conventibus monialium inclusarum, sive ordinis sancte Clare, sive sancti Damiani, sive Minorisse dicantur, de non prestandis decimis de quibuscunque possessionibus et aliis bonis suis, ab apostolica sede concesso. Quare petit idem procurator, nomine quo supra et nomine dicti monasterii, dictum procuratorem et capitulum per Vos prohiberi, ne in posterum iure predicto utantur et fruantur, et ne decimas predictas percipiant in futurum, et eis perpetuum silentium imponi super iure et decimis predictis, ac de ipso iure non utendo et fruendo, ac de dictis decimis non percipiendis in futurum caveri. Predicta autem petit procurator prefatus, nomine quo supra, omni modo, iure et actione, quibus melius potest, cum dampnis, expensis et interesse litis et extra, salvo sibi iure addendi, minuendi, mutandi et corrigendi, usque ad litis contestationem.

Datusque fuerit per auditorem prefatum dicto procuratori nostro terminus peremptorius ad exceptiones dilatorias et declinatorias proponendas; necnon ipso termino elapso, et dictis exceptionibus, per dictum nostrum procuratorem eo, quod nulle competebant, renunctiato expresse, dicto procuratori per auditorem prefatum alius fuerit ad litem contestandam terminus assignatus; interim quoque ad instantiam dicti nostri procuratoris, Lodomerii prepositi, Pauli archidyaconi Cumarniensis,[1] Johannis lectoris, Mathie cantoris, concanonicorum nostrorum, prefatum apostolice sedis privilegium cum vera bulla eisdem amicabiliter ostenderitis, non vitiatum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte corruptum, necnon ipsius copiam feceritis, ut nos possent consulere super eo. Idcirco nos ex predicti privilegii tenore, diligenter considerato, liquido congnoscentes, predictas abba-

[1] Comaromiensis.

tissam et conventum a prestatione decimarum de possessionibus et quibuscunque bonis suis plene exemptas, nobisque nullo modo ius esse petendi aut percipiendi decimas antedictas, sicque volentes bonam fidem agnoscere, ut tenemur, de nostra spontanea voluntate et ex certa scientia, non per errorem aliquem, predicte liti et questioni cedimus, expresse renunctiamus et fatemur, nobis nullo modo deberi decimas antedictas; et ad plenam dictarum abbatisse, conventus et monasterii cautelam et securitatem, Vobis, fratri Johanni prefato, procuratori predictarum abbatisse et conventus, presentibus et solempniter stipulantibus, nomine abbatisse, conventus et monasterii predictorum, promittimus, quod decimas, vel aliquid nomine decimarum de possessionibus seu quibuscunque bonis, ad abbatissam, conventumque seu monasterium antedicta spectantibus, quoquo modo, nullo tempore per nos vel alium seu alios exigemus, et quod dicto iure percipiendi decimas ipsas in posterum nullo modo utemur nec fruemur, neque predictam abbatissam, conventum et monasterium, vel Vos, nomine quo supra, seu dictorum bonorum cultores aliquo modo molestabimus vel inquietabimus super prestatione decimarum ipsarum, sed ipsas abbatissam et conventum atque monasterium et Vos, nomine quo supra, dictas decimas permittemus, et ex nunc permittimus pacifice et quiete perpetuo possidere, percipere et habere, et in omnibus et per omnia dictum exemptionis privilegium cum debita obedientia observabimus. Predicta et quodlibet predictorum promittimus Vobis, nomine quo supra, sub obligatione bonorum nostrorum; quod si non observaverimus predicta et quodlibet predictorum, promittimus Vobis, nomine quo supra, stipulantibus, omnia et singula dampna, interesse et expensas, factas et facta in iudicio et extra, plene Vobis reficere et resarcire sine lite; de quibus dampnis, interesse et expensis stabimus et credemus iuramento, in animam dictarum abbatisse et conventus prestito. Volumus insuper et promittimus, quod si predicta vel quodlibet predictorum non servaverimus, possimus conveniri et in iudicium trahi coram Strigoniensi vel Colocensi archiepiscopis, et coram quocumque iudice ecclesiastico, Strigonii vel Coloce, vel ubicunque locorum constituto; renunctiantes expresse omnibus exceptionibus dylatoriis et declinatoriis et maxime privilegio revocandi domum. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et nostro sigillo muniri. Datum Strigonii, in festo beate Marie Magdalene,[1] anno Domini MCCC. nono.[2]

1 22. Julii.

2 Orig. huius concordiæ pulchre exaratum in membrana, cum sigillo minore capituli, e zona membranea pendente. Transscripta per card. Gentilem 20. Augusti a. 1309. (Arch. regnic. Hung.

LXIII.

1309. 24. Maii. Budæ.

Augustinus episcopus Zagrabiensis Blasium diaconum, filium Jacobi de Star, Varadiensis diœcesis, de mandato cardinalis Gentilis ad sacerdotium promovet.

(Bibl. Vatic. Origin. inter fol. 29 et 30. codicis 3935.)

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos frater Augustinus miseratione divina episcopus Zagrabiensis die Sabati quatuortemporum, vicesimo quarto mensis Mai, septime indictionis, in anno Domini millesimo trecentesimo nono, in ecclesia beate Marie de Novo Castro Budensi in missarum sollempniis ordines cum devotione debita celebrantes, de mandato et speciali commissione nobis facta per reverendum in Christo patrem et dominum nostrum, dominum Gentilem Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, apostolice sedis legatum, Blasium diaconum, filium Jacobi de Star, Varadiensis diocesis, representatum per venerabilem in Christo patrem dominum E.[1] episcopum Varadiensem, post diligentem examinationem de eo factam, ydoneum et capacem inventum, Sancti Spiritus gratia invocata, ad sacerdotium digne promovimus iuxta formam ecclesie consuetam. In cuius rei testimonium presentes litteras exinde fieri facimus, et nostri sigilli appensione muniri. Datum Bude, VIIII. kalendas Junii.

Dipl. 1738. Vide infra pag. 354.); per Michaelem Petri de Bogusch notarium publicum 6. Julii a. 1407. (ibidem n. 9268); et per Valentinum de Tyrnavia not. publ. 10. Sept. a. 1438 (ibidem n. 13144.)

1 Emericum.

LXIV.

1309. 4. Junii. Teten. (Tétény.)

Henricus banus in præsentia cardinalis Gentilis consentit nomine suo et nepotis sui Carolum regem alibi quoque quam Albæ Regiæ, ac alia quam sacra corona coronari posse, et eidem iuramentum fidelitatis præstat.

(Arch. Vatic. C. 40. No. 11.)

Magister Herricus filius Herrici bani ad perpetuam rei memoriam. Fidei virtus est, que et regnantis imperium dirigit et obedientiam nobilitat subiectorum, ut tanto quisque reddatur preclarior, quanto in ipsius obsequium fidei studuerit perseverantius exerceri. Hoc igitur bonum ex animo assequi cupientes, licet excellentissimo domino nostro domino Karulo illustri regi Ungarie, quem ad ipsius regni iura cum universitate eiusdem regni episcoporum, baronum atque nobilium, in presentia venerabilis patris domini Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, olim sponte suscepimus, fidelitatis exhibuerimus iuramentum, quod et Deo actore *(sic)* inviolabiliter observamus; ob sollempnitatem tamen votive coronationis prefati domini nostri regis idem fidelitatis eulogium devoto animo innovantes, pro nobis nostrisque heredibus itemque nobilibus, quomodolibet sub nostro regimine constitutis, necnon pro magistro Nicolao [1] filio magistri Gregorii, nepote nostro, cunctisque ad ipsum pertinentibus, in dictam domini nostri coronationem fiendam autoritate prefati domini legati cum corona, quam ipse novam benedici faciet eo, quod antiqua regni corona haberi non potest, locoque, si forte ratione previa propter viarum discrimina vel aliam causam in Albam, ubi ex more huiusmodi coronatio fieri consuevit, accedere minime videretur, ac tempore, quibus ipse decreverit, alacri animo consentimus; etiam si propter causas aliquas nos adesse personaliter non contingat. Et eidem domino nostro regi promittimus, in omnibus secundum iura regni Ungarie fideliter obedire, vocati ad ipsum accedere, quo miserit, pergere, ac ad edomandos rebelles pro nostre facultatis modo ad ipsius imperium fideliter decertare. Super quibus in manibus prefati domini legati in presentia venerabilium patrum dominorum, Thome Strigoniensis, Wyncencii Colocensis archyepiscoporum, fratris Augustini Zagrabiensis, Gregorii Bozenensis episcoporum et Nicolai

[1] Idem Nicolaus a. 1312—1332. magister tavernicorum regalium.

postulati ecclesie Jauriensis, itemque frequentie multorum nobilium, qui tunc nobiscum aderant, tam pro nobis nostrisque heredibus ac ad nos pertinentibus, quam pro magistro Nicolao nepote nostro ac ad ipsum spectantibus, sicut superius expressum est, iuramentum corporale prestamus; obligantes et sponte susscipientes, ut qui predicta servare non curaverit animo pertinace, periurii reatum incurrat et penas omnes per prefatum dominum legatum contra rebelles huiusmodi promulgatas actenus, vel in posterum promulgandas, et eas etiam, quas infligere leges seculi pro lese maiestatis crimine decreverunt. In quorum omnium perpetuam firmitatem presentes litteras nostro sigillo voluimus insigniri. Actum in Teten, Wesprimiensis diocesis, pridie nonas Junii, anno Domini MCCCVIIII.

A tergo manu coæva: Anno Domini MCCCVIII. *(sic)* pridie nonas Junii magister Henricus filius Henrici Vani *(sic)* domino Karolo regi Ungarie fidelitatis iuramentum prestitit, ut est moris.

Orig. in membrana, sigillum deest.

LXV.

1309. 15. Junii. Budæ.

Carolus rex Hungariæ præsentibus cardinale Gentile ac prælatis et baronibus iuramentum de conservatione iurium eiusdem regni præstat.

(Arch. Vat. C. 40. No. 7.)

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate MCCC. nono, die XV. mensis Junii, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto. In maiori ecclesia sancte Marie de Castro Budensi, Vesprimiensis diocesis, reverendo in Christo patre et domino, domino fratre Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato; iuxta maius altare ipsius ecclesie sancte Marie sedente, ac venerabilibus in Christo patribus dominis T.[1] Strigoniensi archiepiscopo ad coronationis magnifici principis domini Caroli Ungarie regis illustris et missarum solennia celebranda ante ipsum altare stante parato, et V.[2] Colocensi archiepiscopo, E.[3] Varadiensi et J.[4] Nitriensi episcopis eidem Strigoniensi archiepiscopo

[1] Thoma.
[2] Vincentio.
[3] Emerico.
[4] Johanne.

assistentibus, Serafino preposito Posoniensi in diaconatus, et Michaele canonico Strigoniensi in subdiaconatus ordinibus prefato Strigoniensi archiepiscopo administrantibus, ac Johanne preposito, Johanne cantore, Colino custode, Petro, Stephano, Paulo, Jacobo, Johanne et Nicolao canonicis ecclesie Albensis, dicte Vesprimiensis diocesis, regalia paramenta, ut moris est, supra altare ipsum preparantibus, necnon magnificis et nobilibus viris Ungarie regni baronibus, videlicet Homodeo palatino pro se et filiis suis, Dominico magistro pro se et fratribus suis, Cocos et Lozcho, Demitrio magistro filio Nicolai, et Philippo de Sancto Geroldo pro se et pro Matheo palatino de genere Chaak, Stephano filio Bagun de Posega, Aladaro de Forro, Petro et Marco filiis Stephani de genere Chaak, Becca magistro pro se et pro fratribus suis, magistro Dyonisio Aynardi et magistro Benedicto pro se et pro magistro Vgrino magistro tavarnicorum domini regis Ungarie predicti, Ladislao Wernerii comite Budensi, ac venerabili in Christo patre fratre P.[1] archiepiscopo Spalatensi pro Paulo bano Croatorum et Bosne, domino Nicolao postulato ad ecclesiam Jauriensem pro magistro Henrico bano Sclavonie et pro magistro Nicolao, eiusdem magistri Henrici nepote, et Petro archidiacono de Chasma in ecclesia Zagrabiensi pro Stephano, Iuano et Radislao, filiis Bobonich, magnis comitibus Sclavonie, ante altare predictum astantibus. In prefata quoque ecclesia sancte Marie venerabilibus in Christo patribus, M.[2] Agriensi, Abba Vaciensi, P.[3] Quinqueecclesiensi, B.[4] Vesprimiensi, A.[5] Zagrabiensi, B.[6] Cenadiensi, L.[7] Syrmiensi et G.[8] Bosnensi episcopis ac P. Scepusiensi preposito, aliisque prelatis et clericis religiosis et secularibus, ministro Minorum et prioribus Predicatorum et Heremitarum sancti Augustini provincialibus, et eorum ac sancti Benedicti et aliorum ordinum fratribus, nobilibus insuper, civibus et popularibus civitatum, castrorum et villarum atque locorum regni Ungarie in multitudine copiosa presentibus, prefatus dominus C.[9] Ungarie rex in manibus prefati Strigoniensis archiepiscopi et mei notarii infrascripti, librum tenentium, flexis genibus ante altare predictum et coram eodem Strigoniensi archiepiscopo, tactis et osculatis sacrosanctis evangeliis, infrascripta, primo litteraliter lecta, deinde in Un-

1 Petro.
2 Martino.
3 Petro.
4 Benedicto.
5 Augustino.
6 Benedicto.
7 Ladislao.
8 Gregorio.
9 Carolus.

garico exposita per sepedictum Strigoniensem archiepiscopum inviolabiliter servare iuravit. Videlicet: Deo subdi. Legi eius obsequi. Fidem catholicam, quam universalis Romana mater ecclesia predicat et docet, tenere, eandem ecclesiam Romanam et prefatam sancte Marie et sancti Adalberti ceterasque ecclesias, in ditione sibi credita constitutas, et earum episcopos et prelatos cum omnibus illis legitime subiectis, et ex Deo sibi creditos, secundum Deum commendare, honorare et defendere. Papam Romanum et legatos ipsius ecclesie Romane non impugnare, sed potius defendere, eiusque ecclesie Romane iura non ledere, nec terras ad ipsam pertinentes, vel statuta seu ordinamenta ipsius in eisdem terris scienter violare. Regnum sibi commissum et iura regalia non minuere nec alienare, sed potius augere et male alienata hactenus, secundum datam sibi gratiam, ad ius pristinum revocare. Nobiles regni sui Ungarie in approbato et antiquo iure servare, atque a tyrampnorum oppressione eripere. Legitimo coniugio tantum uti et contentum esse, dicente scriptura: Relinquet vir patrem et matrem suam, et adherebit uxori sue, et erunt duo in carne una; et quod Deus coniunxit, homo non separet. Populo Dei sibi ex Dei providentia commendato prodesse et non obesse, et neminem ex eis sine iusti legitimique iudicii examinatione condempnare et de terra delere; delectatus psalmiste voce dicentis: Beati, qui custodiunt iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore. Promittens, spondens atque pollicens coram Deo, beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, beato Adalberto martyre, atque pontifice et omnibus sanctis, prelatis, baronibus, nobilibus, religiosis et aliis supradictis, omnia predicta et singula firmiter et inviolabiliter observare, in quantum divino fultus adiutorio fuerit, secundum scire suum et posse. Super quibus tam barones predicti presentes ibidem, quam alii prenominati nomine et pro parte absentium predictorum, a sepefato Strigoniensi archiepiscopo singulariter requisiti, tactis eisdem sacrosanctis evangeliis, eadem omnia et singula sub iuramento firmantes, ipsumque dominum C.[1] recognoscentes in verum et legitimum regem Ungarie, ac suum et dicti regni dominum naturalem, ipsi regi in sepedicti Strigoniensis archiepiscopi et mei predicti notarii manibus, ut predicitur, librum tenentium, prestiterunt debite fidelitatis homagium et solitum Ungarie regi ab eiusdem regni baronibus iuramentum.

Et ego Guillelmus de Sanguineto, apostolica et imperiali auctoritate notarius publicus, predictis omnibus presens interfui, ipsaque de mandato et auctoritate prefati domini legati scripsi et publicavi, meoque signo consueto

1 Carolum.

signavi, et quod supra in triccsima linea, ubi legitur: *commendato*, abrasum est et correctum, propria manu feci. Et ad maiorem predictorum roboris firmitatem et memoriam futurorum supradictus dominus legatus presens instrumentum publicum fecit sigillo proprio roborari.

(Signum notarii.)

A tergo manu coæva: Qualiter dominus Gentilis presbyter cardinalis dominum Karolum regem Ungarie coronavit, presentibus Strigoniensi archiepiscopo et pluribus aliis prelatis in ecclesia beate Marie de Castro Budensi, Vesprimiensis dyocesis. Anno MCCCIX. XV. die Junii.

Orig. in membrana, sigillum Gentilis, ceræ rubræ impressum, filo cannabis pendens, adest.

LXVI.

1309. 25. Junii—24. Decembris. Budæ, Tyrnaviæ, Posonii.

Causa vertens coram cardinale Gentili inter Angelum de Narnia archidiaconum Nitriensem et Ladislaum episcopum Syrmiensem super quibusdam debitis.

(Arch. Vat. Papi Avignonesi. Vol. I. fol. 63—83.)

(Citatio.)

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo nono, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto, die Mercurii, XXV. mensis Junii, VII. indictionis, apud Budam, Vesprimiensis diocesis. Retulit Zuccha serviens et nuncius iuratus curie reverendi patris domini Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, viro venerabili, domino Phylippo de Sardinea canonico Arborensi, decretorum doctori, capellano eiusdem domini legati, ac curie sue generali auditori causarum, et michi Angelo de sancta Victoria, actorum notario eiusdem curie, se citasse peremptorie de mandato dicti domini auditoris heri venerabilem in Christo patrem dominum L.[1] episcopum Sirmiensem apud hospitium suum, ubi consuevit morari in Buda, quod hodie vel per se, vel per procuratorem ydoneum veniret coram ipso domino auditore, responsurus de iure Cambio magistri Petri de Narnia, procuratori discreti viri domini Angeli Pauli de Narnia, archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi, super certa quantitate pecunie et rebus aliis. Alioquin contra ipsum procederetur iustitia mediante, ipsius domini episcopi absentia non obstante.

1 Ladislaum.

(Exhibitio procurationis cum presentatione et accusatione contumacie.)

Eodem die Cambius procurator predictus comparuit coram dicto domino auditore, producens instrumentum sue procurationis ad faciendum fidem de ipso, et accusans contumaciam dicti domini episcopi, petendo contra eum procedi, ut postulat ordo iuris, cuius instrumenti tenor talis est:

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate millesimo trecentesimo nono, tempore domini Clementis pape V., mense Aprelis die XXV. intrante, indictione septima. In presentia mei notarii et testium subscriptorum dominus Angelus Pauli de Narnia, archidiaconus Nitriensis in ecclesia Strigoniensi, capellanus venerabilis patris domini N. Dei gratia sancti Adriani diaconi cardinalis, sponte fecit, constituit, creavit et ordinavit magistrum Cambium Petri de Narnia, presentem et recipientem, suum verum et legitimum vicarium, procuratorem, actorem et nuncium specialem ad representandum se pro eo et eius nomine coram venerabili patre et domino domino T.[1] archiepiscopo Strigoniensi, ad excusandum ipsum dominum Angelum archidiaconum, et excusam ipsius proponendum coram dicto domino archiepiscopo, qualiter ipse dominus Angelus accedere non potest ad dictum suum archidiaconatum propter suam infirmitatem et debilitatem, et ad tenendum ipsum archidiaconatum et iura et iurisdictiones ipsius archidiaconatus, et ad locandum, dandum et concedendum ad firmam alicui probo viro omnes fructus, redditus et obventiones dicti sui archidiaconatus et prebende sue Strigoniensis pro eo tempore, quo videbitur predicto vicario et procuratori suo pro ea quantitate pecunie, de qua convenerit cum conductore seu conductoribus, et ad committendum conductori seu conductoribus plenam et liberam administrationem ipsius archidiaconatus et prebende, tam in spiritualibus, quam in temporalibus per tempus, quo ipsa locatio durabit, et ad petendum et recipiendum per se vel alium fructus, redditus et proventus et obventiones archidiaconatus et prebende predictorum, specialiter a venerabili patre et domino domino L.[2] episcopo Syrmiense, condam vicario suo in dicto archidiaconatu, et a quocumque seu quibuscunque personis dicto Cambio procuratori videbitur et placebit, et ad faciendum ei vel eis et omnibus aliis finem et refutationem et pactum de ulterius non petendo de hiis, que recipiet, et ad recipiendum a conductore seu conductoribus, qui huiusmodi fructus, redditus et proventus conducent, vel a procuratoribus eorum vel a quibuscunque aliis, prout ei

[1] Thoma.
[2] Ladislao.

videbitur expedire, ydoneam cautionem. Item fecit, constituit, creavit et ordinavit eundem magistrum Cambium, presentem et recipientem, suum verum et legitimum procuratorem, actorem et nuncium specialem in causa seu causis, quam vel quas habet vel posset habere, in quacunque curia seu curiis ecclesiasticis vel secularibus cuiuscunque loci et terre. Specialiter cum conductoribus fructuum et reddituum dicti archidiaconatus et prebende, et generaliter cum quacunque seu quibuscunque personis, collegio seu universitate, quibuscunque causis, in agendo et defendendo, ad agendum, petendum et defendendum, libellum dandum et recipiendum, excipiendum, replicandum, litem contestandum, de calumpnia seu de veritate dicendum, et iurandum in anima ipsius domini Angeli, archidiaconi predicti, et ad prestandum cuiuslibet alterius generis iuramentum, testes et articulos producendum, suos testes et partis adverse iurare et publicare videndum; instrumenta, defensiones, acta et iura ipsius domini Angeli archidiaconi producendum, ostendendum et allegandum, et partis adverse impugnandum, contradicendum et reprobandum, et ad appellandum, si opus fuerit, et appellationem prosequendum; et ad alium procuratorem unum vel plures substituendum, causam seu causas resumendum, et ad petendum restitutionem in integrum. Et generaliter ad omnia alia et singula faciendum et exercendum, que in predictis et singulis et emergentibus ex predictis fuerint oportuna, et causarum natura exiget et requiret. Et volens ipsum procuratorem et substituendum ab eo relevare ab omni onere satisdationis, promisit et fideiussit apud me notarium subscriptum, presentem et stipulantem pro omnibus personis, quarum interest vel interesse poterit, de iudicio sisti et de iudicato solvendo sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum. Renuncians beneficio nove constitutionis de fideiussionibus et omni alii legum auxilio. Ratum, gratum et firmum habiturus, quicquid dictus procurator et substituendus ab eo duxerit faciendum, sub ypotheca bonorum suorum presentium et futurorum. Concedens eidem Cambio vicario et procuratori plenam et liberam administrationem in omnibus et singulis supradictis. Actum Narnie, in camera dicti domini Angeli, coram hiis testibus, dompno Petro Johannis canonico maioris ecclesie Narniensis, Laurentio Jannis clerico sancte Elene, dompno Paulo presbytero sancti Martini, Jacobello Rapizelli clerico, huius rei rogati sunt testes.

Ego Nicolaus Simutii Luce, imperialii auctoritate publicus notarius, predictis interfui, rogatus a dicto domino Angelo archidiacono supradicto predictis interfui, rogatus scribere, scripsi et publicavi.

(Excusatio rei per nuncium.)

Die supradicto Mercurii, XXV. dicti mensis Junii, comparuit coram dicto domino auditore Riccardus presbyter, capellanus dicti domini episcopi Sirmiensis, asserens se procuratorem dicti episcopi, paratum de iure respondere dicto Cambio; et quia petebatur per dictum Cambium fidem fieri in iudicio de procuratorio dicti Riccardi, ipseque Riccardus asserebat procuratorium ipsum non habere in promptu, dictus dominus auditor assignavit terminum ipsi Riccardo ad comparendum coram eo cum sufficienti mandato, et alias ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad cras in vesperis; alioquin procedetur in ea mediante iustitia, dicti episcopi absentia non obstante.

(Substitutio procuratoris actoris et terminus ad recipiendam copiam procuratorii.)

Die Jovis, XXVI. dicti mensis, comparentibus dicto Cambio procuratore, ex parte una, et venerabili in Christo patre domino L.[1] episcopo Sirmiense supradicto, ex altera, in iudicio coram dicto domino auditore, dictus Cambius procurator ante omnia substituit magistrum Phylippum de Cingulo, presentem et recipientem, apud acta ad omnia, que habet dictus Cambius in mandatis, transferens in eum totaliter vices suas. Deinde quia dictus dominus episcopus petebat procuratorii dicti Cambii copiam sibi dari, si vellet aliquid obicere contra ipsum, dictus dominus auditor mandavit dictam copiam sibi fieri. Assignans terminum ipsi domino episcopo ad recipiendum dictam copiam, et ad dicendum, quicquid voluerit, contra ipsum, et tam ipsi domino episcopo, quam predicto magistro Phylippo substituto procuratori ad comparendum coram eo et procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Sabati proxime futurum in vesperis et peremptorie.

(Oblatio libelli.)

Die Sabati, XXVIII. dicti mensis Junii in vesperis, constitutis coram dicto domino auditore in iudicio magistro Phylippo de Cingulo procuratore substituto a dicto magistro Cambio procuratore dicti domini Angeli, ex parte una, et venerabili in Christo patre domino L.[2] episcopo Sirmiense predicto, ex altera, idem magister Phylippus exhibuit dicto nomine in scriptis dicto domino Phylippo auditori contra dictum episcopum libellum infrascripti tenoris, qui talis est:

---

[1] Ladislao.
[2] Ladislao.

(Libellus.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo de Sardinea auditore domini legati etc. proponit et agit Phylippus de Cingulo procurator substitutus a Cambio procuratore venerabilis viri domini Angeli de Narnia archidiaconis Nitriensis in ecclesia Strigoniensi, contra venerabilem patrem dominum Ladislavum nunc episcopum Sirmiensem, olim archidiaconum Borsiensem in eadem in ecclesia Strigoniensi, et legitimam personam in iudicio intervenientem pro eodem domino Ladislavo, dicens, quod ipse dominus Ladislavus olim a magistro Nicolao de Interampne procuratore legitimo dicti domini Angeli ad firmam sive sub censu annuo recepit omnes fructus, redditus et proventus dicti archidiaconatus Nitriensis, colligendos, percipiendos et distribuendos per se vel alium seu alios, ac in suos usus proprios convertendos ex tunc ad sex annos tunc proxime subsequentes; et pro huiusmodi fructibus, redditibus et locatione ac firma, idem dominus Ladislaus per se suosque heredes promisit et convenit eidem magistro Nicolao, procuratorio nomine ac vice eiusdem domini A.,[1] recipienti ac stipulanti, dare et solvere singulis annis dictorum sex annorum sibi, existenti in regni Ungarie, in festo resurrectionis dominice decem marcas argenti, octo soldis Venetorum grossorum pro qualibet marca computatis. Quod si idem magister Nicolaus procurator de eodem regno se absentaret, promisit ipsi magistro Nicolao, legitime stipulanti nomine dicti domini Angeli, solvere singulis annis dictorum sex annorum in dicto festo dictas decem marcas Padue mercatoribus de societate Frescobaldorum de Florentia, Padue commorantibus, certis conditionibus et modis; et ea omnia attendere et observare promisit; et contra ea non facere vel venire, sub pena quadraginta marcarum argenti, et obligatione suorum bonorum. Juravit etiam predictus dominus Ladislavus, predicta omnia et singula attendere et observare, et contra ea non facere vel venire, per se vel alium, seu alios, aliqua ratione vel causa, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Quare cum idem dominus Ladislavus de huiusmodi firma sive censu sex annorum iam preteritorum non solverit seu satisfecerit, ut promisit, nisi septem marcas argenti, petit idem Phylippus procurator substitutus, ipsum dominum Ladislavum ad dandum et solvendum sibi, nomine quo supra, quinquaginta tres marcas argenti pro sex annis predicte locationis, et ad penam predictam quadraginta marcarum, quam incurrit, veniendo contra

[1] Angeli.

pacta et promissiones ipsius, per Vos, domine auditor, cogi et compelli, ac sibi sententialiter condempnari cum refectione dampnorum et expensarum ac interesse, que et quas substinuerint in iudicio et extra propter defectum solutionis dicte firme et census. Petit insuper dictum dominum Ladislavum periurum publice nunciari, quia non observavit, nec observat, que per suum iuramentum promisit. Predicta petit procurator predictus fieri per Vos, dominum auditorem, omni iure, modo et forma, quibus melius potest. Salvo sibi iure addendi, mutandi et minuendi, usque ad litis contestationem.

(Terminus ad proponendum exceptiones.)

Quo oblato libello, statim data est copia de eodem dicto domino episcopo, et assignatus est ei terminus per dictum dominum auditorem ad diem Mercurii proxime futurum peremptorie, ad proponendas omnes suas exceptiones dilatorias et declinatorias iudicii, si quas habet, et alias ad respondendum dicto libello, nisi aliud rationabile proponatur.

(Pro episcopo.)

Item eodem die et in eodem iudicio dictus dominus Ladislavus episcopus interrogavit Cambium predictum, principalem procuratorem dicti domini Angeli, si ipse Cambius olim fuerit apud ipsum episcopum pro petendo dictam pecuniam procuratorio nomine dicti domini Angeli, et si habuit tunc instrumentum procurationis: — respondit dictus Cambius et dixit, quod sic, tamen nichil ab eo recepit.

(Pro actore.)

Item eodem die et in eodem iudicio dixit et confessus est dictus dominus episcopus ad interrogationem dicti magistri Phylippi, quod post-quam ipse fuit episcopus Sirmiensis, administrationem et procurationem dicti archidiaconatus Nitriensis commisit . . .[1] episcopo Nitriensi, ut procuraret et reciperet bona et redditus dicti archidiaconatus, et deinde responderet ipsi domino Ladislavo de eis. Et sic fecit dictus dominus episcopus Nitriensis, quoniam assignavit sibi episcopo domino Ladislavo ea, que inde procuraverat et receperat.

1 Johanni.

(Exhibitio exceptionum rei.)

Die Mercurii, II. mensis Julii, dicte septime indictionis, comparentibus dicto domino episcopo ex parte una, et dicto magistro Phylippo ex altera in iudicio coram dicto domino auditore, idem dominus episcopus proposuit et dedit in scriptis exceptiones infrascriptas contra dictum libellum et offerentem eum, quarum exceptionum tenor talis est:

(Exceptiones.)

Coram Vobis, domino Phylippo auditore domini legati, etc. excipiendo proponit et dicit dominus Ladislavus episcopus Sirmiensis contra dominum Angelum archidiaconum Nitriensem vel quamcunque aliam personam legitimam intervenientem pro eo, quod cum ipse non pro suis negotiis vel factis propriis, sed pro communi utilitate regni Ungarie tantum advenerit in curiam domini sui legati cum aliis prelatis eiusdem regni, et penitus sine copia instrumentorum, iurium et munimentorum suorum, que propter desolationem et spolia villarum suarum, et confractiones sive incendia ecclesiarum, que fecit Stephanus rex Servie in tota provincia Sirmiensi, privilegia sua et ecclesie sue, ac alia bona ecclesie sue et sua, inter que etiam iura sua et instrumenta super presenti negotio, absconderit et deportari fecerit in remotum locum tutum, quod sine ipso et in brevi tempore rehaberi non potest, petit, ut velitis ei dare tantum terminum, quod predicta instrumenta possit rehabere et in causa legitime procedere, prout de iure erit procedendum.

Item dicit etiam excipiendo, quod cum in regno Ungarie non secundum iura civilia vel canonica in causis procedatur, sed secundum consuetudinem regni et statuta, et ideo copia advocatorum in regno non existat, nec possit habere de facili advocatum idoneum, et si forte aliquem posset habere de curia, habet suspectum propter societatem et familiaritatem continuam, petit instanter, ut tantum terminum et dilationem ei detis, infra quem possit querere advocatum, et etiam fidelem procuratorem et sufficienter instructum, cui natura negotii plene constet, cum sufficienti procuratorio constituat.

(Terminus rei ad conducendum advocatum.)

Quibus exceptionibus oblatis et exhibitis, ut est dictum, dictus dominus auditor primam predictam exceptionem non admisit, cum contineatur expresse in instrumento debiti, dictum dominum episcopum renunciasse ipsi exceptioni revocandi domum. Secundam autem exceptionem admisit,

assignans terminum eidem domino episcopo, ad conducendum advocatum et comparendum, cum eo processurus in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Lune proxime futurum.

(Protestatio actoris.)

Eodem die et in eodem iudicio dictus magister Phylippus, nomine quo supra, protestatus est, dicens, quod cum dictus dominus episcopus olim obligaverit se pro dicto debito de non petendo libellum, nec opponere exceptiones contra instrumentum dicti debiti, et ad hec obligaverit se per vinculum iuramenti, et hiis non obstantibus, petiverit et receperit libellum predictum, et exceptiones opposuerit, veniendo contra suum proprium iuramentum, sibi dicto nomine non preiudicet dicta libelli oblatio et processus exinde subsecutus, et qui sequi posset, quin possit agere contra dictum episcopum ad penam quadraginta marcarum, iam commissam, veniendo contra promissionem suam predictam, et totiens quotiens eam committi contigerit.

(Contestatio litis.)

Die Lune, VII. mensis Julii, predicte indictionis, comparentibus dicto domino episcopo ex parte una, et dicto magistro Phylippo, nomine quo supra, ex altera, in iudicio coram dicto domino auditore animo contestandi litem, lectoque libello in audientia coram ipsis, dictus dominus episcopus dixit narrata, prout narrantur in dicto libello, vera non esse, et petita fieri non debere. Dixit etiam dictus dominus episcopus, se satisfecisse et solvisse ...[1] procuratori dicti domini Angeli dictas sexaginta marcas, promissas per eum pro dicta annua pensione pro sex annis, ut in dicto libello continetur, dicto magistro Phylippo contrarium asserente.

(Juramentum calumpnie.)

Et statim tam per dictum procuratorem, tactis corporaliter, et dictum dominum episcopum, appositis manibus sed non tactis sacrosanctis evangeliis, prestitum est in dicta causa calumpnie sacramentum sollempne.

(Terminus ad ponendum.)

Quibus, domino episcopo et magistro Phylippo, nomine quo supra, in continenti dictus dominus auditor assignavit terminum ad ponendum et

1 Cambio de Narnia.

respondendum hinc inde, et alias ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Mercurii proxime futurum in vesperis et peremptorie.

(Prorogatio termini.)

Die Mercurii, VIIII. dicti mensis, dictus dominus auditor prorogavit ex causa dictum terminum in eisdem finibus ad cras ante tertiam, presentibus Riccardo capellano et excusatore dicti domini episcopi, et Cambio principali procuratore domini Angeli supradicti, prorogationem huiusmodi non petente.

(Exhibitio positionum hinc inde.)

Die Jovis, X. dicti mensis Julii, ante tertiam, comparentibus predictis domino episcopo ex parte una, et dicto magistro Phylippo, procuratorio nomine quo supra, ex altera, in iudicio coram dicto domino auditore, quilibet ipsorum exhibuit positiones suas infrascriptas, et prestitis iuramentis hinc inde de veritate dicenda, responderunt ad ipsas, prout in fine cuiuslibet ipsarum continetur. Verum super prima et tertia positionibus dicti domini episcopi, quia petebatur pro parte dicti magistri Phylippi declarari tempus in ipsis, dictus dominus auditor assignavit terminum dicto domino episcopo ad huiusmodi declarationem faciendam ad cras in vesperis, et alias quilibet veniat ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, in eisdem vesperis. Tenor positionum dicti magistri Phylippi talis est:

(Positiones actoris.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo de Sardinia canonico Arborensi, auditore domini fratris Gentilis cardinalis, apostolice sedis legati, Phylippus de Cingulo procurator substitutus a Cambio procuratore venerabilis viri domini Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi, in causa, quam habet cum venerabili patre domino Ladislao olim archidiacono Borsiensi in eadem ecclesia Strigoniensi, nunc episcopo Sirmiensi, positiones dat et exhibet infrascriptas:

In primis ponit idem Phylippus procurator, quod anno Domini millesimo CCCII., indictione XV., die XX. mensis Februarii, apud castrum Posonii, existente inibi in eodem castro bone memorie domino Nicolao Ostiensi, tunc apostolice sedis legato, magister Nicolaus de Interampne notarius et familiaris eiusdem domini Nicolai, ac procurator legitimus supradicti domini Angeli archidiaconi Nitriensis, nomine ac vice ipsius magistri Angeli, dedit, locavit et concessit ad firmam supradicto domino

Ladislao omnes fructus, redditus et proventus predicti archidiaconatus Nitriensis, ad ipsum magistrum Angelum pertinentes, tenendos, recolligendos ac percipiendos per se, vel alium seu alios, et in suos usus convertendos deinde ad sex annos tunc proxime subsequentes, incipiendos XII. die mensis Aprilis tunc proxime futuri.

— Credit de locatione predicta, et de loco, sed de tempore non recordatur.

Item ponit, quod idem dominus Ladislaus placide et voluntarie, receptis dictis locatione, datione et concessione firme dictorum fructuum dicti archidiaconatus, per solennem stipulationem promisit et convenit eidem magistro Nicolao, vice et nomine dicti magistri Angeli recipienti, dare et solvere singulis annis dictorum sex annorum pro firma et locatione ac concessione fructuum dicti archidiaconatus decem marcas argenti, octo soldis Venetorum grossorum argenti pro marca qualibet computatis.

— Confitetur.

Item quod promisit et convenit, dictam solutionem decem marcarum argenti singulis dictorum sex annorum facere in festo resurrectionis dominice sibi magistro Nicolao, dum idem dominus Nicolaus legatus staret in regno Ungarie, ubicunque ipse in dicto regno staret cum eodem domino legato; et quod si ipse se de dicto regno absentaret, dictas decem marcas singulis annis dictorum sex annorum, in quibus solutio ipsa facta non esset, dare et solvere promisit mercatoribus de societate Flescobaldorum de Florentia, Padue commorantibus, in predicto festo resurrectionis dominice persolvendas, postmodum eidem magistro Angelo in curia Romana.

— Confitetur.

Item quod idem dominus Ladislaus promisit et convenit eidem magistro Nicolao procuratori, nomine quo supra, procurare et studere, quod facta per ipsum solutione aliqua dictarum decem marcarum predictis mercatoribus, ipsi mercatores eidem magistro Angelo ac ipsorum sociis, in Romana curia commorantibus, per ipsorum litteras statim notificarent, quomodo ipsi pro eodem magistro Angelo ab ipso domino Ladislao tantam pecuniam, quanta sibi per ipsum solveretur, receperunt, ad hoc ut ipsa pecunia eidem magistro Angelo vel alteri de suo mandato in Romana curia solveretur.

— Credit.

Item quod idem magister Nicolaus, procuratorio nomine quo supra, promisit et convenit prefato domino Ladislao, dictam locationem et concessionem sibi infra dictum tempus sex annorum non auferre, nec accipere, seu alteri dare vel locare, seu ipsos fructus, redditus et proventus alteri infra dictum tempus vendere seu concedere; sed quod ipse dominus Ladislaus de ipsis per totum tempus dictorum sex annorum posset, quomodocunque et quibuscunque sibi placeret, dare, vendere, concedere vel locare.

— Credit.

Item quod predicti, dominus Ladislaus eidem magistro Nicolao procuratori, ac ipse magister Nicolaus eidem domino Ladislao, vicissim unus alteri promiserunt solenniter, predicta omnia et singula attendere et observare, et contra ea non facere vel venire, sub pena XL. marcarum argenti, in singulis capitulis dicti contractus promissa.

— Non recordatur, nec credit de pena, alia confitetur, prout superius in aliis positionibus est confessus.

Item quod de predictis locatione, conventione et aliis pactis et promissionibus, habitis inter ipsos dominum Ladislaum et magistrum Nicolaum procuratorem, magister Johannes condam domini Fredoli de Regio publicus notarius, qui tunc stabat cum supradicto domino Nicolao legato, rogatus fuit facere, et fecit publica documenta, unum pro eodem magistro Angelo, et aliud simile pro ipso domino Ladislao de ipsis locatione et promissionibus.

— Non credit se rogasse aliquem notarium, sed credit rogatum fuisse per dictum magistrum Nicolaum.

Item quod ipse dominus Ladislaus unum de ipsis instrumentis publicum habuit penes se.

— Negat.

Item quod ipse dominus Ladislaus dictum archidiaconatum habuit, tenuit et possedit per se et alium per dictum tempus sex annorum et ultra.

— Confitetur de tempore dictorum sex annorum, sed ultra negat.

Item quod de predictis fuit et est publica vox et fama.

— Credit de confessatis, et de negatis negat.

Item ponit procurator predictus, quod idem dominus Ladislaus cessavit aliquam solutionem facere predicto magistro Nicolao procuratori ac predictis mercatoribus de societate Frescobaldorum in Padua, secundum quod promisit; sed eidem magistro Angelo de predicta locatione transmisit triginta duos soldos Venetorum grossorum et octo florenos, sive ducatus aureos.

— Negat se cessasse mittere dictis mercatoribus dictam pecuniam, sed misit eis viginti duas marcas pro dicto magistro Angelo per quendam nuncium suum, qui fuit spoliatus et occisus in via, ita quod non pervenit ad manus ipsorum mercatorum; et confitetur misisse dicto magistro Angelo dictos XXXII. soldos et octo florenos aureos.

Item quod idem dominus Ladislaus persolvit et dedit de pensione et pecunia dicte locationis Cambio nuncio eiusdem magistri Angeli tantummodo novem solvos Rexanorum argenteorum pro una marca.

— Confitetur, quod semel dedit sibi unam marcam de Raxanis, et alias etiam dedit sibi alias marcas, videlicet quadraginta novem.

Item quod triginta duo soldi Venetorum grossorum et octo floreni valent tantummodo sex marcas.

— Credit.

Item quod dictus dominus Ladislaus vel alius, eius nomine, inter omnes dictos sex annos predicte locationis habuit et recepit de fructibus supradicti archidiaconatus Nitriensis sibi locatis sexaginta marcas argenti, seu valorem ipsarum, et satis ultra dictas sexaginta marcas, computatis octo soldis Venetorum grossorum pro qualibet marca.

— Credit de decem marcis per annum, sed ultra non credit, sed credit, quod procurator suus ultra receperit.

Item ponit et, si negatur, probare intendit idem Phylippus procurator, nomine quo supra, ad reprobationem dicti eiusdem domini Ladislai et confessionis ipsius de eo, quod dixit se persolvisse eidem domino Angelo omnes sexaginta marcas de dicta locatione, quod anno Domini MCCCVII. de mense Octobris, dum Cambius nuncius predicti magistri Angeli staret pluribus diebus in domibus et hospitio proprio ipsius domini Ladislai apud Banum Monasterium,[1] fuit in dicto hospitio litteris, cartis et instrumentis

[1] Hungarice: Bánmonostra.

locationis dicte firme, procurationis ipsius Cambii, et aliis litteris omnibus, que secum habebat, spoliatus de nocte et furtive, et illis instrumentis, litteris et cartis omnibus caruit post festum omnium sanctorum et ante festum beati Martini in dicto hospitio; et quod de perditione et subtractione ipsorum instrumentorum conquestus fuit eidem episcopo pluribus vicibus.

— Confitetur, quod dictus Cambius fuit sibi conquestus, quod perdidisset quasdam litteras excusatorias, que dicebantur dirigi domino archiepiscopo Strigoniensi, sed quo tempore fuerit, non recordatur, de aliis litteris vel instrumentis negat.

Item quod ipse Cambius sine aliquo instrumento, littera et carta ab eodem domino L.[1] et eius hospitio solus recedens post festum beati Martini de mense Novembri ipsius anni, habuit recursum de predicta subtractione et perditione instrumentorum, litterarum et cartarum ad dominum archiepiscopum Colocensem; et idem dominus archiepiscopus audiens querelam eiusdem Cambii, et videns ipsum extraneum et sine aliquibus litteris et instrumentis, fecit eundem dominum Ladislaum apud Sanctum Demetrium ad eius presentiam evocari propter predicta, et ipse dominus Ladislaus coram eodem archiepiscopo tunc comparuit.

— Non credit, quod recesserit sine litteris, sed credit, quod habuerit recursum ad dictum dominum archiepiscopum, et negat se fuisse ob hoc coram ipso domino archiepiscopo citatum; sed dixit se alia de causa ad presentiam eius ivisse; et confitetur dictum Cambium conquestum fuisse de perditione instrumentorum coram ipso domino archiepiscopo.

Item quod ipse Cambius, tanquam nuncius dicti magistri Angeli, spoliatus dictis instrumentis, litteris et cartis, coram eodem archiepiscopo ab eodem domino Ladislao petiit dicta instrumenta et litteras, ac petiit sibi exhiberi solutionem supradicte firme.

— Confitetur dictum Cambium petivisse ab eo pecuniam debitam pro dicta firma; de litteris autem et instrumentis non recordatur; et ipse respondit, quod intendebat solvere, quam citius posset.

Item quod ipse dominus Ladislaus dixit et confessus fuit, se illa instrumenta non habuisse, nec scivisse illum, qui ea haberet vel accepisset.

— Confitetur.

[1] Ladislao.

Item quod ipse dominus Ladislaus dicebat, quod cum ipse propter guerras et alia impedimenta non potuerit omnes fructus et proventus supradicti archidiaconatus Nitriensis recolligere et habere, non poterat promissam totam pecuniam eidem domino A.[1] per eum persolvere, sed illud, quod habuerat, paratus erat solvere.

— Confitetur, quod una vice, quando dictus Cambius venit ad eum, dixit sibi predicta verba, sed alia vice solvit sibi totam pecuniam debitam.

Item quod post predicta dictus Cambius ab eisdem archiepiscopo et domino Ladislao se absentavit et recessit; et continue postea ab eis, et specialiter a dicto domino Ladislao, fuit absens usque in proxime preteritum mensem Junii; quia ipse Cambius veniens Budam de dicto mense Junii, invenit ibidem dictum dominum Ladislaum.

— Negat, immo dixit, quod pluries postea fuit apud eum.

Item quod pluries de dicto mense Junii idem dominus Ladislaus, requisitus ab eodem Cambio, tanquam procuratore prefati domini Angeli, et pro parte ipsius, quod solveret residuum dicte firme et locationis, idem dominus Ladislaus dicebat et confessus fuit, se velle solvere id, quod perceperat et habuerat, sed totum promissum per eum fictum non poterat, quia non potuerat omnes fructus dicti archidiaconatus recolligere et habere propter guerras et alia impedimenta.

— Negat expresse.

Item quod ipse dominus Ladislaus pluries coram domino fratre Gentile legato domini pape et apostolice sedis in regno Ungarie, de presenti anno, nulla nominata per ipsum dominum L.[2] quietatione generali, de dicta pensione dixit et confessus fuit, se velle solvere procuratori dicti magistri Angeli id, quod habebat et recollegerat de predictis fructibus et proventibus dicti archidiaconatus Nitriensis, sed ad totum non poterat, quia totum recolligere non potuerat propter guerras et alia impedimenta.

— Negat.

Item quod de dicto mense Junii, in castro Budensi, in hospitio Colmi, ubi tunc idem dominus Ladislaus morabatur, dixit et confessus fuit, se teneri velle dare eidem Cambio procuratori dicti magistri Angeli, vel

[1] Angelo.
[2] Ladislaum.

alteri pro eodem domino Angelo legitimo procuratori decem et octo marcas in una parte, et duodecim in alia parte, de pensione et fructibus supradictis, et dare obligationem, quam habebat contra quendam presbyterum de sex marcis, et se ad predictam pecuniam dandam, et dictam obligationem cedendam dicto procuratori teneri; addens, quod ultra dare non posset, si excommunicaretur, quia ultra non recepit de dicto archidiaconatu, sed predicta tantum; et postquam ultra non habuerat, ultra ad animam suam non esset obligatus vel ligatus.

— Negat.

Item quod in dicto hospitio et eodem tempore dixit et confessus fuit, quod ipse dominus Ladislaus hoc anno in quadragesima miserat per quendam presbyterum decem et octo marcas Paduam de dicta pensione, ad solvendum eas nomine predicti magistri Angeli mercatoribus supradictis, et quod idem presbyter nondum erat reversus.

— Negat.

Item quod de predictis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama apud dictum dominum Ladislaum et suam familiam, et apud multos prelatos et clericos de Ungaria et alios plures.

— Confitetur de confessis, et de negatis negat.

Predicta dicit et dat ad presens procurator predictus, salvis sibi aliis, ac protestatur, quod liceat sibi iterato, semel et pluries, ante terminum et post, alias positiones, interrogationes et articulos dare et exhibere; et protestatur, quod si qua dicit et ponit, que contra ipsum et partem suam faciant, illa ex nunc revocat et tollit, et ab ipsorum usu desistit, non astringens se ad predicta omnia probanda, nisi ad illa tantum, que probari possunt, et probata sibi sufficiant.

Tenor autem positionum dicti domini episcopi talis est:

(Positiones episcopi.)

Ponit Ladislaus episcopus Sirmiensis, quod magister Cambio clericus Petri de Narnia venit ad ecclesiam sancti Yrinei, ubi episcopus Syrmiensis consuevit immorari, et exhibuit quoddam instrumentum publicum, per quod apparebat, quod magister Angelus de Narnia archidiaconus Nitriensis

fecerat eum procuratorem suum ad recipiendum pecuniam a dicto L.[1] episcopo Syrmiensi, quam idem episcopus debuisset solvere dicto magistro Angelo de fructibus sive redditibus archidiaconatus Nitriensis; quo quidem instrumento perlato coram canonicis eiusdem ecclesie sancti Yrinei et aliis probis viris, idem episcopus respondit, quod paratus erat satisfacere, si dictus Cambius vellet facere aliquam moram cum eo ad expensas episcopi; qui respondit, quod libenter remaneret; et instrumentum predictum sive procuratorium in presentia predictorum canonicorum et aliorum proborum virorum eidem Cambio est per manus episcopi restitutum.

Item ponit, quod aliquibus diebus elapsis, dictus Cambius venit cum quodam socio suo, qui cum eodem continue morabatur, in civitatem de Ku, que alio modo Monasterium Bani nominatur, et ibi coram canonicis ecclesie sancti Stephani prothomartyris ad petitionem episcopi predictum procuratorium exhibuit, cuius tenor de verbo ad verbum transcriptus extitit per canonicos memoratos, in quorum presentia a dicto episcopo petiit unam marcam sibi dari dictus Cambio pro lineis vestibus comparandis et quibusdam expensis necessariis faciendis, quam in continenti coram eisdem canonicis et aliis probis viris idem episcopus eidem Cambio assignavit.

— Confitetur recepisse soldos novem grossorum Rassianorum non ipso die, contento in dicta positione, sed postquam idem Cambius spoliatus extitit instrumentis.

Item ponit, quod idem Cambio habita predicta una marca, aliquibus diebus elapsis iterum venit ad villam Sancti Yrenei, ubi idem Ladislaus episcopus Sirmiensis dedit, numeravit et solvit dicto magistro Cambio nomine magistri Angeli archidiaconi Nitriensis recipienti XLVIIII. marcas, scilicet viginti marcas de fino argento et viginti novem marcas in grossis regis Servie, decem soldos grossos ipsius regis Servie pro qualibet marca computando, coram canonicis ecclesie sancti Yrinei et coram aliis probis viris ecclesiasticis et secularibus, ydoneis testibus ad dictam solutionem audiendam et videndam vocatis et rogatis.

Item ponit, quod quatuor marcas, quas dominus Nicolaus episcopus Ostiensis, apostolice sedis legatus, recepit de redditibus archidiaconatus

[1] Ladislao.

Nitriensis, ratione sue procurationis, dictus magister Cambio in rationem dicti magistri Angeli, visis litteris predicti domini legati, recepit et assumpsit.

— Negat.

Item ponit, quod dictus magister Cambio, solutione modo predicto facta et pecunia totali ad manus suas accepta, immediate in eodem loco solutionis fecit finem et quietationem dicto domino episcopo de XLVIIII. marcis, et similiter de quatuor marcis, quas predictus dominus Nicolaus legatus acceperat modo predicto, et prestitit iuramentum in suam animam et dicti magistri Angeli archidiaconi Nitriensis de ulterius non petendo. Insuper in signum solutionis sic facte et quietationis instrumentum obligationis sive locationis coram ydoneis testibus in eodem loco solutionis dicto episcopo idem magister Cambio dedit et restituit, et demum predictum instrumentum locationis idem magister Cambio manu propria incisit ad petitionem episcopi, et sic incisum iterum dicto episcopo dedit et tradidit.

— Negat.

Item ponit, quod solutione predicto modo facta, et instrumento obligationis predicto modo restituto, immediate sine aliquo intervallo predictum magistrum Cambio cum socio suo, quem secum habebat, fecit transduci et conduci ultra aquam Zawa ad villam Sancti Demetri ad petitionem et instantiam predicti magistri Cambio.

— Negat.

Item ponit, quod sequenti die circa horam tertie, cum dictus episcopus transivisset fluvium Zawa iuxta predictam villam sancti Demetri, predictus magister Cambio accedens ad portum, predictum dominum episcopum salutavit, et instrumentum procuratorium eidem episcopo manu propria dedit et assignavit, petendo benedictionem suam, et sic habita benedictione ab eo recessit.

— Negat.

Die Veneris, XI. dicti mensis Julii, eiusdem indictionis, comparentibus predictis domino episcopo ex parte una, et magistro Phylippo, nomine quo supra, ex altera, in iudicio coram dicto domino auditore, quia dictus dominus episcopus non poterat, ut dicebat, declarare tempus in dictis prima et tertia positionibus suis, idem dominus auditor positiones ipsas

non admisit. Sed assignavit terminum tam dicto domino episcopo, quam eidem magistro Phylippo, nomine quo supra, ad cras per totum diem et peremptorie ad articulandum in causa predicta.

(Exhibitio articulorum actoris.)

Die Sabati, XII. dicti mensis Julii, predicte indictionis, constitutus coram domino Phylippo auditore predicto magister Phylippus procurator substitutus predictus, exhibuit et dedit in scriptis in dicta causa articulos infrascriptos, accusans contumaciam partis adverse, et petens in contumaciam ipsius episcopi in dicta causa procedi, ut postulat ordo iuris, quorum articulorum tenor talis est:

(Articuli actoris.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo de Sardinea auditore domini fratris G.[1] apostolice sedis legati in regno Ungarie, Phylippus de Cingulo procurator magistri Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi contra venerabilem patrem dominum Ladislaum olim archidiaconum Borsiensem in ecclesia Strigoniensi predicta, nunc episcopum Sirmiensem, in causa, quam habet cum eo coram Vobis super solutione firme et pensionis dicti archidiaconatus Nitriensis, articulos dat et exhibet infrascriptos ad reprobationem confessionis eiusdem domini Ladislai, quam fecit in iudicio de solutione predicte pensionis et firme:

I. In primis intendit probare et fidem facere idem procurator, quod idem dominus Ladislaus hoc anno pluries in castro Budensi requisitus pro parte eiusdem magistri Angeli, tam coram predicto domino legato, quam alibi in suo hospitio, quod solutionem faceret de fructibus et locatione fructuum dicti archidiaconatus ipsius magistri Angeli, quam facere debebat et tenebatur, ipse dominus Ladislaus confessus fuit et dixit, se omnes fructus et pecuniam, per eum eidem domino Angelo promissam, per eum non posse persolvere, quia propter guerras et mala tempora ac ipsius promotionem ad episcopatum non potuerat totum recolligere, sed illud, quod perceperat, paratus erat solvere; nullam solutionem totalem pretendens vel nominans per se factam fuisse Cambio nunc procuratori eiusdem magistri Angeli, et nulla mentione facta de aliqua generali quietatione de dicto censu et locatione per ipsum Cambium.

1 Gentilis.

II. Item quod cum requireretur et requirebatur de dicta solutione, et petebatur ab eo hoc anno, ipse dominus Ladislaus petebat principale instrumentum locationis, et idem Cambius ac predictus Phylippus procurator dicebant, illud instrumentum et alia instrumenta fuisse olim eidem Cambio subtracta in domibus ipsius domini Ladislai.

III. Item quod idem dominus Ladislaus hoc anno de mense Junii proxime nunc transacti obtulit supradicto Phylippo procuratori, nomine predicti domini Angeli et dicti Cambii sui procuratoris, nunc petenti, se velle solvere et dare debere eidem magistro Angelo vel procuratori suo legitimo XXX. marcas argenti, et dare unam obligationem de sex marcis, quam se dicebat habere contra quendam presbyterum; ad que tantummodo se teneri confessus fuit eidem magistro Angelo, et non ultra; quia ultra dicebat se non recepisse de dicta locatione et archidiaconatu, nullam mentionem faciendo de aliqua solutione vel quietatione, quam pridem asseruit se eidem Cambio et domino Angelo fecisse de dicta pecunia; petendo etiam, quod ipse volebat habere et videre principale instrumentum locationis predicte, ac negando et tacendo, se illud habere et habuisse.

IIII. Item quod cum idem Phylippus semel et alias dictus Cambius pluries diceret eidem domino Ladislao, quod illud instrumentum in suo hospitio dicti domini Ladislai perdidisset, idem episcopus tacebat et tacuit se illud habere, et sibi datum fuisse per dictum Cambium vel alium nomine dicti magistri Angeli.

V. Item quod idem dominus Ladislaus de dicto proximo mense preterito Junii dixit et confessus fuit eidem Phylippo, petenti nomine dicti magistri Angeli et predicti Cambii, nunc procuratoris ipsius, se in proxime preterita quadragesima misisse per quendam presbyterum Paduam mercatoribus de societate Frescobaldorum de Florentia, ibidem commorantibus, XVIII. marcas de pecunia per ipsum debita eidem magistro Angelo pro predicta locatione, sed idem presbyter nondum fuerat reversus; licet ipse dominus Ladislaus diceret, se de pecunia predicta non dubitare propter longam moram ipsius presbyteri, quia de illa erat bene securus, nullam mentionem faciendo de alia quietatione, quam nunc dicit se habere, et solutione pecunie, quam dicit se eidem Cambio fecisse.

VI. Item intendit probare et fidem facere idem Phylippus procurator ad intentionem et confessionem factam per ipsum dominum Ladislaum in iudicio, tam per se, quam per positiones ipsius reprobandas, quod in anno Domini MCCCVII. post festum beati Martini, quod erunt duo

anni in festo beati Martini proxime nunc venturo, quod cum venerabilis in Christo pater dominus . . .[1] archiepiscopus Colocensis ad villam Sancti Demetrii circa Savam accederet, et esset ibidem supradictus Cambius, tunc nuncius supradicti magistri Angeli, spoliatus omnibus litteris et instrumentis, que habuerat, in Bano Monasterio in hospitio dicti domini Ladislai, conquestus fuit eidem domino archiepiscopo de ipso domino Ladislao et eius familia, de spoliatione dictorum instrumentorum et litterarum.

VII. Item quod ipse dominus Ladislaus tunc in presentia dicti domin archiepiscopi et plurium aliorum dixit, quod ipse dominus Ladislaus nesciebat, que instrumenta habuisset, et quis ea sibi abstulisset; sed ipse dominus Ladislaus propter querelam ipsius Cambii fecerat in hospitio et ecclesia sua monitiones, precepta et excommunicationes contra subtractores ipsorum instrumentorum et litterarum, nisi illa redderent; et quod pro ipsis rehabendis non poterat, ut dicebat, aliud plus facere, quia nesciebat habentes ea.

VIII. Item quod idem Cambius eisdem archiepiscopo et domino Ladislao sine litteris et predictis instrumentis vel aliis, ac sine pecunia dicte firme, non data sibi per dictum dominum Ladislaum, de eodem loco Sancti Demetrii recessit pedes, et se ab eis absentavit et ivit Strigonium ad dictum dominum archiepiscopum, et sibi archiepiscopo conquestus fuit de spoliatione supradictorum instrumentorum, et de eo, quod idem dominus Ladislaus pensionem et pecuniam dicte locationis non solverat et solvere cessabat eidem magistro Angelo.

VIIII. Item quod pluries hoc anno, existente domino legato predicto in Buda, idem dominus Ladislaus dixit et confessus fuit, se non persolvisse eidem magistro Angelo vel alteri pro eo ultra XVI. marcas argenti, computando in ipsis VIII. marcas fini argenti, quas dicebat se solvisse eidem domino Nicolao apostolice sedis legato pro procuratione ipsius.

X. Item quod idem dominus Ladislaus et debitor dicti magistri Angeli, et de presenti anno confessus fuit coram domino legato, et alibi in Buda, se esse debitorem ipsius magistri Angelo in eo, quod habuit de dicto archidiaconatu Nitriensi et non ultra.

XI. Item quod de predictis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama.

[1] Vincentius.

Predicta probare intendit procurator predictus tam per testes, quam per litteras et instrumenta testimonialia et omni modo, quibus melius potest, non ad singula se astringens, sed ad ea tantum, que probari poterunt et sibi sufficiant ad victoriam sue cause. Protestatur etiam, quod si quid dicit, quod contra se et partem suam faciat, illud totaliter tollit et revocat, et pro non dato haberi vult; ac protestatur, quod liceat sibi et salvum sit sibi ius, alios articulos, positiones et probationes dare et facere tam in dicta causa, quam etiam contra testes, litteras et instrumenta, que idem dominus Ladislaus producere intendit, que omnino suspecta dicit et protestatur esse; et quod remaneat sibi ius alias penas petendi, in quas pluries incidit, non solvendo in singulis terminis et locis constitutis.

(Prorogatio termini episcopi.)

Quos articulos et omnia ea, que continent, dictus dominus auditor admisit, salvo iure impertinentium et non admittendorum; et quia allegabatur pro parte dicti domini episcopi, ipsum episcopum occupatum esse circa dominum legatum aliis maioribus negotiis, et propter hoc nequivisse in dicto termino statuto ad hodie comparere, idem dominus auditor dictum dominum episcopum ex dicta causa rationabili usque ad diem Lune proxime futurum duxit merito expectandum, processurum tunc in dicta causa et suos articulos producturum, ut postulat ordo iuris.

(Exhibitio articulorum episcopi.)

Die Lune, XIIII. dicti mensis Julii, predicte indictionis, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore predicto domino Ladislao ex parte una, et dicto magistro Phylippo, nomine quo supra, ex altera, dictus dominus episcopus articulos suos exhibuit in dicta causa, quorum tenor talis est:

Coram Vobis, domino Philippo auditore &c. dominus Ladislaus episcopus Syrmiensis intendit probare hos articulos infrascriptos contra magistrum Angelum et Cambium procuratorem eius:

I. In primis, quod idem Cambio venerit ad ipsum dominum episcopum in Syrmiam ad ecclesiam sancti Yrinei cum procuratorio vero et legitimo magistri Angeli domini sui.

II. Item quod procuratorium suum fuit exhibitum domino episcopo et perlectum et eidem Cambio restitutum coram canonicis et aliis probis viris.

III. Item intendit probare, quod paratum se exhibuit idem dominus episcopus de solvenda pecunia debita eidem magistro Angelo, dummodo idem Cambio moram faceret, ut pecunia eidem ordinaretur.

IIII. Item intendit probare, quod in villa Monasterii Bani eidem Cambio procuratori ad rationem domini sui sepedicti solvit unam marcam coram canonicis ecclesie sancti Stephani prothomartyris et aliis probis viris, quam voluit habere idem Cambio pro quibusdam expensis minutis sibi necessariis.

V. Item intendit probare, quod idem Cambio, habita sive accepta predicta una marca, aliquibus diebus elapsis iterum venerit ad ecclesiam sancti Yrinei, et ibi dominus Ladislaus episcopus Syrmiensis dederit, numeraverit et solverit dicto magistro Cambio, nomine predicti magistri Angeli archidiaconi, domini sui, recipienti, quadraginta novem marcas, scilicet viginti marcas de fino argento, et viginti novem marcas in grossis regis Servie, decem solidos ipsorum grossorum regis Servie pro qualibet marca computando, coram canonicis ecclesie sancti Yrinei et coram aliis probis viris ecclesiasticis et secularibus, testibus ydoneis, ad dictam solutionem audiendam et videndam vocatis et rogatis.

VI. Item intendit probare, quod quatuor marcas, quas dominus Nicolaus episcopus Ostiensis, apostolice sedis legatus, recepit de redditibus archidiaconatus Nitriensis ratione sue procurationis, dictus magister Cambio in rationem sive computum dicti magistri Angeli, visis litteris predicti legati, receperit et assumpserit.

VII. Item intendit probare, quod dictus magister Cambio, solutione modo predicto facta, et pecunia totali ad manus suas accepta, immediate in eodem loco solutionis fecerit finem et quietationem dicto domino episcopo de XXXXVIIII. marcis et de quatuor marcis, quas predictus dominus Nicolaus legatus acceperat ratione sue procurationis.

VIII. Item intendit probare, quod dictus magister Cambio prestiterit iuramentum in suam animam et dicti magistri Angeli archidiaconi Nitriensis de ulterius non petendo.

VIIII. Item quod in signum solutionis sic facte et quietationis instrumentum locationis sue obligationis in eodem loco solutionis dicto domino episcopo idem magister Cambio dederit et restituerit, et demum predictum instrumentum idem magister Cambio manu propria inciserit ad petitionem episcopi, et sic incisum iterum dicto episcopo dederit et tradiderit.

X. Item intendit probare, quod solutione predicto modo facta, et

instrumento obligationis restituto et inciso, immediate sine aliquo intervallo predictum magistrum Cambio cum socio suo, quem secum habebat, dictus episcopus fecerit transduci et conduci ultra fluvium Zaua ad villam Sancti Demetrii ad petitionem et instantiam magistri Cambio prenominati.

XI. Item intendit probare, quod sequenti die solutionis, dicto domino episcopo dictum fluvium Zaua transeunte, cum esset in portu, idem magister Cambio ad ipsum episcopum accesserit, et procuratorium suum de manu propria eidem episcopo porrexit, et benedictione accepta, discesserit ab eodem.

(Terminus ad exhibendum interrogatoria.)

Quos articulos dictus dominus auditor statim admisit, salvo iure impertinentium et non admittendorum; assignans terminum tam dicto domino episcopo, quam predicto magistro Phylippo, nomine quo supra, adhuc in iudicio presentibus, ad faciendum, dandum et exhibendum interrogatoria hinc inde, ad cras ante vesperas.

(Prorogatio dicti termini.)

Die Martis, XV. dicti mensis, dictus dominus auditor ex causa prorogavit dictum terminum ad cras ante vesperas in eisdem finibus.

(Exhibitio interrogatorii actoris.)

Die Mercurii, XVI. mensis eiusdem, magister Phylippus substitutus procurator predictus, constitutus coram dicto domino auditore, dedit ei et exhibuit quoddam scriptum clausum et sigillatum, in quo dicebat contineri interrogatoria per eum facta, secundum et iuxta que petiit testes examinari dicti domini episcopi, quos intendit producere ad probandum suos articulos supradictos.

(Exhibitio interrogatorii episcopi.)

Die Jovis, XVII. dicti mensis Julii, predicte indictionis, constitutus coram dicto domino auditore dominus Ladislaus episcopus predictus, exhibuit et dedit interrogatoria sua in causa predicta, iuxta que petiit testes examinari, producendos per dictum magistrum Phylippum ad probandum suos articulos supradictos, presente dicto magistro Phylippo et protestante, quod ipsa interlocutoria dicti domini episcopi recipi non debeant, cum terminus ad hoc datus peremptorius sit elapsus.

(Terminus utriusque partis ad recipiendum terminum ad probandum.)

Quibus interrogatoriis datis et receptis, statim dictus dominus auditor assignavit terminum dictis domino episcopo et magistro Phylippo ad cras in tertiis ad veniendum et comparendum coram eo, recepturi terminum ad probandum, dandum utrisque per auditorem predictum in causa predicta.

(Oblatio novarum positionum actoris.)

Die Veneris, XVIII. dicti mensis Julii, predicte VII. indictionis, constitutis in iudicio coram dicto domino auditore magistro Phylippo procuratore predicto ex parte una, et dicto domino Ladislao ex altera, idem magister Phylippus obtulit et dedit in scriptis infrascriptas positiones, dicens de novo pervenisse ad eum, que continentur in ipsis, prout hoc iuramento firmavit, petens facere responderi ad eas per dictum dominum episcopum, de veritate dicenda super ipsis prius prestito iuramento.

Quas positiones dictus dominus auditor admisit, mandans dicto domino episcopo, quod iuramento prestito ad sancta Dei evangelia de veritate dicenda super ipsis, ad singulas ipsarum respondeat, ut postulat ordo iuris.

(Responsio cum iuramento.)

Qui quidem dominus episcopus iuravit ad sancta Dei evangelia manibus appositis, sed non tactis, super ipsis positionibus respondere et uti mera et simplici veritate. Quibus positionibus deinde singulariter et per ordinem sibi lectis, negavit omnia in ipsis et qualibet ipsarum contenta protinus vera esse. Quarum positionum tenor talis est:

(Positiones nove actoris.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea auditore domini legati regni Ungarie, Philippus de Cingulo procurator magistri Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi, contra venerabilem patrem dominum Ladislaum olim archidiaconum Borsiensem, nunc episcopum Syrmiensem, in causa, quam habet cum eodem, infrascriptas positiones et articulos exhibet, que nuper ad ipsius pervenit notitiam:

I. Ponit in primis idem Philippus, procuratorio nomine quo supra, quod de anno proxime nunc elapso predictus dominus Ladislaus episcopus Syrmiensis coram venerabili viro domino Bonensegna de Perusio, tunc domini fratris G.[1] cardinalis, apostolice sedis legati, camerario, ac coram

[1] Gentilis.

Petrutio Hermanni de Fulginio publico notario, domicello et familiari eiusdem domini camerarii, et coram religioso viro fratre Johanne de Fulgineo, nobili viro Rogerio Mathei de Monteflore, Angelo de Joia et Bertuldo de Calabria et regno Apulie, tunc existentibus in curia dicti domini legati, sponte et ex certa scientia fuit confessus et contentus, ac recognovit se esse verum debitorem predicti magistri Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in LIIII. marcis argenti ad pondus Budense; ac in ipsis eidem magistro Angelo teneri pro perceptione fructuum et proventuum dicti archidiaconatus et ratione locationis, sibi de ipso archidiaconatu facte olim per magistrum Nicolaum procuratorem ipsius pro tempore sex annorum.

II. Item ponit et, si negatur, probare intendit, quod idem dominus Ladislaus episcopus tunc videns ac recognoscens, quod dictum archidiaconatum ultra dictos sex annos tenuerat, et fructus exinde per factores suos perceperat sine aliqua locatione, ac videns, quod pecuniam promissam de supradicta locatione in statutis terminis et locis non solverat, confessus fuit et recognovit, se eidem magistro Angelo in penam XL. marcarum incidisse, ac in ipsis XL. marcis argenti nomine dicte pene teneri eidem.

III. Item ponit et, si negatur, probare intendit dictus procurator, quod ipse dominus Ladislaus episcopus, facta dicta recognitione, sponte promisit et convenit sollempniter Pellolo de Spello, ut procuratori dicti magistri Angeli ac nomine ipsius petenti et recipienti, dare, solvere et integraliter numerare predicto magistro Angelo, vel eius procuratori legitimo, in terra Budensi vel in Posonio infra quindenam festi beati Georgii proxime nunc transacti, cum alia congregatio prelatorum et baronum fieret ad predictum dominum legatum, supradictas LIIII. marcas pro predictis fructibus et locatione dicti archidiaconatus, et pro complemento et solutione LX. marcarum argenti, in quibus obligaverat se eidem magistro Angelo pro dictis sex annis, non obstante aliqua solutione facta olim per ipsum prefato magistro Angelo vel alteri procuratori seu nuncio ipsius; promittens etiam eodem tempore et loco, predictas XL. marcas nomine pene ac dampnorum et expensarum, ut dictum est, persolvere.

IIII. Item ponit et, si negatur, probare intendit, quod dictus dominus Ladislaus episcopus dicto Pello *(sic)*, nomine predicti magistri Angeli legitime stipulanti et recipienti, promisit et convenit, solutionem predictarum LIIII. marcarum et dictarum XL. marcarum facere in dicto loco Bude vel Posonii, infra dictam quindenam; et promisit, nolle, nec posse, de loco predicto vel altero predictorum loco recedere, donec de predictis summis

totaliter satisfecerit, dans et concedens potestatem predicto domino legato et eius auditoribus, ipsum in sua curia personaliter retinere, ac eius equos et bona capere et tenere, donec de ipsis summis integre satisfecerit.

V. Item quod ipse dominus Ladislaus episcopus, prepositis sibi sacris scripturis, iuravit ad sancta Dei evangelia, predicta omnia et singula facere, attendere et observare, et non contra ea facere vel venire aliqua ratione vel causa, nec ab aliquibus processibus, propterea contra ipsum per dictum dominum legatum vel eius auditores faciendis, appellare vel provocare, sed omni appellationi et auxiliis iuris et beneficiis expresse renunciavit.

VI. Item quod de predictis omnibus apparet instrumentum publicum factum per predictum Petrutium notarium publicum.

VII. Item ponit, quod instrumentis, scriptis et factis per dictum Petrutium ac ipsius signo signatis, statur et fides adhibetur, tanquam publicis et autenticis instrumentis, et quod ad ipsum Petrum recurrebatur et recurritur pro instrumentis publicis faciendis, tanquam ad notarium publicum.

VIII. Item quod de predictis est publica vox et fama in curia domini legati.

Predicta dicit et dat Phylippus procurator predictus, quia nuper ad ipsius pervenerunt notitiam, que paratus est probare, et de ipso instrumento fidem facere loco et tempore condecenti, non ad singula probanda se astringens, sed ad ea tantum, que probari possunt et sibi sufficiant ad victoriam cause.

(Exceptio episcopi de testibus recipiendis extra curiam.)

Eodem die et in eodem iudicio, quia proponebatur et dicebatur per dictum dominum episcopum, quod probationes suas debebat facere extra curiam eo, quod testes suos *(sic)*, per quos suam intentionem probare intendit in dicta causa, in remotis degunt, et per dictum magistrum Philippum ex adverso dicebatur contrarium, idem dominus auditor assignavit ipsis, domino episcopo et magistro Phylippo, terminum ad cras ad disputandum super dicto puncto probationis, et alias ad procedendum in dicta causa, ut postulat ordo iuris.

(Terminus ad disputandum.)

Die Sabati, XVIIII. dicti mensis Julii, in tertiis, comparentibus dictis domino episcopo ex una parte et magistro Phylippo ex altera coram dicto domino auditore, dictus dominus episcopus protestatus est, dicens se non posse allegare et disputare super eo, quod proposuerat, de recipiendis testi-

bus extra curiam ad probationem faciendam per eum in causa predicta, pro eo, quod advocatus suus est absens, laborans in servitiis regni apud archiepiscopum Colocensem. Unde petebat sibi dictum terminum prorogari ad diem Martis proxime futurum in vesperis, tuncque comparebit cum advocato suo ad allegandum et disputandum super predictis. Et ideo dictus dominus auditor, satisfacere volens dicto domino episcopo in hac parte, prorogavit ipsum terminum in eisdem finibus ad diem Martis proxime futurum in vesperis; mandans ipsis domino episcopo et magistro Phylippo, volentibus et consentientibus, quod in dicto termino peremptorie compareant cum advocatis eorum ad disputandum super puncto predicto, et alias ad recipiendum terminum ad probandum, et nichilominus ad procedendum in dicta causa, ut postulat ordo iuris.

(Prorogatio dicti termini.)

Die Martis, XXII. dicti mensis, in vesperis, dictus dominus auditor prorogavit dictum terminum ex causa in eisdem finibus ad cras ante tertiam, presentibus dicto domino episcopo et Cambio principali procuratore dicti magistri Angeli, dicto magistro Philippo absente, et infirmitatem sui corporis patiente.

(Disputationes et terminus ad interloquendum.)

Die Mercurii, XXIII. dicti mensis Julii, in tertiis, comparentibus coram dicto domino auditore dictis domino episcopo ex parte una et Cambio principali procuratore dicti magistri Angeli ex altera, et allegantibus ac disputantibus pro et contra super predicto puncto allegato per dictum dominum episcopum, de testibus scilicet ipsius domini episcopi recipiendis extra curiam ad probationem faciendam per eum in causa predicta, dictus dominus auditor, postquam allegationes predictas et disputationes audivit, et omnia, que dicte partes dicere voluerunt super dicto puncto hinc inde, quas allegationes mandavit sibi dari in scriptis, assignavit terminum ipsis domino episcopo et Cambio ad cras in tertiis peremptorie ad comparendum coram eo, audituri interlocutoriam ferendam per eum super predictis, et ad recipiendum terminum ad probandum hinc inde, et alias ad procedendum in dicta causa, ut postulat ordo iuris.

Eodem die dictus dominus episcopus exhibuit et dedit dicto domino auditori allegationes suas in scriptis, quas iussus extiterat se daturum, prout superius continetur.

1 In margine: «Require ipsas allegationes infra in carta X.» (Deperdita).

(Prorogatio dicti termini.)

Die Jovis, XXIIII. mensis eiusdem, in tertiis, dictus dominus auditor prorogavit dictum terminum ex causa in eisdem finibus ad hodie in vesperis, presente dicto Cambio procuratore dicti magistri Angeli, presente quoque dicto domino episcopo, cui mandavit, ut in ipso termino det sibi, domino auditori, in scriptis nomina testium, quos intendit producere ad probandum in causa predicta.

(Interlocutoria.)

Eodem die in vesperis comparentibus dictis domino episcopo ex una parte et Cambio procuratore predicto ex altera in iudicio coram dicto domino auditore, idem dominus auditor considerans, sicut dixit, quod in provincia illa, ubi sunt testes dicti domini episcopi recipiendi ad probationem faciendam per eum in dicta causa, non sunt viri periti, quibus idonee et legitime possit articulus dicte probationis committi, videns etiam et attendens dicta et allegata pro parte utriusque, et ea, que rimatus est de statu et conditionibus dicte cause per ea, que eum rationabiliter moverunt et movent, Christi nomine invocato, interloquendo pronunciavit pro tribunali sedens, testes dicti domini episcopi recipiendos in dicta causa fore citandos, et comparere ac recipi debere in curia, et alias probationes, si quas habet, fore producendas coram ipso domino auditore.

(Terminus ad probandum.)

Et statim dictus dominus auditor assignavit terminum ipsis domino episcopo et Cambio, pro primo, secundo et tertio terminis ad probandum, quicquid volunt in dicta causa, ad quinquaginta dies proxime futuros et peremptorie.

(Appellatio rei.)

A qua interlocutoria et termini brevitate, ut dixit, dictus dominus episcopus viva voce appellavit, protestans, quod volebat et intendebat infra decemdium dictam appellationem facere in scriptis.

(Exhibitio appellationis in scriptis.)

In nomine Domini amen. Anno eiusdem millesimo CCCVIIII., pontificatus domini Clementis pape V. anno IIII., die Veneris, primo mensis Augusti, VII. indictionis. Venerabilis in Christo pater dominus Ladislaus Dei gratia episcopus Syrmiensis, constitutus coram venerabili viro domino Phylippo de Sardinea decretorum doctore, canonico Arborensi,

generali auditore causarum curie reverendi patris et domini domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, exhibuit, interposuit et dedit in scriptis quandam appellationem, cuius tenor talis est:

(Appellatio in scriptis.)

Coram Vobis, venerabili viro domino Phylippo de Sardinea, auditore generali curie reverendi patris domini G.[2] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, constitutus ego Ladislaus episcopus Syrmiensis, dico et propono, sententiam seu interlocutoriam, si sententia vel interlocutoria dici potest, latam et factam per Vos contra me in causa, quam habeo coram Vobis cum . . .[3] procuratore domini Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi, ex cuius sententie seu interlocutorie, si sic dici potest, tenore indebite et contra iustitiam pronunciastis testes meos, recipiendos in ipsa causa, fore citandos, et comparere ac recipi debere in curia, et alias probationes, si quas habeo, producendas fore coram Vobis, quia asseruistis in ipsa interlocutoria, quod in provincia illa, ubi sunt testes mei recipiendi ad probationem predictam faciendam per me in dicta causa, non sunt viri periti, quibus ydonee et legitime posset articulus dicte probationis committi, ut in ipsa interlocutoria continetur, si sic dici potest, nullam esse et de iure non tenere propter causas et rationes infrascriptas. In primis videlicet, quod, salva vestri gratia, immo periti homines sunt in dicta provincia, docti in iure canonico et civili, videlicet dominus Nicolaus archidiaconus, et magister Johannes canonicus ecclesie Bacchiensis, que est ecclesia cathedralis; qui quidem Nicolaus archidiaconus diu studuit Padue, et etiam legit in cathedra, et in curia Romana arduas causas archiepiscopi et episcoporum plures tractavit. Item dominus Demetrius prepositus Colocensis, item Johannes prepositus ecclesie sancti Stephani prothomartyris de Keo, iuris periti; item dominus Paulus plebanus de Zalonkemen iuris peritus; item abbas de Dumbo, ordinis sancti Benedicti; quibus nedum dictus articulus predicte mee probationis, verum maiores et ardiores ac graviores articuli legitime et ydonee committi possent, tanquam viris industriis et peritis. Item quod aliqui ex testibus meis producendis ad predictam probationem faciendam sunt senes et valetudinarii, aliqui debiles et infirmi, qui sine gravi periculo personarum ipsorum ad curiam venire non possent. Item quia dicti testes,

[1] Gentilis.
[2] Gentilis.
[3] Cambio de Narnia.

quos intendo producere, in remotis degunt a curia dicti domini legati, ad minus per duodecim dietas, computata dieta ad quadraginta miliaria Lombardica. Item quod periculosum esset dictis testibus ad curiam predictam venire propter viarum discrimina, sicut est notum et notorium, que sunt ab hinc usque ad locum, ubi habitant ipsi testes. Nam territorium Herrici magistri, per quod oporteret eos venire, non est tutum eis propter inimicitias capitales et mortales, quas habent ibidem, et propter spolia et cedes hominum, que inibi cotidie committuntur. Et sicut scire potestis, domine auditor, quoniam est publicum et manifestum, notum et notorium, venerabiles in Christo patres domini, frater Gregorius Boznensis et Benedictus Chenadiensis episcopi, dum venirent ad curiam dicti domini legati, fuerunt in predicto territorio spoliati. Frater Benedictus prior de Insula, ordinis sancti Dominici, missus per dominum legatum ad Ladislaum woyvodam, in redeundo in territorio et per homines dicti magistri Herrici captus fuit et pluribus diebus detentus. Nuncius magistri Vgrini, a domino rege rediens, per homines eiusdem magistri Herrici in ipsius territorio captus est, et adhuc in captivitate tenetur; et multi alii ante et post per eosdem sunt detenti, et cotidie spolia committuntur ibidem. Unde propter predictas causas rationabiles et probabiles, quas iuro ad sancta Dei evangelia, more episcopi, veras esse, et si necesse fuerit, offero me probaturum eas coram iudice competenti, et alias causas suo loco et tempore proponendas, quas protestor michi salvas fore, sentiens me gravatum indebite et gravari posse ab ipsa interlocutoria sive sententia, si sic dici potest, cum sit lata et facta contra iura canonica et civilia et contra iustitiam, nullo iuris ordine observato, spretis allegationibus, exceptionibus et protestationibus meis, factis per me coram Vobis, ab ipsa sententia seu interlocutoria, si sententia vel interlocutoria dici potest, tanquam ab iniqua et iniusta, et contra iura et iustitiam lata et facta, non recedendo ab alia appellatione, per me interposita viva voce, sed eidem potius inherendo, ad sanctissimum patrem et dominum, dominum Clementem divina providentia papam quintum, et ad quemlibet alium iudicem competentem in hiis scriptis appello. Acta et apostolos instanter et instantissime michi dari peto, et iterum peto. Submittens me et bona mea sub protectione et defensione sancte Romane ecclesie et dicti domini nostri summi pontificis; protestans et inhibens Vobis sub penis et inhibitionibus, contentis in constitutionibus, decretis et decretalibus, quas, si secus feceritis, ipso facto incurratis, ne appellatione ista pendente, contra me et bona mea nullam novitatem quavis occasione vel causa facere

debeatis. Terminum ad predictam appellationem meam prosequendam coram summo pontifice prefigo et statuo festum Pentecostes nunc venturum.

Facta et interposita fuit dicta appellatio in camera, ubi morabatur dictus dominus auditor, in castro Budensi, Vesprimiensis diocesis, presentibus viris discretis, magistro Albertino de Parma notario et familiari dicti domini legati, magistro Johanne preposito de Ku, et magistro Riccardo capellano dicti domini episcopi appellantis, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis.

(Terminus ad audiendam responsionem.)

Cui appellanti statim dictus dominus auditor assignavit terminum ad audiendum responsionem suam super ipsa ad diem Mercurii proxime futurum.

(Protestatio rei.)

Die Mercurii, VI. mensis Augusti, predicte indictionis, comparuit dictus dominus episcopus coram dicto domino auditore, presente magistro Phylippo procuratore substituto alterius partis, et ante omnia protestatus est dicens, quod per comparitionem, quam faciebat, non intendebat revocare dictam suam appellationem, nec etiam intendebat in dictum auditorem, tanquam in suum iudicem, a modo consentire, sed veniebat tantummodo pro apostolis recipiendis, quos petivit cum maxima instantia per dictum dominum auditorem sibi dari.

(Terminus ad recipiendum apostolos.)

Cui domino episcopo dictus dominus auditor prorogans dictum terminum, mandavit ei, quod die Veneris proxime futuro veniat coram eo ad audiendum responsionem suam super dicta appellatione, et ad recipiendum apostolos, quos ei dare intendit.

(Alia protestatio rei.)

Die Veneris, VIII. mensis Augusti, comparente coram dicto domino auditore domino L.[1] episcopo supradicto, et protestante ante omnia, quod per comparitionem, quam faciebat, non intendebat revocare sepedictam suam appellationem, nec etiam intendebat in dictum dominum auditorem, tanquam in suum iudicem, consentire, sed veniebat tantummodo pro apostolis recipiendis, quos petebat sibi dari cum maxima instantia.

1 Ladislao.

(Revocatio gravaminis et restitutio termini.)

Idem dominus auditor, presente supradicto magistro Philippo procuratore alterius partis, super ipsa appellatione tali modo ipsi appellanti respondit, quod paratus erat revocare interlocutoriam suam predictam, et ex tunc revocavit, quo ad testes valitudinarios, debiles et infirmos, quos mandat et vult recipi debere in provincia illa, ubi morantur. Quo autem ad alios testes, remaneat dicta interlocutoria in finibus suis, in quibus iacet. Restituens utrique parti ab hodie in antea dictum terminum quinquaginta dierum ad probandum in causa predicta pro omnibus tribus dilationibus et peremptorie, non obstante, quod dies aliqui de dicto termino sunt elapsi.

(Allegatio suspectorum rei.)

Item eodem die, cum dictus dominus auditor, tam dicto domino episcopo pro parte sua, quam dicto magistro Philippo, procuratorio nomine quo supra, mandasset, ut quilibet ipsorum daret et nominaret sibi illorum nomina, quos habent suspectos, cum intenderet procedere ad commissionem faciendam de citandis et recipiendis testibus, secundum formam revocationis predicte, dictus dominus episcopus dedit et nominavit in provincia Colocensi dominum archiepiscopum Colocensem et dominum episcopum Boznensem, quos asseruit merito se habere suspectos.

(Terminus ad conveniendum de iudicibus.)

Et in continenti idem dominus auditor assignavit terminum ipsis domino episcopo et magistro Philippo ad cras ad veniendum coram eo et conveniendum de loco et iudicibus, ubi et per quos debeant testes dicti domini episcopi examinari et recipi, secundum formam commissionis exinde per litteras dicti domini legati faciende, quarum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum inferius continetur.

(Consensus utriusque partis in iudices. Nomina iudicum.)

Die Sabati, VIIII. dicti mensis Augusti, predicte indictionis, de voluntate et assensu utriusque predictorum, videlicet domini episcopi et magistri Philippi, nominati et electi ac assumpti sunt infrascripti iudices ad citandum specialiter testes producendos in dicta causa per eundem dominum episcopum, et examinandum eos ex ipsis testibus, quos invenerint debiles et infirmos, seu senectute gravatos, prout in subscriptis litteris continetur, videlicet magister Johannes prepositus de Ku, Syrmiensis diocesis, et magister Paulus lector ecclesie Colocensis. Et ut alii testes

dicti domini episcopi ad curiam veniant supradictam citati, dictus dominus episcopus paratum se obtulit, in veniendo, stando et redeundo expensas necessarias ministrare eisdem, ut debet.

(Tenor commissionis facte iudicibus.)

Tenor commissionis et litterarum factarum ad supradictos iudices per omnia talis est:

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis, Johanni preposito de Ku, Syrmiensis diocesis, et magistro Paulo lectori ecclesie Colocensis salutem in Domino. Cum in causa inter procuratorem magistri Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi, ex parte una, et venerabilem in Christo patrem dominum L.[1] episcopum Syrmiensem ex altera, coram magistro Philippo de Sardinea canonico Arborensi, decretorum doctore, auditore curie nostre, vertenti sit partibus ad probandum quinquaginta dierum terminus post datam presentium peremptorie assignatus, sicque testium immineat receptio facienda, Discretioni Vestre presentium tenore districte precipiendo mandamus, quatenus Vos vel alter vestrum, per Vos vel alium seu alios, testes illos, quos dictus dominus episcopus Vobis duxerit nominandos, ex parte nostra peremptorie citare curetis, quod infra unum mensem post citationem vestram huiusmodi coram dicto auditore personaliter comparere procurent, perhibituri testimonium veritati super articulis exhibitis per dictum dominum episcopum in causa predicta. Quod si forte aliquos ex dictis testibus tanta et tali infirmitate, debilitate, valitudine, seu senectute fore gravatos, quod ad curiam nostram venire non possint, Vobis plene constiterit, Vos ambo super eisdem articulis, quos sub sigillo nostro, unacum interrogatoriis dicti procuratoris, vobis mittimus interclusos, testes huiusmodi impotentes singulariter et seorsum, adhibita Vobis aliqua persona ydonea, que dicta et attestationes ipsorum conscribat, sic iuxta interrogatoria prelibata, et alias secundum discretionem Vobis a Deo concessam examinare prudenter et cum omni diligentia, sicque de circumstantiis singulis, ac omnibus, que expedire videritis, ab eisdem testibus sollerter inquirere, iuramentis primitus per eos prestitis, studeatis, quod previa vestrarum personarum industria et discussione sollempni, veritatem ipsam elici, non confundi contingat.

1 Ladislaum.

Maxime cum pars adversa, contra quam scilicet testes ipsi producentur, productionem ipsam se asserat graviter habere suspectam. Nosque ex quibusdam coniecturis, quibus iuste movemur, similiter habeamus. Vos enim, si in examinatione prefata malitiose seu negligenter, quod non credimus, Vos habueritis, in Vos, monitione premissa, excommunicationis sententiam in scriptis presentibus promulgamus. Eos vero, qui odio, gratia vel timore se a predictis subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, et alias, ut iustum fuerit, compellatis. Eos nichilominus, qui testes predictos coram nobis vel Vobis, ut predicitur, producendos quoquo modo impedire presumpserint, ab huiusmodi presumptione desistere, simili censura cogatis. Insuper, quia Vobis plenius constare poterit, quanta fides sit receptis per Vos testibus adhibenda, nobis id ipsum, et quicquid in predictis feceritis ac inveneritis, per personam predictam fideliter in scriptis redactum, harum seriem continens, una cum articulis et interrogatoriis prefatis, infra quindecim dierum spatium, post prefatum quinquaginta dierum terminum, sub sigillis vestris ad curiam nostram quantocius *(sic)* remittatis. Alioquin contra Vos et ipsos, ut nobis videbitur, mediante iustitia procedemus. Datum Bude, idibus Augusti, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

(Mandatum factum episcopo, quod esset continue in curia.)

Item die supradicto Sabati, VIIII. mensis Augusti, predicte indictionis, ad petitionem dicti magistri Philippi procuratoris prefati, dictus dominus auditor mandavit dicto domino episcopo, coram eo presenti, quod continue per se vel per procuratorem ydoneum sit presens in dicta curia ad videndum iuramenta testium, producendorum in causa predicta per dictum magistrum Philippum, ad probandum de iure partis sue, cuius procurator est, et alias ad omnes actus, quos dicte cause merita de cetero exigerent et requirerent, ut postulat ordo iuris. Alioquin ad procedendum in dicta causa, ad singulos actus, quos eius merita de iure exigunt et requirunt, dictus auditor intendebat de cetero, ipsius episcopi absentia non obstante.

(Licentia data per episcopum, ut testes adversarii recipiantur in absentia sua.)

Quo facto mandato, statim dictus dominus episcopus commisit et plenam potestatem dedit dicto domino auditori, ut ipse dominus auditor, una mecum notario dicte cause, possit libere recipere iuramenta testium, producendorum et recipiendorum contra ipsum pro parte adversa in causa predicta in absentia sua, salvis iuribus, rationibus et exceptionibus ac protestationibus suis.

(Licentia data ut supra ex adverso.)

Item eodem die, cum e converso ad petitionem dicti domini episcopi mandaretur per dictum dominum Philippum auditorem supradicto magistro Philippo, procuratorio nomine quo supra, quod interesset iuramentis testium pro parte sua producendorum in causa predicta, idem magister Philippus dixit, quod si contingeret eum iuramentis huiusmodi non esse presentem, recipiantur iuramenta ipsorum testium in absentia sua, salvis iuribus, rationibus, exceptionibus ac protestationibus suis.

(Citatio testium actoris.)

Die Jovis, XXI. mensis Augusti, predicte indictionis, Zucca nuncius iuratus dicte curie retulit dicto domino auditori et michi Angelo notario, se die Martis proxime elapso citasse de mandato ipsius domini auditoris ad petitionem magistri Philippi procuratoris predicti testes infrascriptos, quod hodie per totum diem personaliter comparerent coram ipso domino auditore, perhibituri testimonium veritati super articulis productis per dictum magistrum Philippum, procuratorio nomine quo supra, in causa predicta. Retulit nichilominus se citasse dictum dominum episcopum in hospitio suo Bude, in quo consuetus est hospitari, quod veniret ad videndum ipsorum testium iuramenta. Quorum testium nomina sunt hec, videlicet:

(Testes.)

Martinus de Miranda Vagnolus de Mevanea Petrus de Assisio	domicelli et	supradicti domini legati.
Johannoctus dictus Poctardus famulus		

(Juramenta testium.)

Eodem die Jovis, XXI. dicti mensis Augusti, omnes predicti testes comparuerunt in curia coram dicto domino auditore, presente dicto magistro Philippo, producente eos in testes in causa predicta, ac petente eos recipi et diligenter examinari super articulis suis exhibitis et productis in causa predicta. Qui testes, tactis scripturis, iuraverunt ad sancta Dei evangelia de mandato dicti domini auditoris, super predictis articulis dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, pretio et timore, absente dicto domino episcopo, tamen legitime requisito.

(Presentatio procuratoris actoris. Accusatio contumacie.)

Die Jovis, VIIII. mensis Octobris, VII. indictionis, apud Tirnaviam, comparuit coram dicto domino auditore magister Philippus procurator substitutus predictus, dicens nomine quo supra, quod terminus peremptorius, datus ad probandum in dicta causa supradicto domino episcopo, sit elapsus, et nichil probaverit infra ipsum de intentione sua, quam se olim probaturum dicebat; petiit igitur cum instantia, dictum dominum episcopum de cetero non audiri ad probationem aliquam faciendam vel producendam in causa predicta, et ipsius contumaciam accusavit, petens procedi ad alios actus in dicta causa, quos eius merita exigunt et requirunt, et ut postulat ordo iuris, in contumaciam episcopi supradicti, eiusque absentia non obstante.

(Productio iurium actoris.)

Producens quoque dictus magister Philippus nomine supradicto in dicta causa contra dictum dominum episcopum tam confessiones factas per ipsum episcopum in causa predicta, pro ipso magistro Philippo, nomine quo supra, facientes, quam quoddam publicum instrumentum, per quod constat de locatione olim facta per magistrum Nicolaum de Interampne procuratorem venerabilis viri domini Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi de ipso archidiaconatu ex tunc ad sex annos pro annuis decem marcis fini argenti, scriptum manu Andree Bartholomei notarii. Quod quidem instrumentum sic incipit:

(De tenore instrumenti locationis pro actore.)

In nomine Domini amen. Hoc est exemplum cuiusdam publici instrumenti cum die et consule, cuius tenor talis est:

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo CCCII., indictione XV., die XX. mensis Februarii, coram me notario et testibus infrascriptis discretus vir magister Nicolaus de Interampne notarius et familiaris reverendi patris et domini domini fratris Nicolai Ostiensis et Velletrensis episcopi, apostolice sedis legati, ac procurator venerabilis viri magistri Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis et canonici in ecclesia Strigoniensi, habens potestatem et speciale mandatum ab ipso magistro Angelo locandi, dandi et concedendi ad firmam alicui probo viro omnes fructus, redditus et obventiones archidiaconatus sui Nitriensis et prebende sue Strigoniensis pro illo tempore et illa summa pecunie, quod dicto procuratori suo videbitur et placuerit, ut per instrumentum procurationis dicti magistri Nicolai, factum manu Berardi Angeli de Narnia notarii,

michi, infrascripto notario, plene constat, procuratorio ipsius magistri Angeli nomine, dedit, locavit et concessit ad firmam viro venerabili et discreto magistro Ladislao archidiacono Borsiensi in ecclesia supradicta, atque commisit plenam et liberam administrationem predictorum archidiaconatus et prebende, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, omnes fructus, redditus et obventiones archidiaconatus Nitriensis et prebende Strigoniensis predictis *(sic)*, quos predictus magister Angelus in ecclesia Strigoniensi predicta noscitur obtinere, usque ad sex annos proxime venturos, in annua numerandos, complendos et finitos, incipiendos duodecima die mensis Aprilis proxime venturi. Dans et concedens etc. Et finitur sic: Huius rei testes rogati predicti sunt.

(Alia presentatio et productio ut supra.)

Die Lune, XIII. eiusdem mensis Octobris, predicte indictionis, item dictus magister Philippus comparuit coram dicto domino auditore, et accusavit contumaciam dicti domini episcopi, ac produxit predictas confessiones et instrumentum, et alia dixit et fecit de verbo ad verbum, ut proxime superius fecit.

(Relatio alterius iudicum.)

Die XIIII. mensis Novembris, predicte indictionis, apud Posonium, discretus vir magister Johannes prepositus de Ku, alter predictorum iudicum, quibus citatio et examinatio testium predicti domini episcopi commissa fuerat modo et forma, contentis in supradictis litteris domini legati ad eosdem iudices factis, coram reverendo patre et domino domino G.[1] Dei gratia legato apostolice sedis predicto personaliter constitutus, iussusque per dominum legatum predictum ad petitionem et instantiam magistri Philippi procuratoris substituti predicti, quod eidem domino legato relationem faciat de hiis, que fecit et operatus est in dicta causa auctoritate litterarum predictarum, verbo respondit et dixit, quod olim, vel circa exitum proximo preteriti mensis Septembris, vel circa principium mensis Octobris sequentis, dominus Ladislaus episcopus Syrmiensis presentavit ipsi preposito et college suo litteras ipsius domini legati tenoris et continentie supradicte. Ipse vero prepositus ad ipsarum executionem devote intendens, citavit omnes illos testes, quos dictus dominus episcopus sibi tunc nominavit, secundum formam litterarum predictarum. Sed cum peteret postea prefatus episcopus tam ab ipso, quam a collega suo, ut procederent

1 Gentile.

ad examinationem quorumdam testium, quos habere se dicebat valitudinarios et debiles, dictus eius collega infirmitatem gravem sui corporis allegavit, dicens se non posse huiusmodi examinationi vacare. Ipse quoque prepositus ad dictos testes valitudinarios et debiles accedere recusavit, dicens se sine predicto collega in huiusmodi examinatione nequaquam intromittere posse. De quibus sic peractis ipsi ambo iudices fecerunt diversas responsales litteras suas ad dominum legatum predictum, quas assignaverunt cuidam nuncio per manus dicti episcopi, qui debebat eidem nuncio dare expensam ad portandum eas eidem domino legato. Et ex tunc ipse nuncius recessit ab eisdem iudicibus, ordinantibus et credentibus, quod ex tunc iter arriperet ad veniendum ad curiam dicti domini legati pro causa predicta, et ipse magister Johannes dedit tunc ipsi nuncio de pecunia sua quindecim denarios.

(Presentatio actoris contra reum.)

Die Sabati, XXII. Novembris, predicte indictionis, apud Posonium, comparuit coram dicto domino auditore magister Philippus procurator substitutus predictus, petens, nomine quo supra, procedi in causa predicta contra dictum dominum episcopum ad ea, que ipsius cause merita exigunt et requirunt, ipsius episcopi absentia non obstante; eo maxime, quod per ipsum episcopum stetit, quominus remitteretur ad curiam processus iudicum predictorum.

(Citatio episcopi ad procedendum in causa.)

Eodem die dictus dominus auditor, audita petitione dicti magistri Philippi, ac diligenter attento mandato per ipsum dominum auditorem olim facto dicto domino episcopo ad petitionem dicti magistri Philippi, quod continue idem episcopus presens esset in dicta curia per se vel per procuratorem ydoneum ad procedendum in dicta causa, prout de iure esset, sicut superius plenius continetur, commisit et mandavit Zucche nuncio iurato curie predicte, coram eo presenti, ut publice et palam in curia dicti domini legati, ubi secundum dictum mandatum esse debet dictus episcopus per se vel per procuratorem suum, alta voce gridet, proclamet et citet dictum dominum episcopum, quod per se vel per procuratorem idoneum hodie in vesperis compareat peremptorie coram eo ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, alias procedetur in ipsa, eius absentia non obstante.

(Relatio citationis.)

Eodem die Zuccha nuncius iuratus predictus retulit dicto domini auditori, se proclamasse, gridasse et citasse dictum dominum episcopum Syrmiensem in curia dicti domini legati publice et palam iuxta formam commissionis predicte.

(Presentatio actoris contra reum et accusatio contumacie.)

Item eodem die in vesperis comparuit coram dicto domino auditore magister Philippus procurator predictus, accusans contumaciam dicti domini episcopi, petensque contra ipsum procedi in dicta causa, ut postulat ordo iuris, eius absentia non obstante.

(Alius terminus datus episcopo ad probandum, ad convincendam malitiam suam.)

Qui dominus Philippus auditor ad omnem dicti domini episcopi malitiam convincendam, in contumaciam eius assignavit ei terminum usque ad viginti dies proxime futuros, ad faciendum omnem probationem tam per testes quam per instrumenta legitima in causa predicta et peremptorie, et alias in fine dicti termini ad comparendum coram eo, processurus in dicta causa, ut ordo dictaverit rationis; offerens se paratum idem dominus auditor iudices dare, si expedierit, ipsi domino episcopo vel procuratori suo pro eo, quod testes examinent et probationes suas recipiant, ut est iuris.

(Alia comparitio actoris et accusatio contumacie rei.)

Die Veneris, XII. mensis Decembris, predicte indictionis, apud Posonium, comparuit coram dicto domino auditore magister Philippus procurator substitutus predictus, accusans contumaciam dicti domini episcōpi, ac petens procedi contra ipsum in causa predicta, tanquam contra confessum et convictum et nichil de iure suo probantem in termino et terminis sibi datis, nec etiam post, ut postulat ordo iuris.

(Alia citatio rei ad procedendum.)

Qui dominus auditor reputans dictum dominum episcopum super predictis omnibus fore merito contumacem, mandavit eum citari ad procedendum ulterius in dicta causa, prout inferius continetur.

(Commissio et forma ipsius citationis.)

Die Sabati, XIII. dicti mensis, in sala seu audientia publica dicti

domini legati, multis religiosis et aliis probis viris presentibus et audientibus, presente dicto domino auditore et mandante, ad petitionem dicti magistri Philippi procuratoris citatus et vocatus est alta voce dictus dominus episcopus per me Angelum actorum notarium dicte curie in hunc modum:

Mandat dominus Philippus de Sardinia canonicus Arborensis, capellanus ac generalis auditor causarum curie reverendi in Christo patris et domini domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ac facit citari in audientia publica predicti domini legati venerabilem in Christo patrem dominum Ladislaum episcopum Syrmiensem, ut ipse vel procurator ipsius, si quis est in eiusdem domini legati curia, pro eodem hoc sero, scilicet die Sabati, tertiodecimo mensis Decembris, in vesperis compareat legitime coram eo ad procedendum, prout de iure fuerit, in causa, que coram ipso domino auditore vertitur inter magistrum Angelum de Narnia archidiaconum Nitriensem in ecclesia Strigoniensi ex parte una, ac prefatum dominum Ladislaum episcopum Syrmiensem ex altera, super certa quantitate pecunie, quam idem magister Angelus et procurator ipsius ab eodem episcopo petiit et petit pro satisfactione cuiusdam locationis sibi facte de dicto archidiaconatu coram eodem domino auditore. Alioquin idem auditor in dicta causa procedet, ut iustum fuerit, eius absentia non obstante. Datum Posonii, predicto die Sabati ante tertiam.

(Comparitio dicti procuratoris cum productione iurium.)

Eodem die in vesperis comparuit coram dicto domino auditore magister Philippus procurator predictus, et dicti domini episcopi contumaciam accusavit, producens contra ipsum in dicta causa quoddam instrumentum publicum, scriptum manu Berardi Angeli de Narnia notarii, per quod constat, dictum dominum Angelum archidiaconum Nitriensem constituisse procuratorem suum magistrum Nicolaum de Interampne ad locandum dictum archidiaconatum Nitriensem alicui probo viro, prout videretur sibi expedire. Quod quidem instrumentum sic incipit: In nomine Domini amen. Anno eiusdem nativitatis MCCCI. Tempore domini Bonifacii pape VIII., mense Maii die XXV. &c. Et sic finitur: Et ego Berardus Angeli de Narnia ab alme urbis prefecto notarius constitutus predictis interfui, et rogatus scribere scripsi et publicavi. — Ac petens procedi in dicta causa, ut postulat ordo iuris, ipsius domini episcopi absentia non

[1] Gentilis.

obstante. Producens quoque omnia alia instrumenta et iura, iam producta per eum in dicta causa, et confessiones dicti domini episcopi, ac alia actitata et facta in eadem causa, facientia pro eodem procuratore, nomine quo supra; protestando, quod si aliqua ex eis sunt sibi, nomine quo supra, contraria vel nociva, illa non producit, nec eis uti intendit.

(Alius terminus datus episcopo.)

Qui dominus auditor reputavit dictum dominum episcopum, expectatum usque post vesperas et non comparentem per se vel per alium, fore merito contumacem, et in contumaciam eius assignavit ei terminum peremptorium hinc ad diem Martis proxime futurum in vesperis, ad recipiendum copiam tam predicti instrumenti, quam quorumcunque aliorum instrumentorum, iurium, confessionum et aliorum productorum in dicta causa per dictum magistrum Philippum, nomine quo supra, et dicendum et opponendum, quicquid voluerit, contra ipsa, et alias ad procedendum in dicta causa, ut postulat ordo iuris.

(Alia presentatio dicti procuratoris.)

Die Martis, XVI. dicti mensis Decembris, in vesperis, comparuit coram dicto domino auditore magister Philippus procurator predictus, et dicti domini episcopi contumaciam accusavit, petens procedi contra ipsum ulterius in dicta causa, ut postulat ordo iuris, eius absentia non obstante.

(Alia contumacia.)

Qui dominus auditor expectavit dictum dominum episcopum usque post vesperas dicti diei, sed cum nullus compareret pro eodem, qui eius absentiam excusaret, pronunciavit eum fore merito contumacem.

(Alia citatio episcopi.)

Die Mercurii, XVII. dicti mensis Decembris, predicte indictionis, ante tertiam, apud Posonium, in sala seu audientia publica dicti domini legati, multis religiosis et aliis probis viris presentibus et audientibus, presente dicto domino auditore et mandante, ad petitionem dicti magistri Philippi procuratoris citatus et vocatus est alta voce dictus dominus episcopus per me Angelum actorum notarium dicte curie in hunc modum:

Mandat dominus Philippus de Sardinea canonicus Arborensis, capellanus ac generalis auditor causarum curie reverendi in Christo patris

domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ac facit citari publice in sala et audientia publica ipsius domini legati venerabilem in Christo patrem dominum Ladislaum episcopum Syrmiensem, ut ipse vel procurator suus, si quis est in eadem curia pro eodem, hoc sero, scilicet die XVII. mensis Decembris, compareat legitime ac peremptorie in dicta curia coram eo ad producendum et exhibendum omnia eius iura, litteras et instrumenta, que et quas producere et exhibere et quibus uti voluerit in causa, quam habet coram ipso domino auditore cum magistro Angelo de Narnia archidiacono Nitriensi in ecclesia Strigoniensi et suo procuratore, super solutione pecunie locationis dicti archidiaconatus Nitriensis; etsi nichil produxerit seu exhibuerit ad concludendum in dicta causa, vel ad dicendum, quare concludi de iure non debeat. Alioquin contra ipsum, et ad conclusionem dicte cause et alias in ea procedetur ulterius, prout de iure fuerit procedendum, ipsius absentia non obstante. Datum Posonii, die supradicto Mercurii, XVII. Decembris, statim post missam et ante tertiam.

(Accusatio contumacie rei.)

Die predicto Mercurii, XVII. dicti mensis Decembris, in vesperis, comparuit dictus magister Philippus coram dicto domino auditore, et predicti domini episcopi contumaciam accusavit, petens ad conclusionem dicte cause procedi et alia, que ipsius merita exigunt, secundum iustitiam, dicti episcopi absentia non obstante.

(Conclusio.)

Sed quia dictus dominus episcopus nec per se comparuit, nec per alium, usque post vesperas dicti diei expectatus, dictus dominus auditor reputavit eum merito contumacem, et presente dicto magistro Philippo et petente, ac renunciante omnibus productionibus et probationibus faciendis imposterum in dicta causa, per eum repetita primitus productione omnium suorum iurium pro eo, nomine quo supra, facientium in causa prefata, in dicta causa conclusit, et pro concluso habere voluit in futurum.

(Commissio proferendi sententiam.)

Die Veneris, XVIIII. predicti mensis Decembris, predicte VII. indictionis, apud Posonium, reverendus pater et dominus noster dominus G.[2]

1 Gentilis.
2 Gentilis.

Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, facta sibi relatione solenni per dictum dominum Philippum auditorem suum de hiis, que actitata sunt in causa predicta a principio eius usque ad hodie, commisit et mandavit eidem, ut Deum habens pre oculis, ad decisionem et sententiam in dicta causa procedat, quam secundum iustitiam viderit expedire, iuris ordine in prolatione sententie huiusmodi et aliis, que occurrerint, semper salvo. Actum in camera dicti domini legati, presente magistro Philippo procuratore prefato, presentibus quoque testibus venerabili et religioso viro fratre Ladislao abbate, fratre Martino preposito et fratre Paulo, monachis monasterii santi Martini de sacro monte Pannonie, fratre Petro de Lana capellano dicti domini legati et aliis.

(Commissio citationis ad sententiam.)

Die Lune, XXII. Decembris, predicte indictionis, ante tertiam, in sala seu audientia publica dicti domini legati, multis personis inter prelatos, religiosos et clericos seculares ac alios ibi presentibus et audientibus, presente dicto domino auditore et mandante, citatus et vocatus est alta voce dictus dominus episcopus per me notarium supradictum in hunc modum:

(Citatio episcopi ad sententiam.)

Mandat dominus Philippus de Sardinea canonicus Arborensis, capellanus ac generalis auditor reverendi in Christo patris et domini domini fratris G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, ac facit citari publice in audientia publica et sala prefati domini legati venerabilem patrem dominum Ladislaum episcopum Syrmiensem, ut die Mercurii, scilicet quarta feria proxime nunc ventura, mane hora tertie ipse dominus Ladislaus, vel quelibet alia persona legitima pro eodem in sala predicta compareat peremptorie coram ipso domino auditore ad audiendam sententiam, quam ipse dominus auditor proferre intendit et dare in causa, que vertitur coram ipso inter magistrum Angelum de Narnia archidiaconum Nitriensem in ecclesia Strigoniensi et magistrum Philippum de Cingulo substitutum procuratorem ipsius ex parte una, ac ipsum dominum Ladislaum ex parte altera, super solutione pecunie locationis predicti archidiaconatus, et aliis, que idem procurator magistri Angeli petiit ab eodem domino Ladislao coram ipso domino auditore. Alioquin ipse dominus auditor ad prolationem dicte sententie, prout iustum fuerit,

[1] Gentilis.

procedet, eius absentia non obstante. Datum Posonii, die Lune, XXII. mensis Decembris, VII. indictionis.

(Citatio alterius partis ad sententiam.)

Item eodem die et in eodem loco, dictus dominus auditor mandavit dicto magistro Philippo, nomine quo supra, quod predicta quarta feria ante tertiam compareat peremptorie coram eo ad audiendum sententiam supradictam, alioquin ad prolationem eius procedet, eius absentia non obstante.

(Presentatio actoris ad sententiam.)

Die Mercurii, XXIIII. mensis predicti Decembris, predicte indictionis, in tertiis, in sala et audientia publica dicti domini legati magister Philippus substitutus procurator predictus comparuit coram dicto domino auditore, et predicti domini episcopi contumaciam accusavit, petens cum instantia diffinitive pronunciari et sententiam ferri in dicta causa, dicti episcopi absentia non obstante, ac de expensis factis et faciendis in eadem causa protestans.

(Pronunciatio contumacie.)

Eodem die et eadem hora dictus dominus auditor reputavit dictum dominum episcopum, usque ad horam tertie dicti diei expectatum et non comparentem per se vel per alium, fore merito contumacem; et in contumacia eius statim eadem hora sententiam protulit in scriptis, cuius tenor per omnia talis est:

In nomine Domini amen. Inter venerabilem patrem dominum Ladislaum episcopum Syrmiensem ex parte una et Cambium procuratorem discreti viri magistri Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis in ecclesia Strigoniensi ex altera, coram nobis Philippo de Sardinea canonico Arborensi, auditore causarum reverendi patris et domini domini G.[1] Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, super certa quantitate pecunie orta materia questionis, magister Philippus de Cingulo substitutus a predicto Cambio libellum obtulit in hac forma: Coram Vobis &c. Lite itaque coram nobis legitime contestata, prestitoque hinc inde calumpnie iuramento, factis quoque positionibus et ad ipsas responsionibus subsecutis, datis articulis, et productis instrumentis et aliis, que partes producere voluerunt, tandem in causa, parte altera

1 Gentilis.

concludente in ipsa causa, in partis alterius contumacia habuimus pro concluso. Nos itaque diligenter visis et auditis partium iuribus, rationibus et probationibus, investigatis quoque ad plenum et cognitis ipsius cause meritis, et equa iustitie lance discussis, factaque predicto domino legato relatione fideli, deliberatione insuper nobiscum et cum peritis prehabita diligenti, Dei nomine invocato, prefato magistro Philippo procuratore presente, et ferri sententiam cum instantia postulante, atque dicto domino Ladislao contumaciter absente, citato tamen legitime, cuius absentia Dei presentia repleatur, eundem dominum Ladislaum in quinquaginta tribus marcis argenti, octo soldis Venetorum grossorum pro marca qualibet computatis, quas idem Philippus, procuratorio nomine quo supra, petiit in libello, nomine sortis, et in triginta quatuor marcis et dimidia, quamlibet, ut predicitur, computando, pro rata contingente debitum non solutum nomine pene dicto Philippo, procuratorio nomine quo supra, de ipsius domini legati speciali licentia et mandato, in hiis scriptis sententialiter condempnamus, et ad ipsarum solutionem cogendum esse decernimus. Condempnantes predictum dominum Ladislaum nichilominus in expensis litis, ipsarum taxatione nobis in posterum reservata.

Lecta, lata et pronunciata fuit dicta sententia per dictum dominum Philippum auditorem, in sala curie dicti domini legati, Posonii, presente dicto magistro Philippo procuratore, et dicto domino Ladislao episcopo contumaciter absente, anno Domini MCCCVIIII. pontificatus domini Clementis pape V. anno V., die Mercurii, XXIIII. mensis Decembris, hora tertie, septime indictionis, presentibus discretis viris presbytero Ceccho de Monte Sancto, dompno Johanne de monte sancti Martini, domino Johanne Ultramontano, Salvo de Perusio et Angelo de Assisio, capellanis et clericis, Philipputio de Cingulo et Puzarello de Mevaneá, familiaribus dicti domini legati, Adriano familiari domini archidiaconi de Ozd in ecclesia Transilvana, et aliis pluribus testibus.

(Petitio expensarum.)

Item eodem die et in eodem iudicio magister Philippus procurator predictus produxit quandam cedulam, per quam ostendebat expensas esse pro parte sua in dicta causa usque in hodiernum diem, tam per ipsum, quam per dictum Cambium principalem procuratorem, viginti sex marcas et tres fertones, in quibus petiit dictum dominum Ladislaum restituendis compelli.

(Taxatio expensarum.)

Qui dominus auditor, taxatione premissa per eum ad viginti quatuor marcas, et iuramento recepto ab eisdem Cambio et magistro Philippo, quod tantum in causa expenderunt predicta, sententiando declaravit, dictum dominum Ladislaum teneri ad predictas viginti quatuor marcas pro expensis litis magistro Philippo, procuratorio nomine quo supradicto. Aliis omnibus supradictis in suo robore nichilominus duraturis.

(Terminus ad solvendum totum.)

Item eodem die, loco et hora, ad petitionem dicti magistri Philippi, procuratorio nomine quo supra, predictus dominus auditor assignavit terminum dicto domino Ladislao absenti, ad solvendum dicto magistro Philippo procuratori, tam dictas quinquaginta tres marcas de sorte et debito, quam triginta quatuor et mediam nomine pene, ut in supradicta sententia continetur, quas etiam predictas viginti quatuor marcas pro expensis, sicut predictum est, usque ad initium quadragessime proxime future et peremptorie.

LXVII.

1309. 29. (?) Junii. Budæ.

Prælati regni Hungariæ Carolum regem corona nova, per cardinalem Gentilem benedicta, coronatum esse testantur.

(Arch. Vat. C. Fasc. 40. Nr. 8.)

Nos Dei gratia Thomas Strigoniensis, Petrus Spalatensis, Vincentius Colocensis ecclesiarum archiepiscopi, Benedictus Vesprimiensis, Haab Vaciensis, Emiricus Varadiensis, Johannes Nitriensis, frater Augustinus Zagrabiensis, Ladislaus sancti Irinei,[1] Petrus Quinqueecclesiensis, Martinus Agriensis, Benedictus Chanadiensis et frater Gregorius Boznensis ecclesiarum episcopi ad perpetuam rei memoriam. Sua factis insignibus iura propellimus, si ab eis, ne labantur cum tempore, providemus, ut ad laudis preconium nostro ministerio certum habere valeat grata posteritas argumentum; quod tanto studiosius agi necesse est, quanto, quod geritur, patet publicis utilitatibus convenire. Postquam enim soluto iustitie publico

1 Id est Syrmiensis.

vinculo, diversis cepit regnum Ungarie languere periculis, ante hos novem ferme annos regale diadema, quod a summo pontifice sancto Stephano gentis eiusdem primo regi destinatum, et ab eo transmissum in posteros, in Albensi ecclesia cum summa diligentia servabatur, quo etiam ipsius gentis reges consueverat, succedentes sibi iure legitimo, coronari, inproba temeritate ab eadem ecclesia violenter ereptum, ac per diversas manus non sine multo eiusdem regni discrimine devolutum, adhuc privata violentia occupatum detinetur. Cumque autem ipsius recuperationem nulla sollicitudo potuisset perficere, tandem reverendus pater dominus frater Gentilis tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, sedis apostolice legatus, cernens, quod ob ipsius carentiam, cui multum reverentie atque auctoritatis ex dicti regni incolarum opinione defertur, quasi in eo sit ius regium constitutum, unde et detentores *(sic)* ipsius audacia cresscere et regie dignitati poterit plurimum derogari, omnium nostrorum itemque baronum regni Ungarie consilio et assensu, idem diadema, donec sic occupatum existeret, ne cum eo reges coronarentur aut possent coronari, penitus interdixit. Ac ne semel data eidem genti sedis apostolice in prefato diademate benedictio tali presumptione deficeret, idem dominus legatus ex nostro et baronum beneplacito et assensu, egregio opere ex auro et lapidibus pretiosis novum fecit diadema parari. Quod etiam cum magna solempnitate coram cleri et populi numerosa frequentia tertio idus Junii, id est in die festivitatis beati Barnabe apostoli,[1] per ipsum dominum legatum cum missarum solempniis benedictum et sacro per nos tactum est crismate, ut tali...... novum hoc illi antiquo, dum sic detinetur, succederet vel accederet...... ac...... idem eademque potestatis gratia nossceretur, ipsumque regno et domino regi Karulo illustri Ungarie nomine Romane ecclesie contulit et donavit ad opus coronationis regis Ungarie, iuxta morem antiquum, in prefata Albensi ecclesia perpetuo conservandum. Cum quo etiam predictus dominus Karolus illustris...... [sequenti dominica, scilicet decimo septimo kalendas] Julii[2] cum magno prelatorum, baronum et nobilium, cleri populique tripudio per meas Strigoniensis archiepiscopi manus ad.......... de voluntate et assensu nostri et baronum extitit feliciter coronatus. In cuius rei testimonium sigilla nostra duximus presentibus impendenda. Datum Bude, [III?] kalendas Julii, anno Domini MCCCVIIII. pontificatus domini Clementis pape quinti anno quarto.

---

[1] 11. Junii.
[2] 15. Junii.

A tergo manu coæva: Approbatio et ratifficatio coronationis domini Karoli regis Ungarie per prelatos dicti regni Ungarie. Datum anno Domini MCCCVIII. *(sic)* Pontificatus domini Clementis anno IIII.

Orig. vitiatum in membrana, 13 sigilla pendentia desunt.

LXVIII.

1309. 13. Augusti. Budæ.

Cardinalis Gentilis testes in causa Angeli de Narnia archidiaconi Nitriensis contra Ladislaum episcopum Syrmiensem per Johannem præpositum de Ku et Paulum lectorem Colocensem citari et interrogari mandat.

(Vide supra pag. 359.)

LXIX.

1309. 20. Augusti. Budæ.

Cardinalis Gentilis renunciationem Thomæ archiepiscopi et capituli Strigoniensis de decimis, a monialibus s. Claræ Tyrnaviensibus exigendis, confirmat.

(Arch. regnic. Hung. Dipl. n. 1738.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiabus . . . [1] abbatisse et conventui monasterii sancte Marie de Tirna, ordinis sancte Clare, Strigoniensis diocesis, salutem in Domino. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod dilectus in Christo filius, frater Johannes guardianus loci fratrum Minorum de Tirna, procurator vester legitimus, venerabilem in Christo patrem dominum Thomam Dei gratia Strigoniensem archiepiscopum, necnon dilectos in Christo filios, capitulum Strigoniensis ecclesie, super eo, quod ipsi contra tenorem privilegii exemptionis, ordini sancte Clare ac personis ipsius ab apostolica sede concessi, decimas de possessionibus et bonis vestris per violentiam et contra iustitiam exigebant, fecit coram nobis auctoritate

1 Christinæ.

litterarum nostrarum ad iudicium in certo eis prefixo competenti termino evocari.[1] Cumque predicti archiepiscopus personaliter, capitulum vero per procuratorem legitimum coram dilecto in Christo filio, magistro Philippo de Sardinia canonico Arborensi, causarum nostre curie auditore, comparuissent in termino prelibato, eisque super predictis per dictum procuratorem vestrum oblato libello, tandem ipsius predicti privilegii tenore diligenter inspecto, prefatus archiepiscopus, volens Vos in vestris libertatibus iuxta tenorem ipsius privilegii indempniter, absque ulla refragatione, conservare illesas, concessit, quod Vos deinceps sibi ad solutionem decimarum minime teneamini; mandans universis officialibus suis, pro tempore constitutis, seu procuratoribus decimarum suarum quibuscumque, ut Vos ratione predicta non presumant aliqualiter molestare. Dicti vero capitulum, recognoscentes liquido, Vos a prestatione decimarum de possessionibus et bonis predictis exemptas fore, ac eis nullo modo ius esse petendi ac percipiendi decimas antedictas; sicque volentes bonam fidem, ut tenebantur, agnoscere, de ipsorum spontanea voluntate, ex certa scientia, non per errorem aliquem, liti et questioni cesserunt, expresse renunciaverunt, et confessi sunt, nullo modo deberi eisdem decimas memoratas; et ad plenam vestram et monasterii vestri cautelam et securitatem predicto fratri Johanni, vestro nomine, promiserunt, quod decimas vel aliquid nomine decimarum de possessionibus seu quibuscumque bonis, ad Vos et monasterium vestrum spectantibus quoquo modo, nullo tempore per se vel alium seu alios exigent, et quod iure percipiendi decimas ipsas imposterum nullo modo utentur nec fruentur, neque Vos aut monasterium vestrum, seu dictorum bonorum cultores aliquo modo molestabunt vel inquietabunt super prestatione decimarum ipsarum, sed ipsos dictumque monasterium permittent pacifice et quiete perpetuo possidere, percipere et habere; ac in omnibus et per omnia dictum exemptionis privilegium cum debita reverentia observabunt, prout in patentibus litteris, inde confectis, eorundem archiepiscopi et capituli sigillis munitis, plenius vidimus contineri. Quare nobis humiliter supplicastis, ut predictis confirmationis nostre munimen adicere dignaremur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super predictis ab eisdem archiepiscopo et capitulo provide factum est, ratum et gratum habentes, id, auctoritate qua fungimur, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenores predictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui tales sunt:

[1] Vide hanc causam superius sub n. LXII. pag. 298.

(Sequuntur literæ Thomæ archiepiscopi Strigoniensis, datæ 1. Martii a. 1309., mediantibus quibus decimas monialibus Tyrnaviensibus remittit. V. Knauz. Monum. ecclesiæ Strigon. II. pag. 596.)

Item:

(Sequitur concordia inter capitulum Strigoniense et moniales facta. Vide supra pag. 299.)

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Bude, XIII. kalendas Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

Nota cancellariæ in reclinatione membranæ: J. de Sancto G. *(Genesio).* Jo. Pon.

Orig. in membr. pulchre exaratum, cum fragmento sigilli e rubro et flavo serico pendentis.

LXX.

1309. 26. Augusti—17. Octobris. Budæ, Tyrnaviæ.

Cardinalis Gentilis bona episcopalia per Nicolaum cantorem Quinqueecclesiensem occupata restit et eundem cantorem excommunicari mandat.[1]

(Arch. Vat. Papi Avignonesi Vol. I. fol. 115—117.)

I.

In nomine Domini amen.

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, Nicolao cantori Quinqueecclesiensi spiritum consilii sanioris. Etsi generaliter ad regis et regni Ungarie statum reputandum salubriter, iuxta commissi nobis officii debitum, nostra incessanter vertatur intentio, specialius tamen ad illud invigilat, ut ecclesiarum indepnitatibus occurramus. Frequens siquidem et assidua tam capituli Quinqueecclesiensis ecclesie, quam aliorum undique de partibus Ungarie, ad nos concurrentium, nos querela circumstrepit, ac ab ipso nostre legationis ingressu clamosa insinuatio, quinimmo ipsa facti evidentia, que celari non potest tergiversatione aliqua, notum fecit, quod Quinqueecclesiensem ecclesiam, castrum, giobagiones,[2] decimas, ac alia bona, possessiones et iura ad ecclesiam prefatam spectantia, ca-

1 Conf. processum Quinqueecclesiensem pag. 126.
2 Jobagiones.

pitulum etiam ipsius ecclesie, necnon bona, possessiones et iura capituli pluriumque canonicorum, maxime prepositure, lectorie atque custodie prelibate ecclesie per Te tuosque complices in grave Dei obprobrium, iniuriam sancte Romane ecclesie, ipsius Quinqueecclesiensis ecclesie lesionem non modicam, mali exempli pernitiem et scandali plurimorum, licet in ea vel ad eam Tibi nullum ius competat, prout etiam nec pretendis, occupata et servili totaliter conditioni subacta, usque ad hec tempora dampnabiliter tenuisti, ad presens quoque tenes, dilapidas et consumis; quo fit, ut ecclesia eadem ad eam iam desolationem devenerit, quod reparari vix possit, et nisi celeriter succurratur eidem, ad irreparabilis desolationis obproprium deducetur in brevi. Licet autem ex causa, que iuste nos movit, hac maxime, ut dicti regis et regni reparatio liberius proveniretur, usque in presens tempus dissimulaverimus non sine multo cordis dolore predicta. Nolentes tamen ac etiam non valentes, tante et tam horrende notorieque nequitie malum conniventibus oculis pertransire ulterius: tenore presentium Te requirimus et monemus sub excommunicationis et privationis beneficiorum tuorum penis, districte precipiendo mandantes, quatenus infra tres dies, a tempore presentationis presentium computandos, quos Tibi pro primo, secundo et tertio termino perhemtorio assignamus, ecclesiam, castrum, decimas, ac omnia et singula bona predicta, tam ad episcopalem mensam, quam ad capitulum, prepositum, lectorem, custodem aliosque canonicos ecclesie predicte spectantia, que occupata detines, Quinqueecclesiensi capitulo vel maiori parti eiusdem, canonicis, sed residentibus, vel eorum maiori parti, nomine nostro recipientibus, cessante cuiuslibet appellationis diffugio, quam cum in casu huiusmodi sic notorii et evidentis excessus interponi iura prohibeant, in nullo Tibi volumus suffragari, plene ac libere restituas et assignes; ac ipsum vel deputatum ab eo deinceps prefatam Quinqueecclesiensem ecclesiam, castrum ac omnia et singula alia supradicta, nostro, ut predicitur, nomine tenere et possidere cum plena libertate, necnon ipsum capitulum in sua libertate permittas. Nos enim intendimus [de] statu ecclesie predicte consulere, et in ea vel ad eam et bona predicta se ius habere dicenti complementum iustitie facere, ac alias de ea et bonis predictis disponere, ut iustitia et ipsius ecclesie necessitas sive utilitas suadebit. Alioquin in Te excommunicationis sententiam in scriptis presentibus promulgamus, ad denunciationem et aggravationem ipsius, necnon ad privationem cantorie et aliorum beneficiorum tuorum et alias processuri, ut dictaverit ordo iuris. Hortamur preterea, peremptorieque monemus omnes et singulos,

qui tui fuerunt et sunt in occupatione et detemptione prefatis complices vel fautores, quod ab omni favore tuo circa predicta desistant, et quod nullus predictorum vel aliorum quorumlibet Tibi consilium, auxilium vel favorem in predictis, quocunque colore quesito, prebeat quomodolibet vel assistat. Omnes enim et singulos, qui contrafecerint animo pertinaci, excommunicationis sententie subiacere decernimus, contra eos etiam alias, ut expedire viderimus, processuri. Has autem litteras ad cautelam fecimus registrari, et de presentatione ipsarum relationi stabimus portitoris earum. Datum Bude, Visprimiensis diocesis, VII. kalendas Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

2.

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis, capitulo Quinqueeclesiensi, salutem in Domino. Noveritis nos magistro Nicolao Quinqueeclesiensi cantori quasdam dirigere litteras, tenoris et continentie infrascripte: Frater Gentilis &c. et sic finit: Datum Bude, Visprimiensis diocesis, VII. kalendas Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto, que quidem littere superius denotantur.[1] Quare tenore presentium Vobis committimus et in virtute obedientie, necnon sub interdicti pena districte precipiendo mandamus, quatenus predictas litteras, quas Vobis per Vos presentandas sibi transimus *(sic)* presentibus religiosis viris, prioribus fratrum Predicatorum et Heremitarum sancti Augustini, guardiano Minorum de Quinqueeclesiensi, ac aliis honestis personis, vel saltem aliquo vel aliquibus eorum, si non omnes habere poteritis ad hoc, per Vos vel aliquem seu aliquos vestrum vel aliquorum aliorum, cui vel quibus hoc committendum duxeritis, ex parte nostra cantori prefato, seu si ei eas, ipsius forsitan faciente malitia, presentari non posse contignet *(sic)*, apud ecclesiam sive domum, in qua habitare consuevit, publice presentetis, facientes de presentatione prefata confici publicum instrumentum vel litteras testimoniales predictorum religiosorum vel alicuius eorum, seu aliorum singulis, signatas predictarum litterarum nostrarum seriem, necnon diem, oram et locum presentationis prefate, et quicquid inde feceritis, illud seu illas nobis ad cautelam quam-

[1] Vide supra pag. 356.

citius transmissuri. Ecclesiam quoque, castrum, decimas, giobagiones ac alia omnia et singula supradicta, postquam Vobis nomine nostro iuxta mandati nostri ad ipsum directi tenorem recipientibus, expedita et libera, ut predicitur, firmiter restituta, tenentes dicto nomine et conservantes illesa, nemini detis vel assignetis, neque aliquem vel aliquos clericos vel laycos, cuiuscunque preheminentie, status aut conditionis existant, ad ipsa seu ipsorum aliquod admittatis, preter eum, cui danda et assignanda fore visa ac equa lance, examinata iustitia, cuiusvis se in illis vel ad illa ius habere dicentis ratione previa decernemus. Moneatis preterea et per censuram ecclesiasticam auctoritate presentium compellatis giobagiones, rusticos et vassallos dicte ecclesie, ac omnes et singulos alios, quecunque bona mobilia et immobilia se moventia et cuiusvis generis ad ecclesiam prefatam spectantia quocunque modo vel colore tenentes aut possidentes, et quoscunque predicte ecclesie debitores Vobis nomine nostro, ut predicitur, recepturis, de omnibus servitiis, omagiis, fructibus, redditibus, proventibus et debitis universis ad ecclesiam ipsam spectantibus integraliter respondere. Ut autem cantor predictus redire ad cor, nostraque predictis contenta litteris monita et mandata recipere et cum effectu implere, et si non amore virtutis, confusionis saltem rubore perteritus inducatur, pro primo, secundo et tertio termino peremptorio Vos requirimus et monemus sub excommunicationis in contradictores et interdicti in Vos penis, quas contradictores eosdem et Vos incurrere volumus ipso facto, precipiendo mandantes, quatenus cantorem eundem, si infra terminum tridui nostris litteris comprehensum plenam et liberam restitutionem ecclesie, castri, decimarum et omnium predictorum, Vobis nomine nostro recipientibus, forsan, quod absit, non fecerit, cum ex tunc dubium non sit ipsum excommunicationis fore mucrone percussum, tamdiu in maiori, si poteritis, Quinqueecclesiensi ecclesia, vel saltem in aliis ecclesiis et locis patentibus, in quibus ad divina vel alia congregari populus consuevit, et alibi, ubi expedire videritis, pulsatis campanis et candelis extinctis, singulis diebus dominicis festivitatibusque sollempnibus excommunicatum una cum suis fautoribus et complicibus publice nuncietis, ipsumque, et quos ipsius cognoveritis fautores et complices, evitetis et faciatis ab aliis artius evitari, donec gremio reintegratus ecclesie, satisfactionem debitam fecerit de predictis, et a nobis meruerit absolutionis beneficium optinere. Denique presentium Vobis tenore committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos giobagiones, rusticos et vassallos ipsius ecclesie, ac omnes et singulos alios, quorumcunque bonorum mobilium, immobilium, se moven-

tium vel iurium ad dictam ecclesiam pertinentium possessores et quomodolibet detentores ex parte nostra moneatis, ecclesiasticaque censura cogatis, quod cantori prefato vel alii seu aliis ipsius nomine, officialibus forsitan vel iudicibus deputatis seu deputandis ab eo, aut cuicunque alii ecclesiastice vel seculari persone cuiuscunque preeminentie aut status existat, preterquam Vobis vel deputandis a Vobis, de servitiis, homagiis, quibusvis prestationibus personalibus vel realibus, decimis, fructibus, redditibus, proventibus et quibusvis iuribus, ad ecclesiam prelibatam pertinentibus, in nullo respondeant, pareant vel intendant. Preterea monitione premissa, eadem auctoritate excommunicetis sollempniter omnes et singulos, cuiuscunque status et conditionis existant, qui giobagiones, rusticos vel alios supradictos ad respondendum eidem cantori, vel deputato seu deputando ab eo, de servitiis, homagiis, decimis vel aliis bonis predictis, vel ad parendum eidem in aliquo circa premissa, seu ad non respondendum Vobis de predictis et ad non parendum consiliis, minis, terroribus vel quibuscunque modis aut coloribus inducerent vel artarent. Nos enim sententias per Vos rite latas ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Has autem litteras ad cautelam fecimus registrari, et de presentatione ipsarum relationi stabimus portitoris earum. Datum Bude, Visprimiensis diocesis, VII. kalendas Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto.

3.

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis . . . priori fratrum Predicatorum, . . . guardiano Minorum et fratri . . . lectori Heremitarum sancti Augustini de Quinqueecclesiensi salutem in Domino. Noveritis nos magistro Nicolao cantori Quinqueecclesiensi quasdam direxisse litteras, que superius denotantur, que quidem littere sic incipiunt: Frater G. miseratione divina, tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, magistro Nicolao cantori Quinqueecclesiensi spiritum consilii sanioris &c. et sic finiunt: Datum Bude, Visprimiensis diocesis, VII. kalendas Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto &c. Capitulo quoque Quinqueecclesiensi quasdam ex parte nostra transmisimus litteras, inter cetera continentes, quod si cantor prefatus monita et mandata nostra sibi facta circa restitutionem ecclesie, castri et

aliorum in directis ad eum litteris, quod prefatas litteras, dicto cantori directas, eidem vel apud habitationem suam certo modo et ordine presentare deberent, quodque, si cantor prefatus monita nostra et mandata nostra sibi facta circa restitutionem ecclesie, castri, et aliorum, in directis ad eum litteris contentorum, infra terminum, in ipsis contentum litteris, efficaciter non implebit, cantorem eundem una cum suis fautoribus et complicibus in maiori, si possent, Quinqueecclesiensi ecclesia et alibi, ubi expedire viderint, excommunicatum publice nuncient, ipsumque evitent et ab aliis faciant artius evitari. Volentes autem, ut prelibatus cantor, invio iniquitatis obmisso, ad semitam redire virtutis eo ferventius velociusque cogatur, quo per plures et graviores excommunicatum denunciari se viderit et vitari; Vos et vestrum quemlibet presentium tenore requirimus, in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus sepedictum cantorem, postquam per Quinqueecclesiense capitulum vel maiorem partem ipsius seu per alios mandato eorum excommunicatum denunciatum esse, sive postquam per assertionem dicti capituli vel maioris partis ipsius ipsum cantorem monita et mandata circa restitutionem et dimissionem liberam predictorum in contemptum, quod absit, deducere ac despectui habere sciveritis, tamdiu in ecclesiis vestris ad divina, predicationes vel alia populo congregato et alibi, ubi expedire videritis, pulsatis campanis et candelis extinctis, per Vos vel alium seu alios excommunicatum publice nuncietis, ipsumque suosque fauctores et complices evitetis et faciatis ab aliis artius evitari, quousque eam, in quam elatus fuerit, obstinatione cessante, absolutionem humiliatus petierit et eam a nobis, satisfactione precedente debita, obtinebit. Datum ut supra &c.

4.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo nono, indictione VII., tempore domini Clementis pape V. anno quarto, die Veneris, X. mensis Octubris, reverendus pater et dominus dominus frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, in presentia venerabilium virorum, fratris Petri de Lana de Bononia ordinis Minorum, domini Philippi de Sardinia doctoris decretorum, Zucio de Collatzone Tudertine diocesis, archidiacono Strigoniensi, capellanis et eiusdem domini familiaribus, apud locum fratrum Minorum de Tirna, in camera ipsius domini mandavit mihi Johanni de

Mevania notario et familiari suo, in ipsius presentia existenti, quasdam litteras eidem domino presentatas ex parte Quinqueeclesiensis ecclesie capituli, ut dixit, sigillatas a tergo tribus sigillis variis et diversis, unum quorum erat forme rotunde de cera viridi, in quo sculta erat quedam ymago ad similitudinem navis stantis in mari et quedam alia ymago ad similitudinem hominis, in cuius sigilli circumstantia erant littere, que comode legi non poterant, alia erant unius forme, unum tamen magis maius altero, scilicet forme longe de cera rubea, in uno quorum, scilicet magno, sculta erat quedam ymago ad similitudinem cuiusdam fratris parati et plura alia infixa erant, prout in ipso apparet, in cuius sigilli circumferentia hec littere legebantur, scilicet: Sigillum Capituli Fratrum Predicatorum Quinqueecclesiensium; in reliquo autem infixa erat quedam ymago ad similitudinem cuiusdam castri, et in circumferentia ipsius sigilli hec littere apparebant, scilicet: Sigillum Fratrum Minorum Quinqueecclesiensium, transcribi et registrari; quas quidem litteras mihi notario memorato obtulit registrandas, presentibus testibus memoratis loco predicto, quarum litterarum tenor in proximo describetur.

Reverentissimo in Christo patri domino fratri Gentili divina miseratione tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato, domino eorum metuendo, capitulum Quinqueeclesiensis ecclesie subiectionem reverentie debitam cum orationum suffragiis devotarum. Sanctitatis Vestre duo paria litterarum, quorum unum Nicolao cantori Quinqueeclesiensi miseratis, iniungendo eidem sub pena excommunicationis et admissionis *(sic)* beneficiorum suorum, ut a receptione earum infra triduum ecclesiam Quinqueecclesiensem, castrum et bona episcopalia remitteret, et nobis nomine vestro recipientibus resignaret, alioquin sententia excommunicationis per Vos iam lata se sciret innodatum; aliud vero par nobis missum, in quo sub eisdem penis dedistis firmiter in mandatis, ut nos predictas litteras ipsi cantori missas exhiberemus eidem, et si intra prenominatum terminum predicta non resignaret, ex tunc eundem publice excommunicatum denunciare deberemus, de manu religiosi viri fratris Nicolai lectoris fratrum Heremitarum beati Augustini de Quinqueeclesiis in claustro eorumdem sexto kalendas mensis Octubris, ante horam misse, fratribus Predicatoribus et Minoribus in testimonium convocatis presentibus, recipimus cum reverentia, ut tenemur. Et post receptionem earumdem, eodem die statim post horam misse in camera ecclesie Quinqueeclesiensis cathedralis, sub testimonio fratrum Predicatorum, Minorum et Heremitarum

beati Augustini predictorum, prefatas litteras Sanctitatis Vestre, memorato cantori transmissas, exhibuimus eidem; litteras etiam vestras nobis destinatas, ipso cantore presente, de verbo ad verbum perlegi fecimus. Qui quidem cantor, audito tenore earumdem litterarum, litteras Dominationis Vestre sibi missas cum humilitate et reverentia devote recepit, et receptis eisdem, sic respondit: quod ipso eodem die de castro Quinquecclesiensi exiret, nec de cetero in idem castrum reverteretur; set tamen ipsum castrum, sicut Paternitati Vestre se pluries dixisse asseruit, cum apud Vos fuisset, alii vel aliis reddere posse non haberet, nisi illi, qui sibi ad tenendum commisisset. Dixit etiam, quod quanto citius posset, personaliter ad Vos accederet festinanter, et ea omnia, que sibi rite et legitime iniungeretis aut iniunxissetis, licet, ut asseruit, ad id non teneretur eo, quod iam contra Vos appellasset, tamen ut sancte matri ecclesie obedire videretur, pro suo posse facere promtus esset et paratus, preter ista, quod predictum castrum alii reddere non posset, nisi illi, qui sibi commisit; et quod Petrum episcopum pro domino suo et episcopo non teneret, quod etiam Budam ad vocationem vestram accedere non auderet; dixit etiam idem cantor, quod appellationem suam contra Vos factam finaliter prosequeretur, nec a prosecutione eiusdem desisteret ullo modo. Et hiis dictis, ipse cantor, recedens de Quinquecclesiis, eodem die post prandium ivit ad magistrum Henricum dominum suum. Et quamvis premissa, que Paternitas Vestra eidem facienda iniunxerat, verbaliter se facturum promisisset; quia tamen infra spatium prenominati termini opere non complevit: nos, tanquam filii obedientie, ne mandati vestri inveniremur transgressores, post ipsum triduum sequenti die, videlicet in festivitate beati Michaelis archangeli, de claustris fratrum Predicatorum, Minorum et Heremitarum beati Augustini prioribus et guardiano cum aliis fratribus sibi adiunctis, in testimonium convocatis, aliisque quam pluribus laycis hominibus sexus utriusque presentibus, in ecclesia beati Bartholomei apostoli Quinquecclesiensi hora misse, pulsata campana et extinctis candelis, eundem Nicolaum cantorem denunciavimus publice excommunicatum, sicut Vestra Paternitas nobis dedit in mandatis. Preterea noverit Vestre Paternitatis dominatio, quod venerabilis in Christo pater dominus Petrus episcopus Quinquecclesiensis, prelatus noster, per litteras suas, que nobis cum premissis litteris vestris in premisso die et loco presentationis earumdem fuerunt exhibite, imposuit nobis iniungendo, ut taxationem anni secundi pro vestra procuratione, per venerabilem in Christo patrem dominum archiepiscopum Strigoniensem ecclesie Quinquecclesiensi et diocesi eiusdem impositam,

eandem videlicet pecunie quantitatem, que primo anno adventus vestri in regnum Ungarie imposita fuerat, usque octavas Passce solveremus ac solvi faceremus. Super quo Dominationi Vestre sic compellimur querelari, quod tota diocesis Quinqueecclesiensis citra fluvium Drave, et nos cum ceteris propter constitutionem Paternitatis Vestre, pro redditione ac restitutione iurium seu bonorum regalium et reginalium,[1] necnon pro fidelitate domino regi impendenda[2] factam, a Sabbato proximo post festum exaltationis sancte crucis[3] incipiendo, adeo sententiam interdictum *(sic)*, quod nec in ecclesiis religiosorum nec secularium divina celebrantur aut pulsantur campane vel officia exercentur sepulture; et sic sacerdotes seu officiatores ecclesiarum earumdem non tantum obventionibus privantur consuetis; verum etiam tum propter observationem premissi interdicti, tum etiam ob publicationem sententie in predictum cantorem, de mandato Sanctitatis Vestre per nos factam, a potentia laycali firmiter est iniunctum, ut et nos et sacerdotes ecclesiarum, vel qui essent aut fuissent in predicta diocesi officiantes ecclesias, omnibus bonis, tam de patrimoniis, quam ex cultura vinearum vel agrorum, iusto labore reportatis, indifferenter et sine misericordia spolientur. Nos quidem, qui de possessionibus et mansionibus nostris sumus miserabiliter excludendi, et rebus nostris ac bonis omnibus spoliandi, insuper, quod est gravius, pericula personarum nostrarum die noctuque formidabiliter prestolamur. Restat ergo nobis, Domine Reverendissime, Dominationi Vestre querelari supplicando, supplicare querelando, quod ipsam taxationem propter pericula et causas premissas pro parte nostra solvere et de parte diocesis antedicte solvi facere, facultatem non habemus. Presentes autem iuxta tenorem premissarum litterarum Dominationis Vestre sigillis conventuum fratrum Predicatorum, Minorum et Heremitarum beati Augustini de claustris Quinqueecclesiensibus in testimonium petivimus et obtinuimus sigillari, ac Vestre Paternitati mittere fideliter curavimus, de quarum presentatione fidem facimus portitori, et earumdem litterarum tenorem penes nos facimus reservari. Datum pridie kalendas mensis Octubris, anno Domini millesimo trecentesimo nono.

---

1 V. Constitutionum cap. IV. pag. 275.
2 V. cap. II. pag. 272.
3 20. Sept. a. 1309.

LXXI.

1309. 2. Septembris. Budæ.

Cardinalis Gentilis canonicos et capitulum ecclesiæ Transsilvanensis in quæstione electionis episcopi per priores Prædicatorum et Heremitarum de Alba Julia citari mandat.

(V. supra pag. 163.)

LXXII.

1309. 10. Novembris. Posonii.

Constitutiones cardinalis Gentilis regno Poloniæ datæ. [1]

(Archiv. Vat. Registrum Clementis VI. commun. anni V. lib. II. pars II. fol. 86—88. No. CXV.)

Ad perpetuam rei memoriam. Hiis, que interdum pro libertate ac utilitate ecclesiarum, ac earum prelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum, presertim per legatos sedis apostolice a latere missos, ut status ecclesiarum et prelatorum ac personarum predictorum magis decorus et honorabilis perseveret, tam provide quam salubriter statuuntur et etiam ordinantur, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem, ut illa perpetuo futuris temporibus illibata consistant, que nostro fuerint presidio communita. Sane petitio pro parte venerabilis fratris nostri Apetzconis episcopi Lubucensis [2] nobis nuper exhibita continebat, quod dudum bone memorie Gentilis tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, in regno Ungarie ac provincia Polonie, infra quam ecclesia Lubucensis existit, ac quibuscunque aliis terris eidem regno adiacentibus auctoritate sedis apostolice plene legationis fungens officio, in concilio videlicet per eum apud Posonium, Strigoniensis diocesis, constitutum, in dicto regno Ungarie celebrato, nonnullas constitutiones pro libertate ac utilitate ecclesiarum ac earum prelatorum, et aliarum personarum ecclesiasticarum, infra fines legationis sue consistentium, edidit utiles et salubres, inhibitiones, prohibitiones, decreti interpositiones, ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, et nonnullas penas alias continentes, prout in litteris prefati cardinalis inde confectis, ipsius sigillo munitis, quarum quidem constitutionum certa capitula de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, conti-

---

[1] Constitutiones Polonis datæ tantum in transsumpto Clementis papæ VI. de anno 1347. 2. Septembris adsunt. In his constitutionibus, exceptis duobus capitulis, eadem continentur, que in superioribus, regno Hungariæ datis (p. 268). In sequentibus damus confirmationem Clementis VI. (typis minoribus), titula capitulorum et duo capitula in extenso, que non reperiuntur in præcedentibus constitutionibus.

[2] Non reperitur inter episcopos Lubucenses.

nentur. Quare pro parte dicti episcopi nobis extitit humiliter supplicatum, ut capitula predicta et omnia in eis contenta, cum prefate littere timeantur vetustate consumi, fulcire apostolico munimine dignaremur. Nos igitur ecclesias et earum prelatos et personas ecclesiasticas predictos in suis libertatibus ac utilitatibus, quantum cum Deo possumus, confovere volentes, ipsius episcopi supplicationibus inclinati, capitula predicta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Tenores autem dictorum capitulorum tales sunt:

In nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCCIX. indictione septima, pontificatus domini Clementis pape V. anno quarto. Incipiunt constitutiones edite per reverendum patrem dominum Gentilem Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem. in regno Ungarie, Polonie, ac partibus illi conterminis apostolice sedis legatum. Et primo

Prohemium super statu.[1]

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, ad futuram rei memoriam. Diversa medici morborum varietati medicamenta propinant, et ipsorum morborum qualitatibus, secundum artis peritiam, efficacibus remediis exquisitis, aliquibus gravioribus ferrum adhibent, quibusdam ignem adiiciunt, aliis vero, qui levi possunt fomento sanitatem recipere, facilia medicamentorum antidota subministrant. Sic et dominus noster Jesus Christus, sub figura Samaritani, medici formam assumens, vulneribus infundit vinum et oleum sauciati.

Nos itaque ad regnum Ungarie ac partes Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomerie, Galatie Cumanieque partes, regno ipsi conterminas, ab eo, qui pacifici regis et summi medici locum tenet in terris, cum plene legationis officio, licet immeriti, destinati, attendentes Polonie predicte provinciam, post regnum ipsum nobiliorem dicte legationis partem, in infirmitatibus variis et gravibus laborare, ac propterea, informati exemplo domini Jesu, medicorum precipui, diversitati infirmitatum huiusmodi, etsi non omnibus, tamen magis letalibus, cupientes diversas et congruas adhibere medelas, infrascriptas constitutiones, auctoritate qua fungimur, duximus promulgandas.

[1] Conf. Prohemium pag. 268.

I. *De non offendendis prelatis.*

(V. cap. V. pag. 277.) Publicata Posonii, IIII. idus Novembris.

II. *Ut nulla ecclesiastica persona prebeat auxilium, consilium vel favorem alicui laico contra ecclesias, ecclesiasticasve personas.*

(V. cap. VI. pag. 279.) Publicata ut supra.

III. *Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici.*

(V. cap. VII. pag. 279.) Publicata ut supra.

IV. *De non occupandis, et occupatis restituendis bonis ecclesiasticis.*

(V. cap. VIII. pag. 280.) Publicata ut supra.

V. *De pena publicorum concubinariorum.*

(V. cap. X. pag. 282.) Publicata ut supra.

VI. *De prohibita depredatione.*

(V. cap. XIII. pag. 284.) Publicata ut supra.[1]

VII. *De hiis, qui contumaciter sustinent excommunicationem.*

(V. cap. XV. pag. 287.) Publicata ut supra.

VIII. *Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur.*[2]

Ut fides catholica, que scissuram erroris cuiuslibet aspernatur, nullius scismatis vel fermento pravitatis heretice maculetur, de consilio et assensu presentis concilii perpetuo prohibemus edicto, ut nullus nostre legationi subiectus, qui vult reputari et haberi catholicus, presumat de cetero heretico Patareno, Gazaro scismatico, vel alteri fidei christiane contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasis, Littuanis, in errore manentibus, qui, sicut fidedignorum testimonia protestantur, in diminutionem catholice fidei, opprobrium Jesu Christi et sacrosancte Romane ecclesie, que est vere fidei fundamentum, non solum sacri baptismatis reiterant sacramentum, verum alia catholice ecclesie salutifera sacramenta dampnabiliter contempnentes, habent despectui, ipsorum veritatem, in qua fidelibus salus datur, abnegant, et eis diversis modis et variis iniuriam irrogare conantur, filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare, cum hoc sit in predicte fidei christiane detri-

---

1 In hoc capitulo Poloniæ dato, ubi dicitur: *Cum itaque in regno Ungarie*, additur: *ac provincia Polonie.*

2 Constitutionem hanc etiam in Hungaria editam fuisse et ibi vigorem habuisse testantur litteræ cardinalis Gentilis de a. 1309. 25. Decembris datæ, quibus Ladislaum woivodam Transsilvaniæ, qui regalia bona occupata non restituerat et filiam suam filio Stephani regis Serviæ, schismatico, matrimonialiter copulare voluerat, excommunicat. (V. infra pag. 369.)

mentum non modicum et iacturam. Nam, sicut didicimus ab experto, viri, ab unitate fidei catholice separati, uxores suas, quantumvis catholicas, instigante diabolo, ad infidelitatis errorem trahunt potius, quam trahuntur. Qui vero contra inhibitionem presentem filiam, neptem, vel consanguineam suam predictis pestiferis hominibus, qui, quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino salvatur, nituntur confundere, dederit, vel danti consenserit, vel ex proposito et scienter huiusmodi scelestibus nuptiis astiterit, mulier etiam data vel tradita, que eisdem consenserit, cum per hoc in christiana religione scissuram et maculam ponere satagat, ac per hoc heretice pravitati favere, eo ipso excommunicationis mucrone percussum se noverit, et ecclesiastica sepultura privatum. Volumus autem, et in virtute obedientie districte precipimus archiepiscopo vel episcopo, in cuius diocesi contemptor huiusmodi moram trahit, quod eum excommunicatum denunciet, et ab omnibus evitandum; et si infra mensem corde contrito et humiliato non redierit ad ecclesie unitatem, de tanta iniuria irrogata nomini christiano et fidei orthodoxe condignam satisfactionem et debitam impensurus, ex tunc contra eum, tanquam contra fautores et inimicos fidei christiane, procedatur iuxta sanctiones canonicas et civiles. Publicata ut supra.

IX. *De observantia mandatorum apostolice sedis et legatorum ipsius.*

Cum apostolica sedes ad obedientiam omnibus singulari privilegio preponatur, dolemus, quod quidam, quos termini nostre legationis includunt,[1] bonum obedientie pervertentes, ipsius apostolice sedis vel etiam legatorum eius, qui in decreta sibi provincia secundum in obedientia et reverentia locum tenent, ipsius obedientie, debito inreverenter subtracto mandato, sive in recipiendis canonicis, sive in custodiendis sententiis, sive in quibusvis preceptionibus observandis, aliorum dampnabiliter voluntatem preponunt, et non attendentes, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatrie nolle aquiescere pene, inobedientie debite se supponunt, quod in terra Polonie maxime per nonnullos episcopos et capitula, que presertim pro aliquibus recipiendis canonicis, nisi de suorum superiorum voluntate procedat, ab eadem sede vel legato ipsius directis litteris obedire contempnunt, factum esse frequentius nostris auribus est relatum. Proinde nostro commissos regimini in bono perfecte obedientie, sine qua infidelis quisque convincitur, etiam si fidelis esse videatur, observari ferventi desi-

1 Ex his verbis et ex toto tenore clarum est, hanc constitutionem etiam in Hungaria viguisse.

derio affectantes, monemus omnes et singulos, archiepiscopum, episcopos, electos, abbates, priores, ecclesiarum quoque capitula predicte terre Polonie, ut non obstante suorum superiorum voluntate contraria, dicte sedis legatorumque ipsius mandata sic reverenter recipiant, et obedienter adimpleant, quod meritum obedientie non admittant *(sic)*, scituri, quod si mandata huiusmodi per inobedientie vitium non duxerint adimplendum, eos taliter puniemus, quod pena docente, cognoscent, quam grave sit eorum iussionibus contraire. Publicata ut supra.

Datum Posonii, IIII. idus Novembris, pontificatus domini Clementis V. anno quarto.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Auinione, IIII. nonas Septembris,[1] anno quinto.

LXXIII.

1309. 25. Decembris. Posonii.

Cardinalis Gentilis Ladislaum woyvodam Transsilvaniæ excommunicat.

(Arch. Vatic. Instrum. miscell. C. Fasc. 40. n. 12.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ad regnum Ungarie ac partes illi conterminas per apostolicam sedem cum plene legationis officio destinati, volentes, prout ex ipsius debito tenebamur officii, ad reformationem eiusdem regni, ex multiplicium guerrarum et dissensionum dissidiis deformati enormiter, ac pacificum et tranquillum statum magnifici principis domini Karoli regis Ungarie illustris, ac personarum in eodem regno degentium, intendere studio vigilanti, de consilio et assensu olim per nos Bude prelatorum et baronum congregati concilii quasdam pro ipsorum regis et regni, ac libertatis ecclesiastice statu constitutiones edidimus, per quarum unam precipuam[2] duximus inhibendum, ut nullus regalia vel reginalia dicti regis ex tunc occupare aut usurpare, vel occupata aut usurpata illicite detinere presumeret. Irrefragabiliter statuentes, quod omnes et singuli, qui

[1] 2. Septembris, a. 1347.
[2] Vide Constitutionum cap. IV. pag. 275.

dicta regalia vel reginalia occupaverant, vel tunc occupata tenebant, dicto regi restituerent infra trium mensium spatium, si non requirerentur, infra decem vero dies, postquam super hoc a dicto rege, vel ex parte ipsius requisiti forent, et eum permitterent libere, quiete ac pacifice possidere, si notam infidelitatis et penam vellent quomodolibet evitare. Qui vero predicta regalia vel reginalia occuparent vel usurparent de cetero, seu occupata vel usurpata, ut premittitur, non restituerent, nisi de voluntate regis eiusdem, ac nostra, quamdiu legationis fungeremur officio, alioquin prefati regis et consiliariorum, vel maioris partis ipsorum, ipsa vel ipsorum aliquod retinerent, vel inter ipsum regem et detentorem huiusmodi aliter secundum regni morem ordinatum foret, clericus aut laicus, cuiuscunque preminentie, dignitatis aut status vel religionis existeret, etiam si archiepiscopali vel episcopali dignitate fulgeret, non obstantibus quibuslibet privilegiis et indulgentiis, eis vel ipsorum ordinibus ab apostolica sede concessis; vel qui, ne predicta regalia vel reginalia occupata restituerentur dicto regi infra terminum antedictum, daret consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, si foret singularis persona, excommunicationis, si universitas vel collegium, interdicti sententias incurrerent ipso facto, quas si per mensem, a lapsu pretaxati termini numerandum, sustinerent animo contumaci, omnes vassalli sui, comites, castellani, iudices, iobagiones, et quivis alii, a fidelitate, homagio et qualibet alia prestatione, qua eis tenebantur astricti iuramento aut alia firmitate vallata, essent absoluti et liberi eiusdem auctoritate decreti. Et si eis in tanta obstinatione manentibus adhererent post lapsum predicti termini quoquomodo, quia favere ipsis in obstinatione huiusmodi videbantur, excommunicationis essent vinculo innodati, et nichilominus eorum et dictorum detentorum morientium corpora, qui sine debita satisfactione decederent, sepultura privavimus christiana, districte precipientes clericis et prelatis, exemptis et non exemptis, etiam si de Predicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini ordinibus essent, cuiuscunque dignitatis aut conditionis existerent, quod nullus auderet morientium talium tumulare corpora, vel eorum tumulationi quomodolibet interesse. Si quis autem contravenire temptaret, si clericus secularis esset, omnibus ecclesiasticis beneficiis, cum nota infamie, constitutionis eiusdem esset auctoritate privatus. Si quidem regularis, pro tanta inobedientia carcerali custodie condempnatus, excommunicationis se nosset vinculo innodatum, et loca nichilominus, in quibus talium sepelirentur corpora, ecclesiastico forent supposita interdicto. Quicunque vero laicorum sepedicto regi ad recuperanda bona predicta, requisitus ab eo fideliter

assistere, ipsumque recusaret iuxta debite fidelitatis obsequium adiuvare, sciret se dictis penis et sententiis subiacere. Sane inter desiderabilia cordis nostri nil magis nostro accedit affectui, quam ut fidei catholice puritas ubique terrarum, sed precipue in terris et locis legationis ipsius, in quorum aliquibus multum exorbitare dicitur fides ipsa, ad Dei gloriam, sancte Romane ecclesie, nostrique iocunditatem affectus ampliari valeat, ac macula pravitatis heretice de terris et locis eisdem, que pravitatis ipsius plurimum infecta noscuntur, per sollicitudinis nostre studium deleatur; per huiusmodi namque macula irretitos, eorumque scientiam seducentem, mundus inficitur, et gregi fidelium per oves morbidas gravior infligitur corruptela. Ad notitiam siquidem nostram olim, dum adhuc Zagrabie moraremur,[1] ante nostrum adventum Budam, veridica relatione perlato, quod inter nobilem virum Ladislaum wayvodam Transilvanie et dominum Stephanum regem Servie tractatus habitus fuerat de filia ipsius Ladislai, catholica quidem, et ex catholicis orta parentibus, . . . filio regis eiusdem, a prefate fidei devianti rectitudine, matrimonialiter copulanda. Nos attendentes, quod non erat decens, nec expediens, ut filii obedientie cum inobedientie filiis per alicuius coniunctionis commercium miscerentur, cum per hoc de facili posset ipsorum obedientium fidei sinceritas violari, nostraque interesset super hiis tam in dicte favorem fidei, quam ex officii prefati debito, de oportuno remedio providere, prefatum Ladislaum excitandum, amice, fraterne rogandum ac exhortandum caritative duximus, semel et pluries; dantes ei nichilominus, prout requirebat eiusdem officii debitum, per nostras litteras in mandatis, ut prefato matrimonii tractatui supersedens, dictam filiam suam eiusdem regis filio matrimonialiter nequaquam copulare presumeret, quousque illo faciente, qui non vult mortem peccatorum, sed ut magis convertantur et vivant, prefati rex et filius, suo regnique ipsorum salubri statui, divina eis assistente gratia, consulentes, redirent ad ipsius ecclesie unitatem, ac ipsos contingeret, quod nostro mediante studio, quod sperabamus in brevi, veram fidem, quam profitetur, docet et predicat mater ecclesia, sinceris mentibus profiteri, et ex tunc memorato Ladislao, et catholico cuilibet, absque divine maiestatis offensa, sueque detrimento anime, licitum erat ac liberum, amicitie, societatis vel parentele fedus contrahere cum eisdem. Cumque postmodum ad predictum locum Bude, divina nobis assistente clementia, venissemus, de supradicti concilii consilio et assensu statuendum duximus et etiam inhibendum,[1] ut nullus dicte

1 Circa 9—25 Septembris a. 1308.
2 Vide constitutionum Polonis datarum cap. VIII. pag. 367.

legationi subiectus presumeret de cetero alicui heretico Patereno, Gazaro scismatico vel alii fidei christiane contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasis *(sic)* et Littuanis, in errore manentibus, filiam, neptem vel consanguineam suam connubio tradere, vel modo aliquo copulare. Qui vero dederit, vel danti consenserit, aut ex proposito et scienter huiusmodi scelestibus nuptiis astiterit, mulier etiam data vel tradita, que eisdem consenserit, cum per hoc in christianam religionem scissuram et maculam ponere satagat, ac per hoc heretice pravitati favere, eo ipso excommunicationis mucrone percussum se noverit, et ecclesiastica sepultura privatum. Et si infra mensem post publicationem huiusmodi sententie, faciendam per dyocesanum, corde contrito et humiliato non redierit ad ecclesie unitatem, de tanta iniuria irrogata nomini christiano ac fidei orthodoxe condignam satisfactionem et debitam impensurus, ex tunc contra eum, tanquam contra fautorem hereticorum, et ipsius inimicum fidei, procedatur, iuxta sanctiones canonicas et civiles. Verum quia sepedictus Ladislaus huiusmodi constitutionibus, inhibitionibus, exhortationibus et preceptis, contumaciter obturans auditum, ac nobis contemptu superbo inobedientie tergum vertens, aversa penitus a Jerusalem facie, et in Jericho conversa, per viam, qua inciditur in latrones, nec bona regalia, que occupata detinet, infra designatos in constitutione predicta terminos restituere ac resignare, nec a complemento dicti matrimonii desistere ac supersedere curavit, quamvis super hiis pluries monitus, et post eosdem terminos diutius expectatus, patientia benignitatis nostre, que ipsum ad obedientie promptitudinem, ac penitentie salubre consilium reduxisse debuerat, abusus est temere, immo quodammodo in derisum. Non ergo videntur hec culpe tam faciles, et contemptus, in quibus culpa non sit, et presidentis dampnanda desidia, eas conniventibus oculis pertransire, quia eius infamis impunitas non solum in alios regni prefati nobiles, sed in generationes futuras presumptuosam audaciam similium prorogaret. Nos igitur attendentes, quod in prenominatis regno et partibus illius Christi vicarii et successoris apostolorum principis vices presentialiter gerimus, cuius apostolatus officium noscitur ad ultionem omnis inobedientie divinitus preparatum, ut in laudem bonorum proficiat pena malorum, prefatum Ladislaum, constitutionum huiusmodi contemptorem, propter suam inobedientiam et contumaciam manifestas, denunciamus penas et sententias, in eisdem contentas constitutionibus, incurrisse; ipsum videlicet excommunicationis sententiam, eiusque vassallos, comites, castellanos, iudices et iobagiones fore a qualibet sui fidelitate ac homagio absolutos, et ipsos aliosque dicto Ladislao contra

predicta adherentes, vel dantes auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis vinculo innodatos, et nichilominus ipsorum morientium corpora, si ante debitam satisfactionem decesserint, ecclesiastica sepultura privata, et contra sepedictum Ladislaum, propter dictum contractum matrimonium, et penam huiusmodi in constitutione prefata expressam, tanquam contra hereticorum fautorem et inimicum fidei, procedendum, et totam terram sibi subiectam, et adherentium, faventium, obedientium, vel dantium sibi quoquomodo auxilium, consilium vel favorem, ultra Silvas et citra Silvas, ecclesiastico supponimus interdicto, et eidem supposito *(sic)* nunciandam. Ceterum quia prefatum Ladislaum sepe monuimus, ut coronam sacram regni Ungarie, quam detinet occupatam, nobis aut ecclesie Albensi vel regi restitueret supradicto, quod hucusque facere contumaciter non curavit, presentium sibi tandem auctoritate mandamus, quatinus coronam eandem infra festum purificationis beate virginis proxime futurum resignare procuret. Alioquin penas et sententias, in constitutione contentas, contra quemlibet ipsius, vel corone alterius, quam consecrari fecimus, detentorem vel occupatorem, per nos hactenus promulgata, ipsum incurrere volumus ipso facto.[1] Venerabilibus igitur in Christo patribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis in Christo filiis universis ecclesiarum prelatis, secularibus et religiosis, exemptis et non exemptis, necnon prioribus Predicatorum, ac ministris, custodibus et guardianis Minorum, ac prioribus Heremitarum... ordinum, eorumque vices gerentibus, infra legationis prefate terminos constitutis, in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis pena, auctoritate qua fungimur, districte precipiendo mandamus, quatinus memoratum Ladislaum aliosque predictos diebus dominicis et festivis, ad divina populo congregato, in ecclesiis suis locisque aliis, ubi expedire viderint, per se vel per alium seu alios, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos, et dictas penas ac sententias incurrisse publice nuncient, et evitent, ac faciant ab aliis artius evitari, donec inobedientie, comtemptus et contumacie suorum culpam recognoscentes, humiliter ad gremium sancte Romane matris ecclesie redeant, et satisfactionem, ut tenentur, exhibeant, et a nobis absolutionis meruerint beneficium obtinere. Ladislao autem prefato aperte predicimus, quod si ad devotionem et obedientiam ipsius ecclesie ac nostram rediens, inobedientiam et contumaciam supradictas per obsequium grate devotionis ac prompte satisfactionis debitum reformare studuerit, non solum penas et sententias memoratas gratiose relaxare curabimus, sed ipsum alias gratiis et favoribus prosequi, quan-

1 V. Constitutionum cap. III. pag. 273.

tum officii nostri decentia patietur. Datum Posonii, VIII. kalendas Januarii, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quinto.

In reclinatione membranæ leguntur varia nota cancellariæ, sic:
R. Alb. Par[mensis?] de curia ac de mandato domini J.
J. de Sancto G. *(Alia illegibilia.)*
A tergo signum registrationis: R. C. CLXXXXI.
Et manu coæva:

Processus factus per dominum Gentilem presbyterum cardinalem ac sedis apostolice nuncium in partibus Ungarie, contra occupatores, detentores iura, redditus, castra etc. domini Karoli regis Ungarie. Item processus facti contra dominum Ladislaum waivodam Transilvanie pro eo, quod dictus Ladislaus volebat, quod filia sua christiana contraheret cum filio regis Servie scismatico. Datum pontificatus domini Clementis pape V. anno quinto.

Orig. in membrana, cum sigillo, e filo albo pendente, bene conservato.

LXXIV.

1310. 8. Aprilis. Szegedini.

Ladislaus woyvoda Transsilvanus ad interventionem cardinalis Gentilis se Carolo regi Hungariæ fidelem fore et sacram coronam reddere obstringit.

(Arch. Vatic. C. Fasc. 40. n. 10.)

Nos Ladislaus woyvoda Transsilvanus et comes de Zonuk presentium per tenorem significamus, quibus expedit, universis, quod ab hac hora et die in antea dominum Karolum Dei gratia regem Hungarie recognoscimus et recipimus in dominum nostrum naturalem et legitimum, et eidem fideliter assumpmimus, tanquam domino nostro naturali, serviturum in persona propria et propinquis nostris universis, qui nostrum voluerint consilium acceptare, et assistere eidem in omnibus auxilio, consilio et potentia, quam habebimus et habemus; et tacto vivifice dominice crucis ligno, in manibus venerabilis patris domini Thome archyepiscopi Strigoniensis promisimus, fide data, quod quandocunque dominus noster rex ad partes illas venire voluerit, ubi nos erimus, cum omni honore et reverentia, sicut decet dominum nostrum, recipiemus, et in omni securitate eidem fideliter serviemus. Coronam etiam regni sui ad diem assi-

gnatum, ad octavas scilicet beati Johannis Baptiste,[1] eidem reportabimus; vel si idem dominus noster ante predictum terminum quandocumque versus partes Transsilvanas venerit, eidem exhibebimus et restituemus. Ita tamen, quod ipso die petitiones nostras porrigemus, et petemus per regalem munificentiam nos diligi, et remunerari, sicut decet, per regiam maiestatem. Item promisimus eidem restituere et remittere argenti fodinam de Rodna, comitatum de Byzterce, comitatum de Scybinio, comitatum Syculorum, villas Dees, Clus et Zeek, cum officio camere, quod in eisdem villis haberi consuevit. Ad que firmiter per predictum Ladislaum vayvodam tenenda et attendenda, nos Omodeus palatinus, magister Dominicus, sub pena periurii, obligamus super vivifice crucis ligno Domini, unacum predicto Ladislao vayvoda, venerabili patri domino Thome Dei gratia archyepiscopo Strigoniensi, ac religioso viro fratri Dyonisio lectori de ordine fratrum Minorum, venerabilis patris et domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, penitentiario et capellano, corporaliter prestito iuramento. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem, nostro ac dictorum Omodei palatini et magistri Dominici sigillis presentes litteras fecimus muniri. Datum in Zeguedino, feria quarta proxima post dominicam Judica me, anno Domini MCCC. decimo.

A tergo manu coaeva: Recognitio cuiusdam comitis recognoscentis regem Ungarie suum dominum naturalem.

Datum anno Domini MCCC. decimo, die quarta ante *(sic)* dominicam, qua cantatur quarta post Judica me.

Orig. in membrana, tria sigilla pendentia deperierunt.

---

1 1. Julii.

LXXV.

1310. 21. Septembris. Posonii.

Testamentum Johannis Bevenuti familiaris cardinalis Gentilis.

(Arch. Vat. Papi Avignonesi. Vol. I. fol. 11.)

In Dei nomine amen. Anno Domini MCCCX., indictione VIII., pontificatus domini Clementis pape V. anno quinto, die XXI. mensis Septembris. Johannes Bevenuti de Ilice, Tudertine diocesis, familiaris reverendi in Christo patris et domini domini fratris G.[1] Dei gratia etc. apostolice sedis legati, per gratiam Christi sanus mente et sensu, licet corpore languens, de bonis suis testamentum nuncupativum sine scriptis in hunc modum facere procuravit. In primis quidem, si contingat eum mori de presenti infirmitate, iunxit ac voluit sepelliri corpus suum apud locum fratrum Minorum de Posonio. Item iunxit, voluit ac mandavit, quod omnia bona ipsius, quę habet in partibus Tudertinis, iura et rationes, domina Nassilia eius mater toto tempore vite ipsius teneat et usufructet, donec vixerit, et pro suis necessitatibus ac substentationibus vite sue ex eis fructus omnes percipiat, et in fructibus dictorum bonorum, quoad vixerit, eam sibi heredem instituit; post mortem vero dicte Nassilie sue matris, iunxit idem Johannes, reliquit ac voluit, dicta bona in iuribus et proprietatibus remanere communiter et equaliter fratribus suis carnalibus, scilicet Petro, Bartholo, Thodino, Junctolo et Ciccolo, et in hiis bonis suis eosdem fratres suos communiter et equaliter sibi heredes instituit. Salvo et reservato, quod dicti sui fratres de dictis bonis dare et expendere teneantur duodecim libras Cortonenses pro anima ipsius testatoris et suorum parentum.

Item reliquit pro male ablatis incertis unum fertonem de bonis, que habet in Posonio. Item mandavit, reliquit et voluit, quod omnia bona sua et denarios, que habet in Posonio et penes se in curia predicti domini legati, dentur et expendi debeant pro anima ipsius ad sensum et voluntatem Nardi Marchesi de Aquasparta (?) domicelli, magistri Thomasii Marescalci et Gratidi de Luca, familiarium predicti domini cardinalis, quos sibi ad predicta executores ac fidei commissarios elegit. Salvo tamen, quod

[1] Gentilis.

de dictis suis bonis primitus satisfacere debeant apothecario de suis medicinis et famulo, qui sibi servivit in sua infirmitate. Et hec est ultima sua voluntas, quam valere voluit et vult iure testamenti, quod si iure testamenti non valeret, voluit eam iure codicilli et cuiuslibet alterius ultime voluntatis valere. Actum Posonii, Strigoniensis diocesis, in curia prefati domini legati, presentibus supradictis executoribus et fidecommissariis, dompno Johanne de Firmo capellano, magistro Lello de Mevania et Phylipputio de Cingulo domicellis, Johanne Spetiario de Bononia, Cicco de Florentia, Symeono de Tuderto, Cicco de Asisio et Gualterutio de Monticulo, familiaribus predicti domini cardinalis, testibus, et aliis pluribus ad predicta vocatis specialiter et rogatis. Ego Phylippus Compagnoni de Cingulo, Auximane diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus et singulis presens interfui, et rogatus a dicto testatore scribere, scripsi et publicavi, meoque signo signavi.

LXXVI.

1310. 15. Decembris. Posonii.

Cardinalis Gentilis de procuratione XV. marcharum, a Benedicto electo Transsilvanensi recepta, testatur.

(Arch. Vat. Fasciculus Rationibus collectoriis Hung. 1332—1337. nexus. fol. 26.)

Nos frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod recepimus per manus Francisci Lapi Rocchetti, mercatoris nostri, a dilecto in Christo filio B.[1] electo Transilvanensi XV. marchas pro parte procurationum nostrarum, boni, fini et puri argenti ad pondus Budense; de quibus XV. marchis eidem electo quietationem facimus per presentes, quas in testimonium fieri fecimus, et nostri sigilli munimine roborari. Datum Posonii, XVIII. kalendas Januarii, pontificatus domini Clementis pape V. anno VI.

1 Benedicto.

LXXVII.

1311. 3. Februarii. Posonii.

Cardinalis Gentilis moniales sanctæ Claræ de Posonio ab omni solutione decimarum exemptas esse decernit.

(Arch. regnic. Hung. Dipl. n. 1745.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiabus . . . abbatisse et conventui monasterii sancte Clare de Posonio, ordinis eiusdem sancte, salutem in Domino. Pietatis opera, cuius observantie Vos pro Christi gloria deputastis affectu benivolo, nos inducunt, ut ea, que cum Deo et honestate possumus, iuxta commisse nobis legationis officii debitum, favore Vobis benivolo concedamus. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod licet Vos a prestatione decimarum immunes per specialia sedis apostolice privilegia existatis, nonnulli tamen ecclesiarum prelati, rectores et canonici, eorumque vicarii, vel ab eis titulum sive causam habentes, a Vobis contra tenorem privilegiorum huiusmodi de possessionibus et aliis bonis vestris decimas exigunt, et extorquere nituntur, Vosque super hoc multiplici vexatione fatigant. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere super hoc paci et quieti vestre paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ut contra privilegia ipsa nullus a Vobis vel monasterio vestro decimas de possessionibus et bonis huiusmodi exigere vel extorquere presumat, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nos enim interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas in Vos aut vestrum aliquam vel monasterium vestrum seu quoscunque alios occasione vestri, contra privilegiorum eorundem tenorem, per quemcunque promulgari contigerit, prout sunt, irritas decernimus et inanes; Vosque ad ipsarum observationem aliquatenus non teneri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis antem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Posonii, III. nonas Februarii, pontificatus domini Clementis pape quinti anno sexto.

Orig. in membrana, cum sigillo e rubro et flavo serico pendente, bene conservato.

LXXVIII.

1311. 1. Aprilis. Posonii.

Cardinalis Gentilis Laurentio priori provinciali ordinis s. Pauli in Hungaria absolvendi fratres eiusdem ordinis pro manuum iniectione concedit potestatem.

(Bibl. com. Festetich in Keszthely. Invent. privileg. ord. s. Pauli. fol. 79.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilecto in Christo filio Laurentio priori provinciali fratrum sancte Crucis de Heremo,[1] ordinis sancti Augustini,[2] in Hungaria, salutem in Domino. Contemplationi divine vacantibus gratiam nostram libenter, quantum cum Deo possumus, impartimur, ut viam mandatorum Domini eo rectius, quo quietius, percurrentes, occasionem inveniri non valeant deviandi. Cum itaque, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, contingat interdum nonnullos de fratribus eiusdem ordinis, in Hungaria constitutis, pro iniectione manuum inter se ipsos ad invicem canonem incidere sententie promulgate, nec eis expediat ad apostolicam sedem vel alias pro beneficio absolutionis discurrere, nobis humiliter supplicasti, ut Tibi, qui fratres eosdem in brevi Deo propitio visitare proponis, necnon successoribus auctoritatem absolvendi fratres huiusmodi concedere dignaremur. Nos igitur in religionis favorem, ut evagandi materia subtrahatur, tuis supplicationibus inclinati, Tibi successoribusque tuis, quod fratres vestre professionis, per Hungariam constitutos, quos ex predicta causa labe contigerit ex quovis involvi, absolvere in forma ecclesie consueta, iniuncta penitentia salutari, et iuxta ipsius ordinis instituta satisfactione exhibita competenti, necnon prioribus conventualibus et eorum vicesgerentibus, Vobis subiectis, quando Vobis videbitur expedire, huiusmodi absolutionem committere valeatis, qua fungimur auctoritate, tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Proviso, quod illos, quorum fuerit gravis et enormis excessus, ad apostolicam sedem vel nos pro absolutionis beneficio transmittatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei

[1] Laurentius prior provincialis fratrum s. Crucis de Heremo, id est Heremitarum, a. 1301. e priore s. Crucis de Pilisio electus; anno vero 1319. primus generalis ordinis. Mortuus a. 1325.

[2] Ordinis s. Augustini, rectius s. Pauli, quia cardinalis Gentilis a. 1308. eisdem fratribus regulam s. Augustini concesserat (v. supra pag. 180.)

ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Posonii, kalendas Aprilis, pontificatus domini Clementis pape quinti anno sexto.

LXXIX.

1311. 2. Maii. Posonii.

Cardinalis Gentilis Benedictum electum Transsilvanensem ad observationem interdicti capitulo impositi, et solutionem procurationum ei et capitulo Transsilvano impositarum monet.

(Arch. Musaei Nationalis Hung. Budapestini.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, venerabili et religioso viro fratri Benedicto electo Transsilvano, salutem in Domino. Continebat inter alia littera vestra, proxime nobis missa, quam benigne recepimus, quod nec religiosi nec clerici seculares servant in Transsilvanis partibus interdictum; quodque in audiendis vel celebrandis divinis nusquam Vos ingerere voluistis, nisi in capella privatim. Et quia nichil Vobis commiseramus verbo vel litteris de predicto, Vos intromittere negotio distulistis. Super quibus Vestre Discretionis studium commendantes, sic breviter respondemus, quod nostre intentionis pro certo existit, ut interdictum servetur ab omnibus regulariter, prout tenor nostrorum processuum continet et declarat. Vobis vero, sicut nec commisimus nec committimus inde quicquam, sed capitulo Transsilvano damus aliqua per alias nostras litteras in mandatis, que si videre volueritis, poteritis per easdem, ut scilicet tamdiu teneant interdictum, donec Ladislaus ad nostra et ecclesie mandata humiliter rediens, opere compleat, quod pro domino rege attente se facturum promisit. Desideraremus admodum, quod idem Ladislaus per Vos mitteret nobis coronam, prout promisisse ipsum nobis per alias litteras rescripsistis, quoniam erga regem et nos haberet locum citius eius negotium gratiose. De procurationibus autem nostris primi et secundi annorum quicquid exegistis iam vel potestis exigere, portari faciatis ad cameram nostram, cum ad nos, duce Domino, redietis. Scituri, quod nos scribimus inter alia dicto capitulo, quod nisi nunc solvant integre procurationes easdem, preter sententias nostras spirituales, in quibus noscuntur in ipsorum animarum periculum involuti, vel per Ladislaum eundem, cui exactionem committemus

ipsarum, vel alias de speciali mandato domini nostri summi pontificis, ab eis triplum, auctore Domino, exigi faciamus. Consulimus ergo eis, quod satisfaciant nobis statim, et se dampnificari perinde non expectent. Datum Posonii, VI. nonas Maii.

In parte aversa: Venerabili et religioso viro fratri Benedicto electo Transsilvano.

Orig. in charta. Sigillum ext. margini fuit appressum.

LXXX.

1311. 22. Maii. Posonii.

Cardinalis Gentilis contra irregulares postulationes, electiones vel provisiones de ecclesiasticis beneficiis decretum edit.

(Arch. Vat. Liber Privilegiorum Rom. Eccles. III. fol. 202. Bibl. Valicelliana. MS. B. 12 fol. 520.)

Frater Gentilis etc. ad perpetuam rei memoriam. Licet vacantium ecclesiarum reformationibus, ut pure ac sine pravitate procederent, conditores sacrorum canonum eo intenderent studiosius, quo damnabilius neglexissent, dum ex illarum usurpatione animabus pericula, et gravia proventura conspicerent ecclesiis detrimenta; quia tamen, ut magistra rerum, efficax experientia, docuit, nonnulli subditorum nostrorum de regno Hungarie, quin immo, quod dolenter referimus, quasi omnes, quorum est per electiones, postulationes vel provisiones viduatis ecclesiis providere, negligentes se exhibent in observatione canonum predictorum, ad impressivas comminatorias seu alias ordinatas et importunas preces principum, baronum, nobilium et aliorum potentum, electiones, postulationes et provisiones huiusmodi faciendo, necnon veritatem rei geste his, quibus ex officio competit, de meritis electionum inquirere subticendo: nos periculosam illorum negligentiam iuris executione supplere, ac tam periculis animarum, quam ecclesiarum indemnitatibus occurrere cupientes, de . . . Strigoniensis archiepiscopi, plurium episcoporum, electorum et inferiorum prelatorum dicti regni consilio et assensu perpetuo pro huiusmodi edicto, ut capitula, collegia vel conventus ecclesiarum cathedralium, regularium et collegiatarum, aut alie quecumque persone ecclesiastice de dicto regno, ad quos eligere, postulare seu providere quomodocumque pertineat in ecclesiis antedictis, aliquem, pro quo a quacumque persona ecclesiastica vel seculari, cuiuscumque

---

Thomae.

dignitatis, status aut conditionis existant, privato affectu porrecte sint preces, ad regimen ecclesiarum huiusmodi, silicet *(sic)* cathedralium regularium et collegiatarum, seu ipsarum aliquam dignitatem eligere, postulare vel de ipso providere presumant eisdem, nisi illi, qui eligere, providere vel postulare hunc; alias eum, pro quo sunt electa precamina, electuri essent ratione utilitatis ecclesie et sufficientie personalis. Si quis autem huiusmodi electiones, postulationes, aut provisiones, quas eo ipso iuribus carere decernimus, celebrare presumpserit, quia ecclesie, a qua beneficium recipit, privatam rogantis affectionem preposuit, eligendi, postulandi et providendi potestate in ea ecclesiarum et monasteriorum vel dignitatum vacatione privatus, et excommunicationis sententia presentis constitutionis vigore ipso facto ligatus, a beneficiis, que in ipsa ecclesia, quam contemptui habuit, obtinet, triennio noverit se suspensum, ad que, si infra illud tempus propria se temeritate ingesserit, eis ipso iure perpetuo sit privatus. Qui autem electioni, postulationi vel provisioni, taliter celebrate, scienter consenserit, ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Eisdem quoque penis eos, qui expresse et ambitiose se sic eligi procurarint, decernimus subiacere. Precipimus insuper omnibus archiepiscopis et episcopis regni predicti in virtute obedientie ac sub interminatione maledictionis eterne, ut quos contra constitutionem huiusmodi deliquentes invenerint, penas et sententias in eadem constitutione contentas publice denuncient incurrisse, dictasque sententias atque penas circa tales faciant inviolabiliter observari. Datum Posonii, XI kalendas Junii, pontificatus domini Clementis pape V. anno sexto.

LXXXI.

1311. 22. Maii. Posonii.

Cardinalis Gentilis contra usurpatores bonorum ecclesiarum vacantium decretum edit.

(Arch. Vat. Liber Privil. Rom. Ecclesiæ III. fol. 202. Bibl. Valicelliana MS. B. 12. fol. 520.)

Frater Gentilis etc. ad perpetuam rei memoriam. Consuetudinem, quam in regno Hungarie invaluisse cognovimus, videlicet ut defunctis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis, ipsarum ecclesiarum vacantium bona mobilia et immobilia principes, barones, castellani et alii nobiles, ceterique clerici et laici, in quorum

dominio vacare contingit ecclesias, quas per eos ob Dei et ecclesie reverentiam custodiri et defendi convenerat, occupant, invadunt, surripiunt et usurpant, corruptelam, cum sacris sit inimica canonibus, reputantes, eam de . . .[1] Strigoniensis archiepiscopi, plurium episcoporum, electorum, et inferiorum prelatorum, ad hoc specialiter vocatorum, consilio et assensu, auctoritate qua fungimur, reprobamus, irrefragabiliter statuentes, ut nullus clericus, secularis seu religiosus, vel laicus, cuiuscumque preheminentie, dignitatis aut status seu conditionis existat, bona mobilia vel immobilia ecclesiarum huiusmodi, dimissa a prelatis earundem defunctis, vel tempore vacationis obvenientia, per se vel alium publice vel occulte de cetero occupare, nudare, surripere aut usurpare quoquomodo presumat. Si quis autem contravenire presumpserit, cum indignum sit ea, que collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus ecclesiis vel relicta, aut iustis modis aliis acquisita, alienis usibus applicari, preter penas a iure inflictas, ipso facto excommunicationis sententia sit ligatus; a qua absolvi non valeat, nisi duplum, si habeat, alioquin in quantum facultatum suarum vires patientur, restituat, et de damnis et iniuriis satisfaciat ecclesie, quam offendit. Qui vero in huiusmodi excommunicatione decesserit, ecclesiastica sepultura, qua indignum se fecit, donec, ut premittitur, satisfactum fuerit, sit privatus. Inhibemus quoque, et in virtute sancte obedientie districte precipimus omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, prepositis et aliis clericis secularibus et religiosis, exemptis et non exemptis, Cisterciensium, Premonstratensium, sancti Benedicti ac Predicatorum et Minorum ac Heremitarum sancti Augustini, aliorumque ordinum, necnon prioribus et preceptoribus sancti Johannis Hierosolymitani, ac beate Marie Theutonicorum, ne corpora talium audeant in cimiterio sepelire, nec ipsorum sepulture aliqualiter interesse. Qui autem contravenerit, ipso facto excommunicationis laqueo involvatur, et locus, in quo huiusmodi damnatorum corpora sepulta fuerint, necnon loca eorum, qui contra inhibitionem presentem de suorum licentia prelatorum sepulture huiusmodi corporum interesse presumpserint, ecclesiastico subiaceant interdicto. Precipimus insuper archiepiscopis et episcopis, ut hanc sanctionem, ecclesiis utique profuturam, omnes clericos seculares et religiosos predictos, per penas in ea contentas, et aliter, prout expedire viderint, faciant inviolabiliter observari, et transgressores ipsius ac eorum loca penis subiacere denun-

1 Thomæ.

cient supradictis. Datum et publicate *(sic)* Posonii, XI. kalendas Junii, pontificatus anno sexto.

In margine et fine legitur: Pendebat sigillum cereum cum chordula canabis.

LXXXII.

1311. 6. Julii. Posonii.

Cardinalis Gentilis Matthæum palatinum de genere Chák excommunicat.

(Batthyány Ign. Leges ecclesiasticæ III. pag. 131.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ab ipso nostre legationis exordio, quo fuimus per apostolice sedis providentiam ad regnum Ungarie ac partes illi conterminas destinati, mentis oculos ad contemplandas ipsius impacati regni inquietudines dirigentes, super his, inspirante Domino, spiritum compassionis atraximus, et infirmitatem nostram celestis virtutis constantia induente, cogitavimus cum magnifico principe domino Karolo Ungarie rege illustri omni pene, preterquam sancte Romane matris ecclesie, ac quorundam baronum destituto suffragio, et dubiis tantum eventibus de relicto, pacificare regni eius pacis publice turbatores, aut eis in sue iniquitatis duritia persistentibus, contra ipsos, Deo auxiliante, stare cum eodem rege, dictique regni prelatis et populo, ac obfirmare vultum contra implacabiles pestilentie duces, letiferis aquilonis flatibus mala, quibus regnum ipsum atteritur, commoventes. Inhesit quidem inseparabiliter cordi nostro, de Ungarico populo pestilentes discordiarum radices evellere, vel earum genitricem, dictorum ducum et baronum extirpare tyrannidem, per quam videbatur principalis dicti regis ac universalis collabi status gentis Ungarie, fides orthodoxa subverti, et decus everti ecclesiastice libertatis. Et ad liberandum de ipsorum faucibus regnum ipsum, cuius prefati barones et nobiles dilatati pinquedine, ac iuribus roborati, calcaneum erexerunt in Dominum, tanto attentius propositi nostri aspirat intentio, quanto magis eiusdem regni conditio miseranda, in quam illud redegit huiusmodi baronum dominantium iniquitas, compassionis nobis intime provocat pietatem. Non potest enim a piis animis absque gemitu cogitari, regnum, quod sub priscis regibus libertatis gloria, nobilitatis decore, sinceritate fidei, opulentia

rerum, et iocunda populi frequentia prepollebat, in tantam servitutis miseriam, ignobilitatis iniuriam, et tam grave populorum excidium corruisse. Sane cogitantibus nobis assidue, qualiter in huiusmodi opressorum presidium, quos non minus urgentium ad insueta onera tyrrannorum attrivit impressio, quam olim filios Israel premeret durities Pharaonis, super quibus nos interpellant amara suspiria, foret validis remediis succurrendum; precipue quidem, ut rex ipse debita solii regalis celsitudine potiretur, eiusque subditi excutere grave iugum dominii, et in libertatem possent resurgere filiorum, singulisque status proprii priorque conditio redderetur, menti nostre subiit, ac in nostre deliberationis revidet arbitrio, quod propter multiplicia, ut premittitur, regni dissidia, unum nostra defloraret electio, cui possibilitas adforet, cooperationem nobis efficacem impendere ad huiusmodi nostros conceptus, et vota optato fine ac prospero concludenda. Cumque de preligendo tali cum prelatis et baronibus tractatus diversos et varios, prout tante assumptionis exigebat qualitas, haberemus, eis inter alios, quos ad hoc nobis offerebat idoneitas, magnificum Matheum palatinum, prout conceperamus mente, verbo duximus applicandum, ad cuius prolationem oraculi, facti quodam modo stupidi, et amiratione rigentes prompte disuasionis instantia restiterunt, asserentes, fundamentum intentionis nostre nequaquam in ipsius instabilitate ponendum: habebat enim, prout asserebat affatus vulgaris assertio, et patens practicorum ratio declarabat, quod sibi propter varietatem animi, premissorum instabilitatem, fidem lubricam et fallacium promissionum abundantiam, utpote cui nulla iurisiurandi, nisi studio fallendi religio, erat nullatenus confidendum. Nos vero considerantes ipsius nobilitatem sanguinis, cuius progenitores domus fama ferebat, veris Ungarie regibus adhesisse constanter et fideliter astitisse, a progenitoribus ipsis non solum derivatam in posteros constantiam et fidelitatem huiusmodi, quinimo credebamus, verisimiliter in sobolis propagine augmentatum attendentes, et etiam strenuitatem armorum et providentiam in actibus bellicis circumspectam, oblationes pulitas et promptas, quodque prefato regi a sue assumptionis initio obsequiose adherens, favorabiliter sibi astitit et potenter, amicorum persuasionibus contrariis vilipensis, et consiliis obauditis, nostroque in hoc sensui proprio initentes, ac fide pura ac simplici procedentes, ipsum elegimus baronibus ceteris preponendum, iuramento tamen et fide in nostris manibus, more ordinem profitentium, receptis primitus ab eodem, postque in persona nostri . . . archiepiscoporum . . . episcoporum, aliorumque prelatorum, necnon filii, baronum et nobilium suorum . . . prioris Predicatorum et . . . ministri Minorum fratrum, or-

dinum provincialium Ungarie, ac multorum aliorum regularium, secularium et nobilium, prefatum dominum Karolum verum regem et successorem prefati regni, suumque naturalem dominum, sibique teneri, tanquam suo legitimo domino, recognovit; addens et asserens, quod ipso rege vivente, nullum alium pro rege reciperet dicti regni, sed nec post mortem ipsius, nisi eius legitimum successorem, promisitque eidem domino regi fidelitatem et obedientiam omnimodas exhibere, exponere quoque fideliter se ipsum, filium et socios, ac omnia bona sua pro recuperatione bonorum regalium de manibus detentorum, quodque recuperata regi resignaret eidem, idemque iuramentum prestiterunt dicti filius et nobiles, similia promittentes.[1] Verum nos postmodum, ob iuramenta et promissiones huiusmodi de dicto Matheo in nobis potius radicata fiducia, ipsum primicerium, vexillarium, directorem et propugnatorem ad ecclesie nostrumque propositum prosequendum pro statu pacifico dictorum regis et regni duximus ordinandum, idemque rex prefecit eum ad tavernicatus sui magistrum, quod officium in regno suo fore dinoscitur principale. Sed, pro dolor, paterne diligentie studium, circa personam eius inpensum, labores plurimos, quos nostra sedulitas subiit propter eum, quo ad ipsum, perdidisse videmur, cum tante promotionis sit immemor, tante gratie sit ingratus, et utinam illius ingratitudinis non excederet terminos, per quam perceptorum bonorum existeret negatione contentus, et licet offensa quelibet aculeos doloris importet, illa cum iaculo graviori percellit, in qua pro gratia ingratitudo rependitur, et pro beneficiis molestie compensantur. Porro qualis fidei, quanteque constantie, ac in regni negotiorum promotione futurus existeret, in ipso primordio sue persecutionis apparuit. Primitus namque non ut filius, sed ut serpens fotus in gremio, contra mandatum nostrum fideles et sequaces regios cepit invadere, ut sic eos a devotione regis averteret, ut rex ipse, quasi passer in tecto solitarius, remaneret. Si autem rebelles regios quandoque patenter aut latenter invasit, eorum terras et bona ignis voracitati subiciens, avarisque depredationibus nudans, nihil dignum regi de illis ad minus in signum dominii addicavit. Castra quoque rebellium nequaquam, ut promiserat, expugnavit, imo quedam, que ipsius regis fidelibus violenter abstulerat, proprietati usurpati sibi dominio addicavit. Castrum regium prope Budam ei rex fidenter ad tempus concedendum duxerat, proprietarium sibi nequiter facere satagens, et contra ipsius regis beneplacitum detinens, quasi ab eo suisque heredibus possidendum perpetuo, muniebat,

1 Vide literas Matthæi Chák palatini supra pag. 112.

ut Budam eiusque incolas, qui velut integre devotionis alumni, prefatum regem suis baiularunt humeris, et honorarunt, ut regem, per vexationes multiplices, inferendas eisdem, terram ipsam subverteret et averteret a regia ditione. Preterea nobili viro Ladislao vaivode Transsilvanie, cum corona sancti Stephani regis, quam violenter tenuerat occupatam, procurationis nostre solertia, ad nostra dictique regis mandata humiliter veniente, ut dictus rex iterata ipsius coronatione gauderet, Matheo prefato mandavimus, ut tanquam prelatis, baronibus et nobilibus regni, qui ad solemnitatem coronationis huiusmodi alacriter convenerant, potenter eisdem et coronationi et consiliis personaliter interesset, sed ipse, tanquam aperte demonstrans, honorem sibi regium displicere, et virus, quo gerebat, absconditum simulare non prevalens, mandato nostro huiusmodi obaudito, ab ipsis coronatione et consiliis se penitus absentavit. Regem autem post coronationem ipsam de nostro mandato transferentem, nec societatem sibi, ut tenetur et promiserat, exhibere, quinimo ipso rege, in eisdem partibus commorante, terras dominii sui ac bona, suorum familiarium usibus deputata et regi adherentium, spoliavit, super quibus depredationibus, damnis et spoliis a nobis paternaliter, et ab ipso rege amicabiliter ac domestice requisitus, ut emendam aut satisfactionem impenderet, obturans, more surde aspidis, aures suas, abstinata electione ac damnabili protervia, obedire contemsit, non attendens, quanta sit inobedientie culpa, que verbo Samuelis ostenditur, asserentis, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatrie acquiescere nolle. Hec autem sibi diximus, more periti medici, volentis palpare vulnera inobedientie, telo transfixa, ut verba nostra prudenter adverteret, sibique proficerent ad salutem. Meliora sunt enim, iuxta sapientis oraculum, diligentis vulnera, quam fraudulenta oscula odientis. Ad nostrum nempe spectat officium, ubi necessaria est increpatio, non valentes latrare, sed secundum apostolum arguere, obsecrare ac increpare in omni patientia et doctrina, sed huiusmodi salutifere doctrine a nobis propinatum imbrem, ut arida terra, indigne excipiens, fructum correctionis non attulit, sed tribulos persecutionum germinavit et spinas. Nam post dicti regis de partibus memoratis reditum, quod inter Vachiam[1] et Tyciam terre spatium comprehendit, ad ipsius regis servientes pertinens, inopinate per suorum scelerum ministros invadens ac spolians, horribili desolatione vastavit, ac exterminio cuncta dedit, et, quod est cum ferocitate crudelius, utriusque sexus infantes et virgines, iuvenes et senes, qui ad

[1] Vacium.

ecclesias, que cunctis, etiam reis, tuta sunt loca refugii, fuga presidio evasarunt, incendii voracitate consumpsit; nobilem etiam Strigoniensem et Vaciensem, Nitriensem necnon Agriensem et Vesprimiensem[1] in parte, et alias ecclesias et monasteria plurima, eorumque libertates, iura magnifica et bona innumera, ad divinum cultum pia catholicorum regum largitione donata, impedit multipliciter et molestat; ac hominibus et vasallis ipsorum collectas frequenter et tallias graves imponit, alias eis iniurias et damna gravia irrogando; nequaquam attendens, quod lento gradu contra persecutores ecclesie ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat, et nonnunquam superbos in hoc seculo punire ad tempus ideo pretermittit, ut dum humiliari neglexerint, per se ipsos eorum nequitiam punire temporaliter non postponat, et nihilominus in futuro gravius ulciscatur; supradicta et multa commissa per eum, que longum esset enarrare presentibus, licet cum amaritudine toleraverimus patienter, sperantes ipsum, quem non solum ut amicum, sed amabamus ut filium, reconciliare cum rege, et ad viam posse reducere veritatis, nobisque de ipso veraciter contingebat, quod nimis zelanti filios patri solet, quem ad singula illorum facta suspensum, nunc eorum preclara gesta letificant, nunc obscura confundunt, ad quam reductionem facilius obtinendam sibi magna obtulimus, et pauca consona rationi ab eo duximus requirenda. Primum videlicet, ut restitueret bona ecclesiastica, cultui divino dicata, et Deum, cuius specialis iuris et proprietatis esse noscuntur, non provocaret ad iram, nec sibi statueret inimicum. Secundum, quod nobiles iuxta regni consuetudinem ad servitutes insolitas nequaquam adstringens, permitteret servire libere, quibus vellent. Tertium vero, ut de bonis regalibus restitutionem regi faceret condecentem, imo quodam modo parvam, et de reliqua parte maiori, que penes eum remansisse debuerat, tantam sibi et talem gratiam obtulimus nos facturos, quam nec summus pontifex, nec futurus legatus aliquis facturi forent, ut illa, que damnabiliter acquisivisset et detinet, ipse suique heredes, sub dicti tamen regis obsequio, posset legitime possidere. Ipse vero oblatione et petitione huiusmodi vilipensis, et obcecatus peccatorum tenebris, ne aspicere valeat contra dominum Deum suum, ecclesie nobisque contumaciter inobedientie terga vertit, super his etiam respondere contemnens, et quasi abiurato amore virtutum, ad deteriora iugiter affirmans affectum. Post hec congregato nuper exercitu,

1 Thomas Strigoniensis archiepiscopus, Haab Vaciensis, Johannes Nitriensis, Martinus Agriensis, Benedictus Vesprimiensis eccl. episcopi.

in crastinum videlicet nativitatis beati Johannis Baptiste[1], non est veritus, usque ad portas Bude procedere hostiliter, diripiens et dissipans omnia, ubi rex ipse cum regina, consorte sua, personaliter morabatur. Quantumcunque itaque ipsum nostra dilectio hactenus brachiis sincere caritatis astrinxerit, suis tamen contumacie culpis et demeritis contra regem et regnum manifeste poscentibus, de quibus quam pluries, ut predicitur, a nobis diligenter ammonitus, satisfacere non curavit, coacti sumus, licet inviti, animadvertere in eundem, quamvis graves penas et sententias varias in constitutione nostra contentas, ab olim promulgata contra detentores regalium et reginalium et inobedientes regi[2], propter ipsius manifestam contumaciam incurrisse noscatur, impellit nos dicti regis instantia, pungit conscientie nostre stimulus, mandatum, cui nec resistere volumus, nec valemus, astringit, clamores quoque ac lamenta baronum, nobilium et aliquorum, quos amicos reputat, excitant et inducunt, urget denique nos procedere contra eum, tanquam contumacem filium, propter quem scriptura proclamans: Si genuit homo filium contumacem et proptervum, qui non audiat patris ac matris imperium et cohercitus obedire contemserit, apprehendent eum, et ducent ad seniores civitatis illius et ad portam iudicii, dicentque ad eos: Filius iste noster protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, lapidibus obruet populus civitatis et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat. Nos igitur, qui locum patris tenentes, prefatum Matheum ut filium, quasi de novo generando, pre aliis nobilibus regni extulimus, cuique, ut mater, beneficiorum prebuimus ubera, tanquam contumacem et protervum, non obediendo nostris mandatis et regis, educimus ad seniores, episcopos videlicet, et ad populum regni Ungarie, sententiarum lapidibus obterendum, ut excommunicationis mucrone transfixus, quasi mortuus, a communione fidelium separetur, et malum culpe turbationis et scandali, Deo favente, de ipsius regni medio auferatur. Quia vero super predictis et quam pluribus aliis excessibus pluries, ut sepe dicitur, a nobis monitus, correctionis medelam non sentiens, cum suarum sint ulcera indurata culparum, cotidie deteriora committere non veretur; nos hec absque Christi offensa, nostrique honoris infamia preterire sub dissimulatione ulterius non valentes, cum sepe etiam liberi verbi eum feriverimus gladio, per nuncios et litteras sibi predicentes aperte, quod ad radicem eius securim, que stantes sternit arbores, poneremus inviti, et quem sagitta non voluntarii

1 25. Junii a 1311.
2 V. Constitutionum cap. II. et IV. pag. 272 et 275.

petebamus, ei signa dedimus, ut a facie arcus fugeret manifesta, ex parte omnipotentis Dei, beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, sanctorumque regis Stephani et Adalberti, qui regni huius Ungarie sunt patroni et capita, domini nostri summi pontificis, cuius vices, licet immeriti, presentialiter gerimus, et authoritate, qua fungimur, prefatum Matheum, constitutionis prefate ac mandatorum nostrorum contemtorem, propter suam contumaciam et inobedientiam manifestas, denunciantes incurrisse excommunicationis aliasque sententias et penas, in eadem constitutione contentas, iterate ipsum excommunicationis ac nove sententia innodamus. Districte mandantes eidem, ut ecclesiarum monasteriorumque predictorum castra, villas, possessiones, decimas, tributa, aliaque bona et iura quelibet, que per se, vel per alios occupata damnabiliter detinet, infra tempus restituat, in nostra constitutione contentum, dimittat nobiles liberos, regalia, reginalia libere regi resignet, vel supra eis cum ipso rege, aut nobiscum pro eo, studeat concordare infra decem dies a data presentium numerandos; quod si infra eundem decem dierum terminum hec, que pro rege mandamus, adimplere contemserit, totam terram, sibi subiectam et obedientem, ecclesiastico supponimus interdicto, ac omnes ipsius Mathei nobiles, comites, castellanos, iudices, officiales, iobbagiones et vasallos denunciamus fore a qualibet sui fidelitate, homagio et alia quavis obligatione, iuramento seu quacunque alia firmitate vallata, penitus absolutos, mandantes eisdem, ut in nullo ei obediant vel intendant, sed ab eo nobiles, comites, castellani, iudices et officiales ipsius immediate post lapsum dictorum decem dierum omnino recedant. Si vero nostra hec neglexerint adimplere mandata, ipsos et quoslibet alios, cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiam si episcopali vel archiepiscopali dignitate prefulgeant, sepefato Matheo adherentes contra predicta, vel dantes auxilium, consilium vel favorem, scriptis presentibus excommunicamus, et nihilominus quorum Mathei et suorum morientium corpora, si ante debitam satisfactionem decesserint, ecclesiastica sepultura privamus, et cum bestiis ac feris putridis et fetentibus habeant sepulturam, et totam terram ipsorum nobilium ecclesiastico supponimus interdicto. Venerabilibus igitur in Christo patribus, archiepiscopis et episcopis et dilectis in Christo filiis, electis, abbatibus, et aliis ecclesiarum prelatis, religiosis et secularibus, exemptis et non exemptis, necnon prioribus et ministris, custodibus et guardianis, provincialibus et conventualibus, fratrum Predicatorum, Minorum et Heremitarum sancti Augustini, eorumque vices gerentibus, infra regni prefati terminos constitutis, in virtute sancte obedientie ac sub excommunicationis pena, auctoritate

qua fungimur, precipiendo mandamus, quatenus prefatum Matheum, aliosque predictos, singulis diebus dominicis et festivis, ad divina vel ex alia causa populo congregato in ecclesiis suis, locisque aliis, ubi expedire viderint, per se vel alios, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuncient et evitent, et faciant ab aliis arctius evitari, et aliis innodatos penis, prout superius est expressum, donec inobedientie, contemtus et contumacie suorum culpam cognoscentes, humiliter ad gremium sancte Romane matris ecclesie redeant, et satisfactionem, ut tenentur, exhibeant, et a summo pontifice vel a nobis seu ab alio, cui hoc specialiter committendum duxerimus, aut alio Ungarie legato de latere, absolutionis beneficium meruerint obtinere. Matheo autem predicto aperte predicimus, quod si ad obedientiam et devotionem ipsius ecclesie, regis et nostram rediens, inobedientiam, contemtum et contumaciam supradicta per obsequium grate devotionis ac prompte satisfactionis debitum corrigere ac emendare studuerit, non solum penas et sententias memoratas gratiose relaxare curabimus, sed ipsum alias gratiis et favoribus, prout primo concessimus, prosequi, quantum officii nostri decentia patietur. Datum Posonii, in octava apostolorum Petri et Pauli, pontificatus domini Clementis pape quinti anno sexto.

LXXXIII.

1311. 24. Julii. Albæ Juliæ.

Benedictus episcopus Transsilvanensis contra taxationem procurationis cardinalis Gentilis ad apostolicam sedem appellat.

(Arch. Musæi Nat. Hung. in transsumpto conventus de Clusmonostra a. 1311. 13. Augusti.) [1]

Nos frater H.[2] abbas de Clusmonustra et conventus eiusdem loci significamus, quibus expedit, universis, quod venerabilis in Christo pater frater Benedictus miseratione divina *(sic)* [3] coram nobis constitutus, legi fecit libellum appellationis hoc modo:

In nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCC. undecimo, nono kalendas Augusti, coram Vobis, viris religiosis, domino Hederico abbate de Clusmonustra et conventu eiusdem loci, ego frater Benedictus miseratione divina episcopus Transsilvanus audiens et intelligens, quod taxatio procurationis venerabilis patris et domini fratris Gentilis tituli

1 Idem in arch. capituli Albensis Transsilv. Cista Capituli fasc. 4. No. 6. in transsumpto conventus Cruciferorum SS. Trinitatis de Calidis Aquis a. 1311. 13 Septembris.
2 Hedericus.
3 Scilicet: episcopus Transsilvanus.

sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, quarti anni immineret et inposita esset ecclesiis regni Hungarie, pretimens et precavens, ne ego et ecclesia mea, totusque clerus dyocesis mee agravetur in quingentis vel quadringentis quinquaginta marcis fini argenti ad pondus Budense, in quibus inique et contra Deum et iustitiam per taxatores tam tempore quondam Nicolai legati, quam tempore nunc domini fratris G.[1] apostolice sedis legati episcopatus et ecclesia Transilvana cum suo clero toto gravati fuerint et sint; cum archyepiscopatum Colocensem cum aliis quinque[2] suffraganeis,[3] nulli sit dubium, plus[4] in proventibus et facultatibus habere, quam sola ecclesia et dyocesis Transsilvana habere dignoscatur. Sentiens igitur ecclesiam meam totumque clerum dyocesis mee gravari et esse agravatos, cum ad hoc mee et ecclesie mee totiusque cleri non suppetant facultates, cum per solutionem precedentium procurationum, indebite et contra Deum et iustitiam taxatorum, in tantam simulcum toto clero devenerimus exinanitionem, ut ad propriam sustentationem minime suppetant ipse ecclesiarum facultates. Non habentes Deum pre oculis, nec considerantes predicti taxatores, quod ecclesia Transsilvana propter prolixam vacationem, scilicet trium annorum et medii unius, videlicet ante ingressum ipsius domini fratris Gentilis apostolice sedis legati, duorum et medii, postquam idem legatus stat in provincia, sic cum toto clero suo, suis[5] proventibus et facultatibus per seculares vastus, prout toti regno est notorium, penitus spoliata, et mandatum principale, tam sedis apostolice quam domini legati, contineat, ut secundum rata proventuum et ecclesiarum facultates taxatio ordinetur; et per capitulum et clerum, ipsa sede vacante, appellatum fuerat, sed propter sedis vacationem et inopiam necessariorum et paupertatem cleri ipsa appellatio non fuit prosecuta; quare ab ipsa iniqua et contra Deum et iustitiam facta taxatione et a sententia domini legati pretextu ipsius taxationis, si qua lata foret vel fieret, simulcum clero meo, apostolicam sedem appello, appello et iterum appello; et a Vobis, viris religiosis predictis apostolos peto et instanter peto, me et ecclesiam meam bonaque mea mobilia et immobilia et civitatem meam totumque clerum, bonaque et ecclesias

1 Gentilis.

2 In transsumpto conventus de Calidis Aquis: *quinque suis.*

3 Illo tempore archiepiscopatus Colocensis sex habuit suffraganeos, scilicet Transsilvanensem, Varadiensem, Cenadiensem, Zagrabiensem, Bosniensem et Syrmiensem.

4 In alio transsumpto: *multo plus.*

5 *Suisque.*

eorundem protectioni sedis apostolice committendo. Et si diceretur, quare omisso[1] medio, scilicet domino legato, ab ipsa iniqua taxatione existat appellatum: dico, quod dominus legatus est, cuius causa agitur per ipsos taxatores, et sententias et penas facere consuevit iuxta arbitrium ipsorum taxatorum, quare periculosum esset, coram ipso domino legato in sua causa et contra suas sententias litigare. Quare apostolicam sedem appello, appello et iterum appello, et a Vobis viris venerabilibus, ut premissum est, apostolos peto et instantissime peto michi dari; terminum autem ad prosequendum appellationem ex beneficio iuris concessum assigno. Datum et actum in Alba Jule, die et termino prenotatis.

Nos itaque communis iuris debito provocati, predictum libellum appellationis de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, in testimonium facte appellationis sigillum nostrum apponi fecimus eidem. Datum et actum feria sexta proxima ante festum assumptionis beate virginis, anno ut supra.[2]

Orig. in membrana; vestigia sigilli pendentis.

LXXXIV.

1311. 13. Augusti. Posonii.

Cardinalis Gentilis administrationem ecclesiæ Spalatensis, durante excommunicatione archiepiscopi, capitulo committit.

(Farlati. Illyr. sacr. III. pag. 302.)

In Dei nomine amen. Hec est copia quarundam litterarum domini fratris Gentilis legati, sigillatarum sigillo pendentis cere, quarum tenor talis est:

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis,

---

1 *Pretermisso.*

2 Tenor alterius transsumpti in archivo capituli Albensis asservati talis est:

Nos frater Petrus prior et conventus ecclesie sancte Trinitatis de Calidis Aquis significamus, quibus expedit, tenore presentium universis, quod anno Domini MCCC. undecimo, feria secunda proxima ante octavas nativitatis virginis gloriose *(13. Septembris)*, magister Petrus notarius venerabilis patris fratris B. Dei gratia episcopi Transilvani, coram nobis personaliter constitutus, vice et nomine eiusdem domini sui legit libellum appellationis in hec verba: Coram Vobis, viris religiosis atque Deo amabilibus, fratre Egidio priore et aliis fratribus ordinis fratrum Predicatorum, fratre Paulo priore et aliis fratribus ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini de conventibus Albe Jule, in nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCC. undecimo, nono kalendas Augusti. Ego frater B. *(sequitur appellatio, ut supra, cum variantibus lectionibus supra notatis. Conclusio transsumpti sic sequitur:)* Nos itaque iuri communi acquiescentes . . . *(desiderantur verba circiter quinque)* de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, in testimonium facte appellationis sigillum nostrum eidem fecimus apponi. Die et anno ut supra.

capitulo ecclesie Spalatensis, salutem in Domino. Licet de iure, sede Spalatensi vacante, administratio spiritualium et temporalium ecclesie Spalatensis ad Vos pertinere noscatur; quia nunc quodammodo vacare videtur pro eo, quod frater Petrus Spalatensis archiepiscopus, suis contumacie culpis et demeritis exigentibus, est per nos ab eorundem spiritualium et temporalium rationabiliter administratione suspensus, et excommunicationum sententiis plurimis irretitus; nos iuxta officii nostri debitum providere volentes, ne dicta ecclesia defectum in predictis spiritualibus et temporalibus patiatur, illorum administrationem Vobis tenore presentium ducimus committendam, exercendam a Vobis, quousque nos aut dominus noster summus pontifex, si contingat nos de legatione recedere, aliud duxerimus ordinandum. Compellendique contradictores et rebelles, auctoritate qua fungimur, Vobis concedimus potestatem. Datum Posonii, idibus Augusti, pontificatus domini Clementis pape quinti anno VI.

LXXXV.

1311. 24. Augusti. Posonii.

Cardinalis Gentilis donationem Thomæ archiepiscopi Strigoniensis, capitulo Posoniensi de decimis tributi portus Posoniensis et de Csalló factam, confirmat.

(Arch. capituli Posoniensis, Priv. Capsa G. fasc. 7. Nr. 160.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis... preposito et capitulo ecclesie Sancti Salvatoris de Posonio, Strigoniensis dyocesis, salutem in Domino. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinis nostre studium ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod venerabilis in Christo pater Thomas archiepiscopus Strigoniensis, pro remedio animarum bone memorie Lodomerii[1] avunculi sui et Michaelis[2] archiepiscoporum Strigoniensium, predecessorum suorum, et pro salute anime quondam Nicolai fratris sui, propter paupertatem etiam, qua vestra ecclesia Sancti Salvatoris ad presens nimium premitur, de consilio et assensu fratrum suorum,

[1] Lodomerius de genere Monoszló, archiepiscopus Strig. 1279. 13. Junii—1298. Jan.
[2] Magister Michael, prius episcopus Zagrabiensis, 1303. 4. Nov.—1304. Sept. archiepiscopus Strig.

capituli Strigoniensis, donavit perpetuo et irrevocabiliter eidem ecclesie decimam tributi in portu Posoniensi et in portu Chollou, ad ipsum de iure pertinentem, ita, quod tota illa decima, que de illis tributis provenit, primo et principaliter dividatur in partes tres, quarum unam ipsius ecclesie prepositus recipiet, duas partes capitulum; decimam vero illarum duarum partium, quas Vos capitulum recipietis, percipiet custos eiusdem ecclesie pro se ipso, prout in patentibus litteris inde confectis, eiusdem archiepiscopi sigillo munitis, plenius vidimus contineri. Quare nobis humiliter supplicastis, ut donationi ac ordinationi huiusmodi confurmationis *(sic)* nostre robur adicere dignaremur. Nos itaque vestris in hac parte supplicationibus grato concurrentes assensu, quod super hiis ab eodem archiepiscopo provide factum est, ratum et gratum habentes, id auctoritate, qua fungimur, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus; tenorem predictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes:

(Sequuntur literæ Thomæ archiepiscopi Strigoniensis, datæ 11. Febr. a. 1307. continentes donationem decimarum tributi portus Posoniensis et de Csalló capitulo Posoniensi. V. Knauz. Monum eccles. Strig. II. pag. 567.)

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Posonii, X. kalendas Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno sexto.

Orig. in membrana, sigillum e rubro et flavo serico pendebat.

LXXXVI.

1311. 9. Septembris. Posonii.

Cardinalis Gentilis civitati Posoniensi ecclesiam s. Gothardi e Pulchra Villa (Schöndorf) transferendi concedit licentiam, noviterque construendam ecclesiam custodiæ Posoniensi annectit et unit.

(Arch. cap. Posoniensis. Priv. Capsa F. fasc. 1. Nr. 12. in transsumpto cap. Strig. a. 1351.)

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis, Hartlino iudici et Hambatoni,[1] aliis civibus Posoniensibus, Strigoniensis

[1] Comes Hambato (Hambocto) 1307—1316 civis Posoniensis. Anno 1308. iudex eiusdem civitatis.

dyocesis, salutem in Domino. Benigni promptitudo favoris circa Vos in eo debet haberi potissime, in quo et Deus honorari conspicitur, et animarum videtur utilitas procurari. Sane petitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod cum ecclesia sancti Gothardi prope Posonium, post translationem et destructionem Pulchre Ville, iuxta ipsam site, quodammodo in loco deserto et ab hominum habitatione remoto remanserit, ac propter incuriam et negligentiam iam ipsius fatiscentia edificia propinqua ruine noscantur, ita quod propter hoc non solum divinis obsequiis, verum etiam debita veneratione fidelium remanet destituta. Nobis humiliter supplicastis, ut transferendi ecclesiam ipsam cum dote, sive agris, nunc ad ipsam spectantibus, et construendi de ipsis edificiis in civitate vestra processionalem ecclesiam de novo in honorem ipsius sancti Gothardi et beati Andree apostoli, cuius etiam ecclesia prope muros ipsius civitatis per Vos destructa fuit, cuiusque ecclesie sancti Gothardi dotem augmentare disponitis, Vobis licentiam largiremur. Nos itaque vestris in hac parte iustis supplicationibus grato concurrentes assensu, et volentes ob reverentiam dictorum sanctorum ac venerationem, quam ad eos geritis, salubriter providere, Devotioni Vestre licentiam concedimus postulatam, ipsamque duximus auctoritate, qua fungimur presentialiter, tenore presentium transferendam. Ceterum ecclesiam ipsam, construendam per Vos, ex nunc, postquam constructa fuerit, custodie Posoniensis ecclesie annectimus et unimus; statuentes, ut custos ipsius Posoniensis ecclesie, qui pro tempore fuerit, eiusdem processionalis ecclesie, eiusque dotis et agrorum fructus percipiat et proventus, sitque in sacerdotio constitutus, vel se faciat infra annum ad sacerdotium promoveri, quodque iura parrochialia, que ad predictam sancti Gothardi ecclesiam primitus pertinebant, ad . . . rectorem ecclesie sancti Michaelis iuxta Posinium pertineant pleno iure. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, translationis, annexionis, unionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Posonii, V. idus Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno sexto.

LXXXVII.

1311. 12. Septembris. Nova Civitas. (Wiener-Neustadt.)

Cardinalis Gentilis de procuratione CCCCXXXI. marcharum, a Thoma archiepiscopo Strigoniensi recepta, testatur.

(Arch. Vat. Fasciculus Rationibus collectoriis Hung. 1332—1337. nexus. fol. 27.)

Nos frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod recepimus per manus Francisci Lapi Rocchetti mercatoris nostri a dilecto in Christo filio Hamboctone cive Posoniensi, dante et solvente pro venerabili in Christo patre T.[1] Dei gratia archiepiscopo Strigoniensi, de VI.C et III. marchis cum dimidia, nobis debitis, pro remanenti procurationum nostrarum primi, secundi et tertii anni nostre legationis IIII.C XXXI. marchas cum dimidia, boni, fini et puri argenti ad pondus Budense; de quibus IIII.C et XXXI. marchis cum dimidia prefato Hamboctoni, prefati archiepiscopi nomine, quietationem plenariam facimus per presentes, quas in testimonium fieri fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Datum in Nova Civitate, Salzburgensis diocesis, II. idus Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno VI.

LXXXVIII.

1311. 12. Septembris. Nova Civitas.

Cardinalis Gentilis de procuratione DXX. marcharum, a Benedicto electo Transsilvanensi recepta, testatur.

(Arch. Vat. Fasciculus Rat. collect. Hung. 1332—1337. nexus. fol. 26.)

Nos frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod recepimus per manus Francisci Lapi Rocchetti mercatoris nostri a venerabili in Christo patre...[2] Dei

[1] Thoma.
[2] Benedicto.

gratia episcopo Transilvanensi, dante et solvente pro se et nomine suo ac capituli et cleri exempti et non exempti civitatis et diocesis Transilvanensis V.C et XX. marchas cum dimidia, pro parte IX.C et XXXVIII. marcharum cum dimidia, in quibus nobis tenebatur ratione procurationum nostrarum primi, secundi et tertii anni legationis nostre, boni et fini et puri argenti ad pondus Budense; de quibus V.C et XX. marchis cum dimidia prefatis episcopo, capitulo et clero quietationem plenariam facimus per presentes, absolventes eum auctoritate, qua fungimur, a penis et sententiis nostris, quas incurrit, procurationem ipsam in statutis sibi non solvendo terminis, ac dispensantes cum eo auctoritate apostolica, nobis specialiter in hac parte concessa, super irregularitate, si quam contraxit, se divinis officiis immiscendo, sic ligatus. De IIII.C vero et XVIII. marchis, nobis adhuc debitis pro eisdem annis, usque ad Pascha resurrectionis proxime futurum sibi de gratia terminum prorogantes. Ita tamen, quod Hamboctoni civi Posoniensi cum expensis nobis mittendis, vel mercatoribus de societate Peructiorum Venetiis suo periculo et expensis procurationem ipsam plenarie nobis solvat. Alioquin penas et sententias nostras eundem episcopum incurrere volumus ipso facto. Datum in Nova Civitate, II. idus Septembris, pontificatus domini Clementis pape V. anno sexto.



APPENDIX

I.

FORMULAE LITERARUM E CURIA CARDINALIS GENTILIS DATARUM.

(Bibl. Vat. Cod. 4013. fol. 1—15.)

1. Commissio dispensationis super defectu natalium.
(Vide supra pag. 12.)

2. Dispensatio auctoritate predictarum litterarum facta.
(Vide supra pag. 13.)

3. De absolutione illius, qui occidit ancillam suam castigando eam.

Frater Gentilis etc. Venerabili in Christo patri.... episcopo.... etc. Dilectus filius... sua nobis expositione monstravit, quod ipse olim quandam ancillam suam nomine... cum uno baculo adeo percussit, diabolo instigante, alia perturbatus de causa, quod ex percussione huiusmodi mox dicitur expirasse. Super quo supplicavit humiliter, sibi per nos absolutionis beneficium misericorditer impertiri. Nos igitur, qui salutem singulorum ferventi desiderio affectamus, ipsum a reatu huiusmodi absolvimus, et ad Vos auctoritate, qua fungimur, remittimus absolutum, per nos eidem introitu ecclesie restituto. Tenore presentium vestre prudentie committentes, quatenus de facto eiusque circumstantiis inquisita diligenter veritate, iniungatis sibi super hoc pro modo culpe penitentiam salutarem. Datum etc.

4. De absolutione illius, qui manus violentas iniecit in presbyterum cum sanguinis effusione.

Frater Gentilis etc. Venerabili in Christo patri *tali* episcopo etc. Petitio dilecti in Christo filii *talis,* vestre diocesis, latoris presentium nobis exhibita continebat, quod ipse diabolica instigatione commotus, in dompnum... manus iniciens, Dei timore postposito, temere violentas, ipsum

cum effusione sanguinis percussit gladio in crure, absque tamen lesione difficili vel enormi. Quare nobis humiliter supplicavit, ut ei super hoc dignaremur absolutionis beneficium misericorditer impertiri. Nos itaque eius supplicationibus inclinati, ipsum ab excommunicatione, quam propter hoc incurrit, auctoritate, qua fungimur in hac parte, remittimus iuxta formam ecclesie absolutum. Inter alia sub debito prestiti iuramenti mandantes eidem, ut si non satisfecit, satisfaciat competenter. Vos autem excessu huiusmodi eiusque circumstantiis debita meditatione discussis, iniungatis eidem pro modo culpe, ac etiam prout secundum Deum anime sue saluti expedire videris, penitentiam salutarem. Ceterum si satisfactionem forte contempserit, se ipso facto noviter in excommunicationis sententiam recidisse. Datum etc.

5. Commissio de visitatione alicuius monasterii vel loci.

(Vide supra fol. 14.)

6. Capitula visitationis sunt hec.

(Vide supra fol. 15.)

7. De capellania pro religioso.

Frater Gentilis etc. Religioso viro... etc. Religionis tue, in qua per Dei gratiam laudabiliter profecisse diceris, meretur honestas, aliaque tue probitatis, devotionis et vite laudabilia merita, quibus fidedigno testimonio commendaris, nostris oculis gratus occurris, ac dignus gratia redderis, et gratiosus haberis merito; nos inducunt, ut Te, quem sincere caritatis [brachio] complectimur, specialis benevolentie gratia prosequamur. Volentes igitur tuam honorare personam, Te in capellanum nostrum recipimus, et capellanorum nostrorum consortio aggregamus. Et volumus, ut ipsorum capellanorum nomine gaudeas, ad nos in tuas negotiis confidenter recurras, et favoris nostri presidio potiaris. In cuius etc. Datum etc.

8. Alia de capellania clerici secularis.

Frater Gentilis etc. Discreto viro *tali* etc. Quia nobilitate generis, laudabilis conversationis et vite meritis, aliarumque virtutum donis insigniris, inducimur, ut personam tuam specialis benevolentie gratia prosequentes, Te ad familiaritatis nostre participium admittamus. Quapropter Te in capellanum et familiarem nostrum recipimus, et capellanorum ac familiarium nostrorum consortio aggregamus. Proponentes de cetero etc.

9. De capellanis et familiaritate.

Frater Gentilis miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, discreto viro domino Petro Gualterutii de Penna sancti Johannis, Firmane diocesis, legalis scientie erudito, dilecto capellano et familiari nostro, salutem in Domino. Nobilitas generis, litterarum scientia, et alia tue virtutis et probitatis merita, quibus apud nos fideli testimonio commendaris, necnon religiosi viri fratris Thomasii de ordine fratrum Minorum, patrui tui, ad nos sincera devotio nos inducunt, ut personam tuam specialis benevolentie gratia prosequentes, Te ad familiaritatis nostre participium admittamus. Quapropter Te in capellanum et familiarem nostrum recipimus, et capellanorum ac familiarium nostrorum consortio aggregamus; proponentes de cetero commodis et profectibus tuis libenter intendere loco et temporibus oportunis. Tu vero deinceps nostrorum capellanorum et familiarium nomine gaudeas, et sicut ceteri capellani et familiares nostri, ubique favoris nostri presidio potiaris. In cuius rei testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri appensione muniri. Datum Neapoli, V. kalendas Maii, pontificatus domini Clementis pape V. anno tertio.

10. Alia de familiaritate tantum, si non sit litteratus.

Frater Gentilis etc. Jacobo Johannis de Secundiliano, Neapolitane diocesis, dilecto familiari nostro, salutem in Domino. Laudabilia tue virtutis ac probitatis merita, quibus apud nos fide digno testimonio commendaris, necnon tui ad nos sincera devotio nos inducunt, ut personam tuam speciali benevolentie gratia prosequentes etc. *ut in proxima.*

11. De unione alicuius monasterii alicui mense episcopali.

(Vide supra pag. 16.)

12. Executorie super dicta gratia unionis.

(Vide supra pag. 17.)

13. Littera reservationis beneficiorum.

(Vide supra pag. 10.)

14. De familiaritate in maiori forma.

(Vide supra pag. 183.)

15. De indulgentia, que conceditur ad aliquas ecclesias.
(Vide supra pag. 184.)

16. De dispensatione super III. et IIII. gradu affinitatis.

Magnifico principi, amico carissimo, domino... *talis* etc. Magnitudinem Vestram volumus non latere, quod dum olim bone memorie I. *tali* episcopo et *tali* preposito referentibus, ad nostram notitiam pervenisset, inter nobilem virum, *talem* principem, et nobilem mulierem *talem*, germanam vestram, presentibus Vobis et assensum prestantibus, *tali* anno, et *tali* die, per verba de presenti matrimonium fuisset contractum, arris hinc inde datis, et osculo, ut patrie moris est, subsecuto; quia tamen tertio et quarto gradu consanguinitatis invicem se contingunt, felicis recordationis domino Bonifacio pape VIII. supplicastis humiliter, ut dictum matrimonium consumare, et in eo licite remanere valeretis, consanguinitate huius non obstante, Vobiscum dignaretur misericorditer dispensare. Nos vero *tali* die petitionem super ipso negotio ipsi domino Summo Pontifici legimus, ipseque dominus gratiose huiusmodi petitionem admisit, ac expeditionem ipsius nobis commisit oraculo vive vocis. Nos autem auctoritate ipsius domini pape dispensationem huiusmodi *tali* episcopo per nostras litteras nostro sigillo munitas commisimus. Verum licet Carolus supradictus circa hec solicitudinis et vigilantie studium adhibuerit diligenter, supervenientibus tamen obitu tunc *talis* episcopi et infirmitate ipsius Caroli et impedimentis aliis, habere debetis dictum Carolum non immerito excusatum.

17. Littera concessa episcopo, quod absolvat excommunicatos sue diocesis.
(Vide supra pag. 185.)

18. Littere indulgentie ad fabricam alicuius ecclesie.
(Vide supra pag. 186.)

19. Littere indulgentie pro festivitatibus.

Frater Gentilis etc. Universis *ut supra*. Clara sanctorum merita, quibus catholicorum ecclesia conspectius rutilans a sui primordio felicibus profecisse ac iugiter proficere noscitur incrementis, a Christi fidelibus precipua reverentia venerare, et fideles ipsos ad sedulam et solertem immitationem huiusmodi meritorum salubriter allicere affectantes, libenter eos

spiritualium largitione munerum recreamus, quibus desideranter illecti ad immarcescibilem sanctorum ipsorum gloriam obtinendam laudabilibus exemplis et meritis perducantur. Cupientes igitur, ut *tales* ecclesie congruis honoribus frequententur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesias ipsas in ipsarum festivitatibus, et per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes causa devotionis venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius meritis confidentes, auctoritate apostolica, nobis in hac parte commissa, quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis annis singulis misericorditer in Domino relaxamus. Datum etc.

20. Littera in favorem inquisitorum heretice pravitatis concessa.
(Vide supra pag. 53.)

21. Littera conservationis privilegiorum et iurium alicuius loci.
(Vide supra pag. 56.)

22. Alia pro indulgentia festivitatum.

Frater Gentilis etc. Universis Christi fidelibus etc. Loca sanctorum omnium pia et prompta devotione sunt a Christi fidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant, et illorum nobis vendicantes quodammodo patrocinium, apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cupientes igitur, ut ecclesia . . . congruis honoribus etc. *ut supra.*

23. Littera provisionis, qui aliquando fuit suo beneficio per violentiam spoliatus.
(Vide supra pag. 57.)

24. Quod recipiatur nuncius honorifice.

Frater Gentilis etc. Nobili viro *tali* comiti salutem. Cum dilectum in Christo filium N. capellanum nostrum, virum utique et scientia preditum, honestate decorum, et in consiliis circumspectum, ad *tales* partes, commisso sibi super quibusdam magnis et arduis plene executionis officio, destinemus, Nobilitatem Tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus ipsum N., immo potius nos in ipso, reverenter recipere, ac hono-

rifice tractare procurans, sibi super hiis, que Tibi ex parte nostra retulerit, fidem indubitatam exhibeas, tanquam nobis.

25. Exordium, quando mittitur aliquis pro animarum salute.

Quia corporali presentia non possumus locis singulis imminere, de hiis, quos in executione plene potestatis assumimus, nonnunquam in partem solicitudinis destinamus, exemplo eius instructi, qui pro salute humani generis de suppremis celorum ad yma descendens, discipulos, quos elegerat, in universum orbem transmisit, omni creature evangelium predicare. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes, dilectum filium *talem* etc.

26. Commissio absolutionis excommunicationis illius, qui contempsit observare statuta.

Frater Gentilis etc. Cum, sicut accepimus, bone memorie dominus *talis* statuta quedam observari precepit, decernens eos, qui contravenire presumerent, excommunicationis vinculo subiacere, Discretioni Tue presentium tenore mandamus et concedimus, si quas personas religiosas inveneris huiusmodi sententiam incurrisse, ipsis absolutionis beneficium impertiri valeas. Et si forsitan sic ligati sacros susceperunt ordines, vel ministrarunt in illis, super irregularitate huiusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, etiam dispensare.

27. Apodixa et quietatio de procuratione soluta.

(Vide supra pag. 159.)

28. Processus super executione facta per executores alicuius canonici de canonicatu vacante.

(Vide supra pag. 119.)

29. Alius processus gravior.

(Vide supra pag. 123.)

30. Littera pro hiis, qui ad ordines promoventur.

(Vide supra pag. 182.)

31. Littera collationis beneficii vacantis vel vacaturi.

Frater Gentilis etc. Dilecto in Christo filio Roberto de Fonte, Lomo-

niensis diocesis, capellano nostro, custodi Voladizlauiensi, ac ipsius et Cursuiciensis, Voladizlauiensis diocesis canonico ecclesiarum, salutem in Domino. Litterarum scientiam, honestatem morum, conversationem placidam aliaque probitatis tue merita, que nobis familiaris experientia nota fecit, necnon grata et accepta servitia, qua nobis exhibuisti hactenus et exhibere non desinis, meditantes, dignum et rationi consonum arbitramur, ut personam tuam prerogativa specialis favoris et gratie prosequamur. Cum itaque custodia in Voladizlauiensi, ac in ipsa et Cursuiciensi ecclesiis canonicatus et prebende per mortem quondam magistri Voyslaui, qui nuper apud Budam, ubi cum nostra curia commoramur presentialiter, diem clausit extremum, vacavisse noscantur, nullusque de illis preter nos disponere potuerit, constitutione nuper a nobis super personatibus, dignitatibus, officiis, canonicatibus, prebendis ac ecclesiis, cum cura vel sine cura, et aliis ecclesiasticis beneficiis, quocunque nomine censeantur, per nos conferendis dumtaxat edita, obsistente: nos volentes Tibi huiusmodi tuorum meritorum obtentu gratiam facere specialem, custodiam et canonicatus ac prebendas predictos, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, Tibi, qua fungimur auctoritate, conferimus et providemus de illis, Teque per nostrum anulum de ipsis presentialiter investimus. Decernentes irritum et inane, si secus a quoquam super hiis attemptatum est hactenus, vel in posterum contigerit attemptari. Non obstantibus, quod nuper de canonicatu et prebenda vacante vel proximo vacatura in Vratislauiensi ecclesia Tibi duximus providendum. Aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eorundem Voladizlauiensis et Cursuiciensis ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesias ipsas accesseris, corporaliter illud prestes. Nulli ergo etc.. nostre collationis, provisionis, investiture et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum etc.

32. Executoria super eadem.

Frater Gentilis etc. Venerabilibus in Christo patribus dominis Dei gratia... archiepiscopo Gneznensi et... episcopo Plocensi, ac magistro Philippo de Sardinea, decretorum doctori, canonico Arborensi, salutem in Domino. Litterarum scientiam etc. *usque* corporaliter illud prestet, *verbis competenter mutatis*. Quocirca Discretioni Vestre presentium tenore mandamus, quatenus Vos, vel duo aut unus vestrum, per Vos vel per alium seu alios, eundem Robertum, vel procuratorem suum eius nomine, in

corporalem possessionem custodie, canonicatuum, prebendarum et iurium et pertinentiarum predictorum inducatis auctoritate nostra, et defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore. Ac facientes ipsum vel dictum procuratorem suum pro eo ad easdam prebendas in dictis Voladizlauiensi et Cursuiciensi ecclesiis in canonicum recipi et in fratrem; stallo sibi in choro et loco in capitulo cum plenitudine iuris canonici assignatis, et ad predictam custodiam, prout moris est, admitti; eique vel dicto procuratori suo eius nomine de ipsorum canonicatuum et prebendarum ac custodie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis. Contradictores auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam compescendo. Datum etc.

33. Processus executorum super beneficio vacaturo cum dignitate.
(Vide supra pag. 257.)

34. Littera pro clerico beneficiato, quod insistens in scolis, recipiat fructus prebende.

Frater Gentilis etc. Dilecto in Christo filio *tali*, de *tali* loco, *talis* diocesis, salutem in Domino. Volentes Tibi tue probitatis obtentu, super qua nobis laudabile testimonium perhibetur, gratiam facere specialem, tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue, ut insistens per septennium scolasticis disciplinis, fructus, redditus et proventus prebende tue, quam in *tali* ecclesia obtines, cum ea integritate percipere valeas, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, cum qua illos perciperes, si personaliter in eadem ecclesia resideres, nec interim in ipsa ecclesia residentiam facere tenearis, aut ad id compelli possis invitus, non obstantibus ipsius ecclesie contrariis consuetudinibus vel statutis, auctoritate presentium indulgemus. Proviso, quod eidem ecclesie, si onus dicte prebende requirit, facias loco tui per ydoneum vicarium deserviri. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum etc.

35. Executoria.

Frater Gentilis etc. Dilecto filio *tali* etc. Volentes *ut supra usque* deserviri. Quocirca Discretioni Tue, qua fungimur auctoritate, tenore presentium committimus et mandamus, quatenus huiusmodi fructus, redditus et proventus eidem *tali*, vel procuratori suo, eius nomine, facias per Te vel alium seu alios, iuxta huius concessionis nostre tenorem integre mi-

nistrari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum etc.

36. Dispensatio super irregularitate contracta.

Frater Gentilis etc. Venerabili in Christo patri domino . . . Dei gratia episcopo . . . salutem et sinceram in Domino caritatem. Dilectus nobis in Christo filius . . . de . . . presbyter vestre diocesis, lator presentium, sua nobis petitione monstravit, quod cum ipse pridem esset excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis innodatus, tanquam simplex et iuris ignarus, divina presumpsit, ut prius, officia celebrare, se alias eisdem temere ingerendo; propter quod irregularitatis maculam noscitur contraxisse. Quare nobis humiliter supplicavit, ut sibi super hiis de absolutionis debite beneficio et dispensationis gratia providere misericorditer dignaremur. Nos igitur attendentes, quod simplicitas coaptat se venie, temperatque rigorem, presbyterum ipsum ad Vos duximus remittendum. Paternitati Vestre auctoritate, qua fungimur, committentes, quatenus postquam huiusmodi sententie circa eum fuerint relaxate, iniuncta sibi super premissis pro modo culpa penitentia salutari, eoque ad tempus, prout expedire videritis, a suorum ordinum executione suspenso, demum suffragantibus sibi meritis, alioque canonico non obstante, super irregularitate dicto modo contracta, et suorum ordinum executione secum auctoritate predicta misericorditer dispensetis. Datum etc.

37. Dispensatio irregularitatis in alia forma.

Frater Gentilis etc. Venerabili in Christo patri... Dei gratia episcopo etc. Transmisse pridem Vestre Devotionis littere et per dilectum in Christo filium . . . clericum vestrum, latorem presentium, nobis exhibite continebat, quod dudum idem . . . clericus, clericali duntaxat caractere insignitus, in . . . presbyterum vestre diocesis manus violentas temere incidendo, ipsum cum uno cultello graviter vulneravit; propter quod dictum . . . excommunicationis vinculo innodatum cum dictis vestris litteris ad nos destinastis, absolutionem super negotio huiusmodi petiturum. Qui in nostra presentia constitutus, preter ea, que in ipsis litteris vestris continebantur, sua nobis confessione monstravit, quod dicta ligatus sententia, non in contemptum clavium, sed per simplicitatem et iuris ignorantiam, acolitatus ordinem, rite tantum, alias et absque vitio simonie recepit, ministravit in eo, et alias se divinis officiis ingerendo. Super quibus nobis humiliter supplicavit, ut impertiri sibi misericordiam dignaremur. Nos igitur, qui

singulorum salutem ferventi desiderio affectamus, ipsum... a dicta excommunicationis sententia auctoritate, qua fungimur, absolvimus in forma ecclesie consueta, et ad Vos cum presentibus remittimus absolutum, dummodo mors vel membri mutilatio hinc inde non fuerit subsecuta. Mandantes ei inter alia sub debito prestiti iuramenti, ut passis iniuriam si non satisfecit, satisfaciat competenter. Prudentie vestre auctoritate nobis in hac parte commissa committentes, quatenus iniuncta sibi super premissis penitentia salutari, eoque ad tempus a suscepti ordinis executione suspenso, demum suffragantibus sibi meritis, alioque canonico non obstante, super irregularitate dicto modo contracta, quodque ad superiores ordines promoveri valeat, et in ipsis licite ministrare, secum auctoritate presentium misericorditer dispensetis. Ceterum si satisfacere forte contempserit, in excommunicationis sententiam ipso facto se noverit recidisse. Datum etc.

38. Alia de irregularitate.

Frater Gentilis etc. Venerabili in Christo patri... episcopo... vel eius vicario in spiritualibus. Antiqui hostis versutia, et ipsius pervigil circuitus, qui Christi fideles perdere querit et vorare, ac sue malignitatis funiculis trahere in gehennam, dilectum in Christo filium... presbyterum vestre diocesis, latorem presentium, adeo circumvenit dampnabiliter instigando, sicut sua nobis exhibita petitio continebat, quod in ecclesia beate Marie de . . . contra mandatum nostrum per unum annum continuum temere divina officia celebravit. Sed misericors Deus, qui sue misericordie oculis miseros dignanter respicit, et peccatores relevat a peccatorum nexibus, hunc respexit, ut ad cor suum rediens, penitentia ductus, de vestro consilio duobus annis reverenter abstinuit a divinis; nunc corde humili et animo contrito postulans a nobis status sui remedium et penitentie salutaris. Quem nos cum presentibus auctoritate, qua fungimur, ad vestram duximus presentiam remittendum, ut illius intuitu, qui neminem vult perire, taliter recipiatis et dispensative tractetis eundem vice nostra, quod ubi habundavit delictum, ibi superhabundare divine pietatis gratia dinoscatur. Attente provisuri, quod si ex huiusmodi apostolica transgressione aliquibus obnoxius teneatur, satisfaciat competenter. Ipsum ad hoc per censuram ecclesiasticam, monitione premissa, si necesse fuerit, compescendo. Datum etc.

39. Exordium pro fide catholica.

Nostro nil magis accedit affectui, quam quod fidei catholice puritas

ubique terrarum, sed precipue in terris et locis nostre legationis ad Dei laudem et gloriam valeat ampliari. Cum itaque, sicut nuper accepimus, inter Te et *talem* regem tractatus sit habitus de filia tua catholica quidem et ex catholicis orta parentibus... filio regis eiusdem, a vere christiane fidei rectitudine devianti, matrimonialiter copulanda. Nos attendentes, quod non decet etc.

40. De revocandis bonis ecclesiasticis ad ipsas ecclesias.

Frater Gentilis etc. Venerabili viro *tali* etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod rector *talis* ecclesie *talis* diocesis, decimas, terras, vineas, domos, prata, pascua, nemora, molendina, possessiones, redditus, iura, iurisdictiones, et quedam alia bona ipsius ecclesie, datis super hoc litteris, interpositis iuramentis, confectis exinde publicis instrumentis, factis renunciationibus et penis adiectis, in gravem eiusdem ecclesie lesionem, nonnullis clericis et laicis, eorum ad vitam aliquibus, quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super hiis litteras confirmationis in forma communi impetrasse dicuntur. Cum igitur nostra intersit lesis ecclesiis subvenire, mandamus, quatenus ea, que de bonis dicte ecclesie per concessionem huiusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, penis, iuramentis, renunciationibus et confirmationibus supradictis, ad ius et proprietatem eiusdem ecclesie legitime revocare procures. Contradictores et rebelles etc. Datum etc.

41. Denunciatio excommunicationis percutientis clericum.

Frater Gentilis etc. *tali* etc. Conquestus est nobis dilectus in Christo filius clericus... *talis* diocesis, quod F. et R. de *tali* loco, layci, manus iniecerunt in eum, Dei timore postposito, temere violentas. Quapropter mandamus, quatenus, si est ita, dictos sacrilegos tam diu excommunicatos publice nuncies, et facias ab omnibus artius evitari, donec passo iniuriam satisfecerint competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad nos veniant absolvendi. *Et si fuerit mulier:* per Te absolutionis beneficium assequitur. Datum etc.

42. Commissio facta pro orfanis.

Frater Gentilis etc. Dilecto in Christo filio, *tali* iudici etc. Conquestus est nobis B. de *tali* loco pauper orfanus, *talis* diocesis, quod A. et B. layci eiusdem diocesis super terris possessionibus etc. iniuriantur eidem. Quocirca mandamus, quatenus illos, sub quorum iurisdictione iniuriatores ipsi consistunt, moneas attentius, ut eidem pauperi exhiberi faciant iustitie complementum. Alioquin Tu exinde de causa cognoscens, facias, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observare. Datum etc.

43. Contra usurarios.

Frater Gentilis etc. *tali* iudici etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod C. et D. de *tali* loco clerici et E. et F. layci multa extorserunt a G. et H. laycis communiter per usurariam pravitatem, de solvendis et non repetendis usuris huiusmodi extorto ab eis nichilominus iuramento. Quocirca Discretioni Tue mandamus, quatenus, si est ita, dictos usurarios, ut relaxent huiusmodi iuramentum, et eo relaxato, sua sorte contenti, sic extorta restituant conquerentibus, clericos per censuram ecclesiasticam, laycos vero per penam in Lateranensi concilio contra usurarios editam, monitione premissa, appellatione remota, compellas. Attentius provisurus *ut infra*.

44. Item contra eosdem.

Frater Gentilis etc. *tali* iudici. Conquestus est nobis A. de *tali* loco laycus, *talis* diocesis, quod M. de dicto loco multa extorsit a quondam T. patre suo, cuius idem A. heres existit, per usurariam pravitatem. Quocirca Discretioni Tue mandamus, quatenus, si est ita, dictos usurarios, ut sua sorte contenti *ut supra proxime*. Datum etc.

45. Contra usurarios.

Frater Gentilis etc. *tali* iudici etc. Conquesti sunt nobis *tales*, quod *tales* multa extorserunt, et adhuc extorquere nituntur ab eis communiter per usurariam pravitatem. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, dictos usurarios, ut sua sorte contenti, sic extorta restituant conquerentibus, et ab huiusmodi usurarum exactione desistant, contra eos, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam. Laycos vero *ut supra*. Attentius provisurus, ne auctoritate nostra in negotio procedas huiusmodi, nisi dictus conque-

rens restituerit, vel adhuc restituat, si quas aliquando extorsit usuras, cum frustra legis auxilium iuvet, qui committit in legem. Contra etc. Testes autem etc. Datum etc.

